
SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650
CHRISTO ET ECCLESIAE
N. Hurd Sc.
BOSTON.

M. T. CICERONIS
ORATIONES PHILIPPICAE
IN ANTONIVM.

TEXTVM
AD CODICIS VATICANI, ALIORVMQVE
LIBRORVM OPTIMORVM FIDEM
CASTIGAVIT,

NOTIS VARIORVM EDITIONIS GRAEVIANAE ALIORVMQVE INTERPRETVM, INTEGRO GASP. GARATONII COMMENTARIO NONDVM EDITO, ET SVIS ANIMADVERSIONIBVS INSTRVXIT, DENIQVE MANVTII COMMENTARIVM ET INDICES ADIECIT

GREGOR. GOTTLIEB WERNSDORF.

TOMVS PRIMVS.

LIPSIAE, APVD GERH. FLEISCHERVM.
MDCCCXXI.

PRAEFATIO.

Quum aliquot abhinc annis Ciceronis Philippicas in manus sumsissem, oratoris importunum hostem acriter castigantis fortitudo et libertatis studium ardentissimum animum legentis tam mirifice oblectabat et tenebat, ut ab iis studiis aegre avocari posset, quae tum, propter temporum similitudinem, Germaniae quippe populis communem libertatis hostem a laribus et focis arcere conantibus, maiorem etiam afferebant voluptatem. Quo studiosius autem Philippicas evolvebam, eo saepius naevis offendebar, quibus textus adhuc valde inquinatus erat, quanquam a vitiis istis eum ita facillime vindicari intelligerem, uti diligentissime ad exemplar codicis Vaticani expressus redderetur. Atque sic animus a remissiore et voluptaria illa librorum tractatione paullatim ad severiora studia traductus est. Huius enim codicis vetustissimi ope, quem Muretus, Faernus et F. Ursinus in editionibus suis sequuti

sunt, auxilio, quod praestant codices recentiores, non omnino contento, textum harum orationum maxime adiuvari facile dispexi, neque tamen de eo plurimi editores pro dignitate existimasse mihi videbantur, ac nominatim *I. A. Ernestius* longe saepius quam Graevius in editione sua eius vestigia reliquerat. Quae cum ita essent, operae pretium me facturum esse putabam, si multorum locorum, qui ex orationibus deprompti essent, corruptorum exemplo, quanta huius codicis in textu genuino restituendo esset auctoritas, peculiari libello *) edocerem, simulque unde **) vulgata manasset, quique editorum codicem sequuti essent, qui non, paucis notarem. Sequenti anno Philippicam secundam, propter oratoris acerbitatem, qua vel publica vel privata crimina

*) *De codicis Vaticani in Ciceronis Oration. Philipp. textu restituendo auctoritate.* Numb. ap. Klaffenbach. 1814. Iam ante Muretus in praefatione editionis suae Philipp. Lutet. 1562. de aetate et praestantia eius codicis exposuit atque nuper Garatonius in praefat. Tom. IX. editionis Neapolitanae opp. Cic.

**) Editio princeps, ex qua textus vulgatus manavit, i. e. codicis Vaticani ope non emendatus, est haud dubie Romana: *Ciceronis Philippicae cum praefatione Campani ad Cardinalem Pariensem* 1469. aut Sweinhemiana, quae dicitur, *M. T. Ciceronis orationes cum invectivis omnibus c. praef. Andreae.* Romae 1471. Philippicae enim desunt in Waldarferiana. Ea basis fuit multarum editionum, v. c. Gruteri, qui illum codicem ignoravit; idem textus a Gronovio propagatus est. Ad codicem Vatic. primum textus emendatus est a Mureto Lutet. 1562. a Faerno Romae 1563. 8. a Fulv. Ursino. Genevae 1584. 4 voll. fol. Nuper denuo excussit codicem Garatonius.

Antonii perstringit, omnium maxime memorabilem, germanice verti eamque conversionem cum textu, plurimis in locis ad fidem Vaticani restituto, edidi *), subiecta lectione editionis Ernestianae, ut quisque intelligeret, textum Ernestianum eo potissimum esse depravatiorem, quod editor vestigia Vaticani subinde immerito reliquisset, adeo ut fere ubique Graevii lectio revocanda esset, qui codicem in textu pressius secutus esset. Quae quum agerem, cogitatio animum subcessit laboris, qui coeptus erat, continuandi, et operam, quam in hac oratione et in singulis locis expertus essem, ad universum textum transferendi, praesertim quum nova subsidia, quibus instructus ad laborem accederem, Virorum doctissimorum voluntate et liberalitate mihi oblata essent. Ac primum quidem hic publice gratiae mihi agendae sunt *Carolo Goettlingio*, qui cum Ernesti editione meum in usum contulit codicem bibliothecae Academiae Ienensis, quem *Ioh. Mich. Heusinger* in praefatione ad edit. Cic. oratt. select. Isenaci 1744. eundem esse suspicatus est, quo olim Graevius in editione orationum Ciceronis usus fuerit. Quarum lectionum usu diligentiore postea facile cognovi, ab eo codice, si omnino codicibus recentioribus in textu Philippicarum genuino revocando aliquantum auctoritatis tribui potest, plus auxilii sperandum

*) *M. T. Ciceronis Oratio Phil. secunda. Des M. T. Cicero zweite philippische Rede übersetzt und mit einem nach Handschriften berichtigten Texte versehen.* Leipzig b. Gerh. Fleischer 1815. 8.

esse, quam ab aliis, quorum usurpandorum mihi paullo post potestas data est. Quod autem cum aliorum, tum Heusingeri opinionem attinet, eum codicem esse Graevianum, lectionum multarum, quas notavit Graevius, utpote ex suo codice depromptas, magnum consensum cum illis, e codice Ienensi excerptis, cognovisse mihi videor; neque tamen tantum, ut eum prorsus eundem esse pronuntiare ausim, aut a Graevio eum pro dignitate excussum esse contendam. Postea b. *Christ. Theoph. Harles* Varr. lectt. codicis ex monasterio Teegernseensi mihi, quem non ignoraret his rebus occupatum esse, liberalissime impertivit. Ipse codicem istum membranaceum formae quartanae et satis vetustum esse profitebatur, atque subinde is sane probabilem lectionem exhibet; praeterea lectiones alius cuiusdam libri manuscripti ad primam orationem in margine editionis Ernestianae adscriptae erant, quem recentioris etiam aetatis esse statuebat, quemque ipse Erlang. in notis nominavi. Non item bonae notae codicem Gudianum 2. esse cognovimus, cuius Varr. lectiones a *Ioh. Aug. Goerenzio* mihi missae sunt. Est enim valde vitiose scriptus et ineptas saepissime offert lectiones. Quod aetatem attinet, ab Heusingeris in praef. ad libros de Officiis et a Goerenzio in praef. ad Disp. Tusc. saeculo 13. exeunti adsignatur. Exhibet liber iste, uti Britannici in editione Oxford., quorum lectiones postea nactus sum, textum trium priorum orationum; Teegernseensis octo priorum; Ienensis omnium.

Quibus opibus instructus novam Philippicarum editionem meditabar, atque eius adornandae specimen *) typis excudi curabam, ut aliorum virorum eruditorum de meo consilio et ratione iudicia cognoscerem. Quo labore ita me optime perfuncturum esse putabam, si, interpretis munere non prorsus omisso, in textu emendando potissimum opera mea versaretur, praesertim quum, accurata illorum temporum historia et continua de Antonii vita privata narratione praemissa, orationum intelligentiam mirum quantum sublevari intellexissem. Editionis specimine iam in publicum emisso, novum subsidium critici generis adlatum est, quod ex *C. D. Beckii* auctoritate et venia Varr. lectt. codd. Britannicorum in editione Oxfordensi *Nobbii*, Viri doctissimi, opera in meum usum descriptae sunt. Quae omnia subsidia quum congesta essent, obtigit, ut *Fr. Aug. Wolfius*, cuius disciplinae quantum debeam, grata mente recolo, in nostram urbem veniret, quocum inter alia etiam de opere suscepto quum pauca confabularer, mentem cogitatio subiit, Garatonium fortassis aliquantum notarum in commentariis suis ad orationes Philippicas adhuc servare, quae si in auxilium vocari possent, operi valde consultum fore. Atque ille animum meum obfirmans, me hortabatur, ut, quod cogitarem, facere haud cunctarer et quamprimum ad Virum doctissimum, cuius humanitatem optime nosset, perscriberem,

*) *Specimen novae editionis Ciceronis orationum Philippic. adornandae.* Lipsiae 1816. ap. Tauchnitz. 8vo.

eumque, si quid haberet, meum in usum concedere rogarem. Quum nihil litteris adiicere possem, quo studium, in Philippicas collocatum, seni et doctrina et humanitate insigni probarem, nisi qualiacunque ista specimina typis excussa, una eius humanitate fretus, ut laborem susceptum suo auxilio, si quid paratum haberet, sublevaret, rogabam. Vixdum uno mense praeterlapso litteras ad me, hominem ignotum, tantum doctrina inferiorem, quantum locorum intervallo remotum, humanissimas misit, quibus, vel quod studia mea ei probata essent, vel quod *Fr. Aug. Wolfio*, quem magni faceret, ita gratum se facturum esse sciret, omnes opes suas, quas collectas haberet, mihi propediem se missurum esse, pollicitus est. Quatuordecim diebus post plenus et iustus commentarius in Philippicas ad me adlatus est, in quo doctrinae Garatonianae thesauri large dispensati erant. Quas notas doctrinae et subtilitatis plenissimas Garatonius secundum rationem, qua Ciceronis operum editio *) Neapolitana, quam

*) Editio Neapolitana excudi coepta est 1777. eiusque Tom. I. hanc habet inscriptionem: *M. T. Ciceronis libri de officiis tres, Cato maior, Laelius, Paradoxa ex recensione Ioh. Georg. Graevii cum notis variorum, editio novissima post Graevianam locupletior.* T. I. Neapoli 1777. typis et sumtibus I. M. Porcelli. Agebat tum bibliopola Porcelli, ut omnium Tullianorum operum editionem suae genti pararet, quae ad modum editionis Graevianae omnia subsidia vel critico vel interpreti necessaria comprehenderet, sed plura etiam eaque nova. Descripta autem haec erat Ciceronis operum per singulos tomos dispescendorum ratio, ut editio universa conficere-

curabat, descripta erat, Tomo 12. et 13. universi operis comprehendi volebat, at laboris persequendi consilio propter triste fatum, quod editio illa experta erat, abiecto, isti diligentiae et doctrinae fructus aliis haud invidendi multos annos intacti iacuerunt. Quas opes nactus orationum Philippicarum edendarum ratio, quam sequutus eram et in specimine exposueram, mutanda erat, neque tantum Garatonii quaestiones, quibus vel res illustrarat, vel ad criticam rationem textum exegerat, integras reddere, sed etiam notas Variorum, Graeviana editione contentas, repetere debebam, quod notae Garatonii

tur Tomis 36. ac nominatim T. 1 — 2. continerent libros de officiis, Catonem, Laelium, Paradoxa, Tom. 3—14. Orationes, T. 15—22. Epistolas ad famil. et ad Att. T. 23. Epist. ad Q. fratrem, T. 24—26. Rhetorica, T. 27 — 33. reliqua opera philosophica, T. 34. Arati Phaenom. a Cic. conversa et Cic. Fragmenta, T. 35. et 36. clavem Ernestianam. Vixdum duobus prioribus voluminibus in lucem emissis, bibliopola Garatonium in editione adornanda adiutorem et auctorem adscivit. Prodierunt autem eius editionis tantum libri de officiis Tom. 1, et 2. epistolae ad famil. T. 4, univ. op. T. 14 — 17. Rhetoricorum T. 1. 2. univ. op. T. 23. 24. et orationum Tomi 9, univ. op. T. 3—11. Nam quum Garatonius in orationibus edendis occupatus esset, et schedulas suas ad novum Tomum conficiendum Neapolin misisset, eae in itinere perierunt, et ipse bibliopola obaeratus ad libros excudendos sumtus non amplius facere poterat. Hinc Garatonius, laboris taedio captus, operis persequendi consilium abiecit, ita ut notae ad Philippicas, quas T. 11. et 12. orationum comprehendere volebat, paene per 30 annos in scriniis laterent.

priorum interpretum sententias aut infringentes aut confirmantes, illorum demum notis perlectis, intelligi poterant. Editor enim Ciceronis operum doctissimus, eandem, quam in reliquis orationibus edendis servaverat, rationem sequutus, quum non tantum critici generis, sed etiam optima quaeque interpretandi subsidia hic parata haberi vellet, repetitis Variorum notis, quas exhibet editio Graeviana, etiam potiores aliorum interpretum, v. c. *Nic. Lallemandi*, *M. Antonii Ferratii*, *Coelii Secundi Curionis* et ad Phil. 2. *I. M. Heusingeri* addidit; ipse etiam de rebus ex interiore aut historiae aut antiquitatum cognitione repetendis subtilissimas quaestiones instituit, quibus multae partes antiquitatis egregie illustratae sunt. Quod attinet ad criticam rationem, codicem Vaticanum, ad quem principatum omnium codd. detulit, quamquam eum duobus saeculis posteriorem, quam Muretus existimet, in litteris ad me perscriptis habendum esse monuit, denuo excussit. Qua cura codici conferendo impensa, effectum est, ut multa sint accuratius quam ante ex eo enotata, quaeque adhuc observata erant, revera ab eo exhiberi, credere possimus, denique, idque maximum est, ut dissensum Varr. lectt. ex eo codice vel a Mureto, vel a Faerno allatarum, qui me et haud dubie alios magnopere vexavit, exinde natum esse sciamus, quod Muretus ea, quae a secunda manu in illo codice notata erant, non minus probabilia, adsciverit, Faernus contemserit. Docebat igitur, ea, quae a secunda manu profecta essent, non minus bona, litterarum forma antiquitatem

eandem arguere, nec a Faerno negligi debuisse, mihique auctor erat, ut vel propter hanc discrepantiam, vel propter alias caussas Faerni et Mureti praefationes ad editiones suas Philippicarum huic operi praemitterem. Praeterea Garatonius ad textum emendandum duos codices Barberinos (alteri, quem primum vocat, a. 1426, alteri, quem secundum vocat, a. 1405 librarius adscripserat), quos non magni facit, adhibuit et editionem Victor. Camer. Manutii, Car. Steph. Lamb. Aldinam, Romanam 1469, Gryphianam 1539, Venet. 1483 contulit. Relicta igitur pristina ratione, omnis opera ad novas istas copias accommodanda erat. Nimirum ad exemplum editionis Neapolitanae notae priorum interpretum et criticorum excudendae erant, eas excipere debebant notae Garatonianae, atque his adiungenda erant mea, si quid esset, quod monendum putarem, adeo ut tanta notarum mole textus obrutus sit, ut subinde admodum exigua eius pars emergat. — Operosas sane et longiores, quam res posceret, quaestiones ad plurima loca Garatonius pro more suo instituerat; et ut ingenue fatear, quid sentiam, quod nemo facilius mihi ignosceret, quam senex ille humanissimus, si adhuc in vivis esset, quem non amplius superstitem esse, non sine magno dolore e *B. G. Niebuhrii* praefatione ad Ciceronis Fragmenta cognovi, — si meo ex indicio bona parta digerere mihi licuisset, quaedam omisissem, alia contraxissem, de aliis aliter indicassem. At eas omnes et integras exhibere par erat. Nam ut omittam, nefas esse sacrilega quasi manu ea, quae fidei nostrae commissa

sunt, contrectare, aut mutare, verendum etiam mihi erat, ne innumeri Viri Docti, vel apud nos, vel apud exteras gentes, qui diligentiae et doctrinae Garatonianae opes magni faciunt, si alia qualiacunque pro istis thesauris iis venditassem, male de se ipsis me meruisse conquererentur. Itaque, nulla notarum parte aut omissa aut mutata, opera mea in eo potissimum versabatur, ut in iis locis, quos iam ante, cum maxime ad exemplum Codicis Vaticani, saepe invito Ernestio, emendaveram, Garatonii rationes, quibus idem efficere conabatur, refutata Ernestii aliorumque recentiorum criticorum sententia, meo iudicio confirmarem, aliis in locis, quamquam non ita multis, ubi ab eo dissentirem, meam rationem defenderem, atque etiam res obscuriores, ubi existimarem, me rectius vidisse, illustrarem. Ipso rogante Garatonio, coniecturas et notas criticas Ernestii, quoniam eius editionis tum usurpandae ei non facultas data erat, breviter attuli, ita ut bona notarum mearum pars in iis locis, ubi Ernestius reliquit vestigia Vaticani, aut pro temporum modorumque ratione, quam sequitur, aliquid mutavit, indicandis et in rationibus, quibus vulgatam lectionem aut suam sententiam defendat, refellendis occupetur. Nuperrime autem *Christ. Godofr. Schützius*, Vir de omni antiquitate meritissimus, harum orationum textum recensuit. Is quidem multis in locis veram lectionem, Ernestio repugnante, restituit, at in aliis lectionem retinuit, in alios locos aliam lectionem intulit. Quapropter etiam huius editionis mihi mentio facienda erat, ubicunque a nostro textu vel desciseeret, vel

cum eo consentiret, editore Ernestii aliorumve sententiam aut probante aut reprobante. Est autem tanta discrepantia huius textus atque eius, qui est editionis Schützianae et Ernestianae, ut in nonnullis orationibus vix ullum caput reperiatur, ubi non in uno aut duobus locis aut pristina lectio restituta, aut alia correctio adhibita sit. Rarius deserui textum Graevii, qui pressius sequitur vestigia Vaticani; nihilominus tamen etiam hoc facere non dubitavi, si, quid verum esset, contextu, loquendi usu et grammaticis rationibus evictum esse putarem, quanquam tanta est religio Garatonii, ut, quod ab ipso in notis inventum et edoctum esset melius, raro tantum in textum reciperet; plagulis enim, in quibus notas descriptas miserat, editioni Graevianae Cic. oratt. insertis, ubicunque visum esset, textum Graevii, cui commentarii sui adnexi erant, sua manu correxerat. Denique adieci lectiones meorum codicum, Teegernseensis, Gudiani 2., Britannicorum o. ψ. φ., Ienensis, quibus tamen, uti omnibus fere recentioribus libris manuscriptis, ad textum emendandum non valde adiuvamur. Quod verum est, ex Codicis alicuius antiquissimi, v. c. Vaticani aut Colotiani aut Coloniensis, auctoritate aut aliunde fere semper nobis constat, et si qua lectio reperta est in eiusmodi codice recentiore, quae illud confirmet, eam notare non inutile fuerit. Quapropter vehementer nollem, ut Garatonius in editionum permultarum, quas contulit, lectionibus exquirendis tam copiosus fuisset, neque tam largam eius laboris messem in notis haberemus. Unum hoc lectores benevolos ro-

gare mihi liceat ut excusent, quod casu quodam adverso in prioribus 18 plagulis multae resederint in textu lectiones editionis Schützianae, ex quo subinde notarum quaedam et textus discrepantia exstitit. Sunt autem isti loci in errorum indice accurate correcti. Caeterum, quod vitiis typographicis certe rarissime offendimur, id debemus *Godofr. Henr. Schaeferi* diligentiae, Viri laudibus meis superioris. Calci operis commentarius Manutianus et indices adiicientur.

Scrib. Numburgi Idib. Maii a. 1821.

GABRIEL FAERNUS

PETRO VICTORIO S.

Habes tandem quod a me tanto opere petiisti volumen orationum septemdecim M. Tullii, recens a me emendatarum, auxilio maxime vetustissimi eius exemplaris, quod nuper in Sacrario Basilicae Vaticanae sancti Petri Apostoli inveni. De cuius voluminis antiquitate quia ad te multa iam scripsi, nihil hic amplius dicam, nisi arbitrari me, non extare usquam aliud aeque antiquum ex omnibus M. Tullii operibus. Cuius libri auctoritatem quamvis fere sequutus sim, existimavi tamen mihi recentiores quoque, qui modo scripti essent, consulendos: primum quod aliquando, licet id quidem raro, usu venit, ut recentiores libri probatiorem lectionem contineant; deinde ut in eis locis, ubi antiquus hic deficit, ex recentibus, quae possem, emendando supplerem. Non enim omnia quae in hoc volumine edidimus, exemplar id continet, sed tantum philippicas decem

primas et undecimam dimidiatam; praetereaque duo fragmenta, unum duodecimae, alterum tertiaedecimae; item orationem pro Fonteio, omnem illam quae extat in editione vulgata; item duo alia fragmenta, alterum orationis pro Flacco, alterum orationis in Pisonem, in ea tamen parte quae extat. Quod ipsum antiquissimis litteris quas maiusculas vocant, nonnullis tamen aliquantulum in has nostras degenerantibus scriptum est. Quas omnes orationes, ne videremur ea tantum edendo, quae in antiquo libro sunt, magna earum parte fraudasse lectorem, integras, ut quidem extant, voluimus edere; librorum vero scriptorum copiam nobis suffecit partim Vaticana, partim nostra privata bibliotheca. Contulimus autem scriptam lectionem cum impressa Pauli Manutii, omnium commodissima, quae continet Philippicas emendatas ab Hieronimo Ferrario, a cuius editione, ubi antiquus hic liber cum ea concordat, non temere umquam discessimus. Quin etiam multa, quae ille quidem recte emendaverat, sed vel errore et oblivione impressorum, vel quod illis ea non probarentur, neglecta omissaque fuerant, accedente huius antiqui libri fide, reposuimus; ea sunt loca LXXIIX. Ubi vero hic liber ab impressa lectione dissentit, quod in duobus locorum generibus accidit, altero, ubi Ferrarius suos vetustos libros sequutus, vulgatam corrupit, altero, ubi omnes libri, et scripti, et impressi male habent, haerente in hoc

solo antiquo libro vera lectione, nos ex hoc ipso, qui omnes quos habuit aut vidit unquam Ferrarius, longo intervallo vetustate praestat, et lectionem vulgatam reposuimus; id factum est locis CXIX; et antiquam restituimus, quod pluribus locis fecimus, quam ut numerum inire possemus, non verbis tantum, ut fieri solet, variatis, vel additis, vel detractis, sed integris etiam aliquando periodis. Sane nolumus hic fraudare sua laude Ferrarium: praeter enim complura loca, quae prius ab se ex ingenio emendata, postea exemplarium vetustorum auctoritate comprobata fuisse, ipse commemorat, loca alia VII. et XII. contra omnium quos ipse vidisset librorum fidem emendavit ita, ut in hoc nostro postea inveni. Sed et tu nonnulla in his orationibus coniecisti, non pauca et ego; quorum nos hic antiquus liber veros coniectores probavit. Ex quo re ipsa admonemur, in emendandis auctoribus non esse perpetuo libris scriptis inhaerendum, sed aliquid etiam hominum ingenio indicioque tribuendum. Quod propterea libentius commemoramus, quia superioribus litteris tuis mihi significasti, esse istic nonnullos, ad quos huius antiqui exemplaris nuper inventi fama pervenerit, qui has orationes postulent edi ad eum prorsus modum, ut in eo scriptae inveniuntur, neque quicquam omnino variari. Qui si ipsi in hunc librum incidissent, sententiam, mihi crede, mutarent: non enim bene habet semper hic liber, sed multis locis

et ipse mendosus est: inque illis ipsis locis, ubi melior est aliis, non semper omnino sincerus aut rectus est, sed alicubi vestigia tantum verae lectionis ostendit; quae si edere nullo adhibito iudicio voluissem, pro correctore corruptor dici iure potuissem. Librum ergo antiquum sequuti quidem sumus, sed ea cautione, ne ea etiam, quae in eo essent mendosa, sequeremur. Atque ut tibi aliisque lectoribus constaret ratio operae nostrae, libros duos emendationum conscripsimus, alterum in philippicas, alterum in tres reliquas orationes, id est pro Fonteio, pro Flacco, et in Pisonem: in quibus ubicumque a Manutiana editione defleximus, causae mutationis ascriptae sunt, adnotataque, ubi scrupulus aliquis forte restabat, antiqui voluminis lectio licet mendosa, eruendae tamen ei quae vera sit, fortasse in posterum profutura. Coniecta quoque in eos libros sunt multa, quae ex coniectura tum nostra, tum aliorum emendata non ausi sumus in contextum Ciceronis admittere. Non semper autem quotiens quid ex eo libro emendavimus, totiens eum citare necesse habuimus, et volumen saepe repetitis vocibus, et lectorem fastidio oneraremus: sufficere putantes, ubicumque eum non sequimur, profiteri nos, vel ex aliis libris, vel ex ingenio, quod tamen parcissime fecimus, emendasse, vel ita nos legendum putare. Si quorum autem locorum emendatorum mentionem non fecimus, etenim fuisset infinitum omnia persequi, prae-

sertimque ubicumque restituimus ordinem colloca-tionemque verborum, scito nos id fecisse ex antiqui illius exemplaris fide, cuius contextum ita semper sequuti sumus, ut parvam eorum, quae deinde immutata, detracta, addita essent, rationem habuerimus, quod et in aliis exemplaribus, aliisque auctoribus emendandis servare instituimus.

Vale Romae 12. Kl. Novembres MDLXI.

M. ANTONIUS MURETUS

S. P. D.

ADRIANO TURNEBO.

Cum ex Italia, octavo post anno, in Galliam mihi esse redeundum viderem, iudicavi, fore ut mihi vitio verteretur, si ex regione copiosissima et bonis omnibus abundantissima, in qua tot annos versatus essem, redirem ad meos inanis aliqua re exquisita et visenda, qua possem ἀντιφιλοφρονεῖν eos, qui, tam longo intervallo, salvum venisse, ut fit, gratularentur. Quanquam igitur toto peregrinationis meae tempore studiosissime feceram, ut veteres bibliothecas, quae illic plurimae ac pulcherrimae sunt, excuterem, bellissimum quodque, quod suo tempore ad usum hominum depromerem, conditurus: tamen ultimis illis diebus, quibus Romae fui, maiori etiam studio ad eam rem incubui: insita et usitata hominibus consuetudine, ardentiori affectu tractandi atque amplectendi ea, quibus se paulo post cárituros vident. Saepe autem audiveram commendari ab hominibus eruditis volumen quoddam perantiquum

Philippicarum M. Tullii, quod asservaretur in bibliotheca Vaticana, non in maiore quidem illa et augustiore; quae, pontificum beneficio, quotidie fere statis horis patere ad communem studiosorum omnium utilitatem consuevit: sed in abdita quadam, et non ita omnibus pervia, quae a sacerdotibus divi Petri superioribus annis concinnata, postea, sive negligentia hominum, sive fraude, exhausta prope iam et exinanita esset. Sed anxium me ac sollicitum habebat, quod, cum antea multa per me, multa per amicos expertus essem, ut eum librum inspicere, eoque triduum aut quatriduum arbitratu meo uti possem, nunquam successerat; semperque casus aliquis, cum iam iamque, id quod optabam, consecuturus viderer, conatus omnes meos eluserat. Statui tamen, antequam ab incepto desisterem, semel etiam experienda omnia esse, et quasi munitam aliquam arcem diu frustra obsedissem, prius quam re infecta discederem, omnibus simul machinis, omnibus operibus ad murum admotis, tentandam irruptionem. Quid quaeris? puncto temporis obtigit, quod totum prope biennium nequicquam optaveram. Non modo enim mihi eximium illum librum inspicere licuit, quod ego ipsum posuissem in magni beneficii loco: sed etiam permissum est, ut eum mecum auferrem, domique haberem, data prius fide, eum, quod longissimum esset, ante septimum diem

redditum ac restitutum iri. Tum vero, tanquam longo tempore collectam sitim explere cupiens, ita eum avide pervolutare, et cum iis, qui ab eruditissimo ac diligentissimo viro, Hieronymo Ferrario emendati erant, conferre coepi, ut me, quanquam graviter aegrotare coeperam, non valetudinis ratio, non cibi potionisve necessitas, non ille ipse omnium domitor (ut eum poetae Graeci dicunt) a tam dulci occupatione posset somnus abducere. Praeclare autem mihi constitit operae meae fructus. Non enim facile crediderit quisquam, quam multa in his orationibus mutila, quam multa temere addita, quam multa corrupta ac depravata legerentur in omnibus aliis libris, quae huius ope expleta, refecta, sanata et integritati suae restituta sunt. Librum autem ipsum credo equidem ante hos septingentos annos exaratum esse. Quod et ipsa litterarum conformatio ostendit plerisque locis gemina ei quae in Pandectis Florentinis et in Terentio Petri Bembi visitur: et scribendi ratio, quam ὀρθογραφίαν vocant, eadem plane quae in iis, quos modo nominavi, libris et praeterea in antiquissimo illo epistolarum Ciceronis, cuius exemplum abhinc triennium divulgavit P. Victorius. Quam quidem cum ex aliqua parte exprimendam curaverim, non tamen sum ausus perpetuo id facere, ne nimia illa novitas (si quidem nova dicimus etiam ea, quae cum vetera sint, diu ab ocu-

lis et ab usu hominum abfuerunt) lectoribus et moram obiiceret, et molestiam pareret. Ut taceam, quod quaedam in iis libris inesse iudico, errore potius, et vitio illorum temporum, quam ratione, et auctoritate superiorum recepta. Cuius generis sunt *emptus*, *sumptus* et similia per litteram p: in quo ita immoderata fuit aetas illa, ut *sollempnia*, et *sompnum*, et *temptare*, plerique omnes tum scriberent. Sed et illud ex eodem fonte fluxisse puto, quod litteras multas inter se commutabant: cum *apsum* et *optineo*, contraque *scribtura* et *obtare* saepe in eorum libris legatur. In eundem numerum incluserim *avieris* pro *abieris* et *Bolumniam* pro *Volumniam* eiusdemque generis innumera. Nam illud quale esse dicam, nescio, quod *lathrones* et *lathrocinia* prope semper scribebat is, cuius manu ille Philippicarum liber scriptus est. Ne illa quidem exprimenda duxi, *adficere*, *adponere*, *conligere*, *conlegi*, *inlustris*, et talia, aut *aecum*, *relicuum*, *locuntur*, *cottidie*: quae tamen non eiusdem generis, cuius illa, esse duco: aut illa, *immemoriam* pro, in memoriam, *summast* pro, summa est, et similia: etsi haec quidem non plane aspernanda censeo. At haec leviora sunt. Illud maioris momenti, quod locos amplius trecentos, in omnibus aliis libris depravatos, a nobis emendatos videbit, quisquis hanc editionem cum aliis conferre voluerit. Tibi autem,

Adriane Turnebe, vir optime et doctissime, hunc laborem meum inscribere et quasi consecrare placuit, tum, ut exstaret monimentum aliquod veteris amicitiae nostrae, tum, ut liber ipse hoc nomine studiosis omnibus gratior et commendatior foret. Et sane sive quaerendus erat amicus de me bene meritus, cui hoc munusculum daretur, neminem ordinis nostri videbam, cui plus deberem: sive deligendus judex, qui de his rebus existimare unus omnium optime posset, nullum reperire poteram, cui justius id deferretur, quam tibi. Non enim aut obscurum aut ambiguum est, inter omnes, qui hodie litteras tractant, ad quem ex hominibus nostris primae sine controversia deferantur. Vale, meque, ut facis, amare perge. Lutetiae id. Mart. anno MDLXII.

M. T. CICERONIS

ORATIONVM

PHILIPPICARVM

PARS PRIOR

IN M. ANTONIVM PHILIPPICARVM LIBER PRIMVS 1) SEV PHILIPPICA PRIMA.

IN PRIMAM PHILIPPICAM NICOLAI ABRAMII PROOEMIVM.

Post Iul. Caesaris necem videns Orator oppressam armis Antonii remp. desperata libertate statuerat in Graeciam proficisci ea mente, ut rediret ad Kal. Ianuarias, quibus Hirtius et Pansa, designati Consules, magistratum inirent, cum, ut ipse Cornificio scribit, illum Etesiae, quasi boni cives, relinquentem remp. prosequi noluerunt, Austerque adversus maximo flatu ad Leucopetram, unde conscenderat, quod est agri Rhegini promontorium, rejecit. Ibi cum a multis audiisset res conventuras, et Antonium

1) Ed. Romana MCDLXXI. et Veneta MCDLXXXIII, *M. Tullii Ciceronis in M. Antonium Orationes, quae Demosthenis in Regem Philippum Macedonem exemplo Philippicae nuncupantur. Prima.* Veneta MCDLXXX. non habet Philippicas. In *libros* autem fuisse distinctas, veteres Grammatici docent, et codex Guelpherbytanus XI. seculi apud cl. I. Frid. Heusing. post Mall. Theod. de metris p. 113. in quo legitur: *Incipit liber primus Philippicarum.* In optimo etiam Vaticano *libri* appellantur. GARATONIVS.

repudiatis malis suasoribus ad auctoritatem Senatus esse rediturum, mutata profectionis voluntate, ventis remisque in patriam omni festinatione properavit. Ad urbem accessit pridie Kalendas Septembres, magnoque concursu totius civitatis, tanquam amantissimus reipublicae civis, et publicae libertatis assertor, exceptus est. Kalendis Senatum convocavit Antonius, et nominatim iussit adesse Ciceronem. Ille, sive quod revera langueret de via, sive quod Antonii metueret insidias, non adfuit, absentiaeque suae caussam morbum praetexuit. Enimvero sic Antonius exarsit, ut elatus ira minatus fuerit, se fabros, qui solo domum Ciceronis aequarent, esse missurum. Postridie venit Tullius, Antonius non venit, Dolabella, qui Consul a Caesare destinatus, post eius necem Consulares fasces invaserat, Senatui praesedit. Orator in summa reliquorum servitute liber unus fuit, et primo quidem exposuit consilium profectionis et reversionis suae, deinde de hesterna Antonii iniuria conquestus, et ad eius in remp. scelera delapsus, sic est in eum invectus, ut ille non ferret, sed omnem vinolentum suum furorem in Ciceronem effunderet. Hanc porro, caeterasque deinceps in Antonium orationes Philippicas inscripsit, ad imitationem Demosthenis, qui suas in Philippum Macedonem conciones Philippicas nominavit. Plutarchus in Cic. περὶ δὲ τῶν Δημοσθένους λόγων ἐρωτηθεὶς, τίνα δοκοίη κάλλιστον εἶναι, τὸν μέγιστον, εἶπε. καίτοι τινὲς τῶν προσποιουμένων Δημοσθενίζειν, ἐπιφύονται φωνῇ τοῦ Κικέρωνος, ἣν πρός τινας τῶν ἑταίρων ἔθηκεν ἐν ἐπιστολῇ, γράψας, ἐνιαχοῦ τῶν λόγων ἀπονυστάζειν τὸν Δημοσθένη. τῶν δὲ μεγάλων καὶ θαυμαστῶν ἐπαίνων, οἷς πολλαχοῦ χρῆται περὶ τοῦ ἀνδρὸς, καὶ ὅτι περὶ οὓς μάλιστα τῶν ἰδίων ἐσπούδασε λόγων, τοὺς κατ' Ἀντωνίου, Φιλιππικοὺς ἐπέγραψεν, ἀμνημονοῦσι. De orationibus Demosthenis rogatus quam maxime probaret, longissimam, respondit. Licet nonnulli, qui se Demosthenis simulant aemulos, arripiant dictum Ciceronis, quod in epistola ad quosdam amicos scripta posuerint, in orationibus interdum indormire Demosthe-

nem: immemores, quantis et quam insignibus laudibus illum passim extollat, et quod orationes in quibus prae caeteris suis elaboravit, appellaverit Philippicas. 2)

ARGVMENTVM P. MANVTII.

Interfecto idibus Mart. C. Caesare, M. Antonius, collega eius in consulatu, sibi metuens, non solum eo die latuit, verum etiam texit aliquandiu consilia sua, simulatione ad tempus accommodata. postridie idus actum est cum eo de communi concordia per consulares viros. post diem tertium, qui fuit XVI Kal. Apr. in aedem Telluris convocato senatu, Cicero, quantum in ipso fuit, iecit fundamenta pacis, discordiarumque memoriam omnem, vetere Atheniensium exemplo, oblivione sempiterna delendam censuit. quo die praeclare de rep. locutus Antonius, consequentibus etiam diebus non dubia suae voluntatis argumenta dare visus est. misso parvulo filio, pacis obsi-

2) In Germanicis Bruti et Ciceronis epistolis haec M. Brutus habet ep. 5. *Legi orationes duas tuas, quarum altera* (Philipp. V.) *Kalendis Ianuariis usus es: altera* (Philipp. X.) *de litteris meis, quae habita est abs te contra Calenum. Nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem. Nescio animi, an ingenii tui major in his libellis laus contineatur. Iam concedo, ut vel Philippici vocentur, quod tu quadam epistola iocans scripsisti.* Cicero autem ep. 4. de Philippica XI. ita scribit: *Haec ad te oratio perferetur, quoniam te video delectari Philippicis nostris.* Vides itaque, si fides his litteris haberi potest, Philippicarum nomen ortum ab ioco esse, quod in serium vertit; cum initio aliter inscriberentur. *Antonianae* vocantur a Gellio I. 22. VII. 11. XIII. 1. et 21. Apud eumdem I. 16. *M. Cicero in sexta in Antonium.* Cum tamen antea Quinctilianus, et Iuvenalis, et Suetonius Philippicas appellare non dubitarint. Appianus quoque p. 968. ed. Toll. *τοὺς κατ' Ἀντωνίου λόγους οἷα τυράννου συγγράφων, ἐς μίμημα τοῦ Δημοσθένους, Φιλιππικοὺς ἐπέγραφεν. orationes in Antonium, tamquam tyrannum, conscribens, ad imitationem Demosthenis, Philippicas inscripsit.* Lactantius VI. Divin. Instit. 18. *nobiles orationes alieno titulo inscriptas* appellat. In cod. Guelpherb. apud Heusing. l. c. p. 112. Lactantii cuiusdam, veteris Grammatici, verba hunc titulum explicantia describuntur. Ea vero deteriorem aetatem profecto sapiunt. Garaton.

de, in Capitolium, C. Cassium ipse, M. Brutum Lepidus, pontifex max. alii alios ex tyrannoctonis, qui post Caesaris necem, populi, et Antonii maxime Consulis metu, in Capitolium se contulerant, cenae adhibuerunt. Sed fictam personam sustinere diu nemo potest. Cum Caesarem, quamquam in libera civitate, singulari potestate usum, funere tamen efferri placuisset: qui fons malorum omnium fuit: (sic enim tyrannum non fuisse iudicabatur: nam tyrannorum corpora proiiciuntur inhumata) laudavit eum de more Antonius in foro: commemoratisque rebus ab eo gestis, maximisque erga remp. meritis, explicata demum cruenta veste, in qua caesus fuerat, multis pugionum ictibus perfossa, convertit orationem ad miserationem commovendam, populumque iam dolore incensum in eam iracundiam furoremque impulit, ut statim a funere ad domum Bruti et Cassii cum facibus accurrerit: unde aegre repulsus est. Brutus et Cassius, vitato praesenti periculo, concitatae multitudinis vim timentes, Antoniique perfidiam iam satis experti, Antium et Lanuvium aufugerunt, eo consilio, ut inde in provincias a senatu decretas proficiscerentur. Decreverat autem senatus, postridie quam e Capitolio Caesaris interfectores descenderunt, Bruto Cretam, Cassio Africam, Trebonio Asiam, Cimbro Bithyniam; D. Bruto Galliam citeriorem, datam a Caesare antea, confirmavit. Idem tamen, quasi ad sanitatem revocatus, reliquis diebus in Capitolio praeclara S. C. fecit, primum illud e Ser. Sulpicii sententia, ne qua post idus Mart. immunitatis tabula, neve cuius beneficii figeretur: deinde, ut dictaturae nomen in perpetuum e rep. tolleretur. Lux quaedam oblata videbatur: erecti erant spe libertatis et otii bonorum animi; constituta resp. putabatur, sed cito ille simulationem sustulit, suique similis visus est. habito enim Kalendis Iun. senatu, non eum, quem antea, de rep. sensum, nec superiorum dierum actis consentientem voluntatem ostendit. nihil deinde ad senatum referebat; per populum, id est per infimam corruptamque plebem, contempta amplissimi ordinis auctoritate, agebat omnia contra S. C. quod ipse fieri

voluerat, tabulas figebat, civitatem immunitatesque dabat, exsules reducebat; eaque se facere omnia dicebat ex legibus Caesaris, aut ex eius commentariis. Tum Cicero, desperata prorsus Antonio consule libertate, urbem reliquit, in Graeciam iturus, ea mente, ut Kalendis Ian. quo die Pansa et Hirtius consulatum inituri erant, adesset. nec tamen iter illud absolvit. nam Leucopetrae adversa tempestate detentus, ab iis, qui ab urbe venerant, et concionem accepit Antonii, quam valde probavit; et ea cognovit, unde revertendi consilium cepit. Post reversionem, de via languens, in senatum, qui Kalendis Sept., ut Phil. V. legitur, in aede Concordiae habebatur, non venit. quo graviter commotus Antonius, fabros se missurum, et domum eius disturbaturum, audiente senatu, dixit. Postridie, id est, IV nonas Sept. in senatum venit, absente Antonio: et hac oratione prima exposuit consilium profectionis et reversionis suae: deinde questus est graviter de Antonii hesterna iniuria: tum leges illius reprehendit; postremo utrumque consulem, absentem Antonium, praesentem Dolabellam, quem sibi, profecturus ad bellum Parthicum, Caesar suffecerat, hortatur, ut veram solidamque gloriam sequantur; diligi a suis civibus malint, quam metui; rempublicam omni ratione complectantur. Genus orationis demonstrativum est: nam in accusando Antonio potissimum versatur. non enim tam Ciceroni σκοπὸς est, ut consilium exponat profectionis reversionisque suae: quamquam id omnino fieri decuit, ne boni civis officium deseruisse videretur: quam ut Antonii queratur iniuriam, et eius acta, non modo ut iniusta, sed etiam ut Caesaris actis contraria, reprehendat. Admista quaedam videntur, quae ad deliberationem pertineant: ut cum acta Caesaris, praesertim leges ab eo latas, defendenda esse censet, non ferendas autem promulgatas ab Antonio leges, quae Caesaris actis adversentur.

ARGVMENTVM ABRAMII.

M. Tullius post necem C. Caesaris statuerat in Graeciam proficisci, cumque iam ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, provectus esset, subito mu-

tata voluntate redierat. Id homines inconstantiae tribuebant, quare prudenter Orator ut auctoritatem conciliet orationi suae, hanc levitatis opinionem deprecatur, et tum profectionis, tum reversionis suae consilium exponit: et nunc quidem reddit profectionis suae rationem.

ANNOTATIO LAMBINI.

Principio hoc testatum volo, omnes fere emendationes Philippicarum esse sumtas de codice Vaticano manuscr. cuius inspiciendi et consulendi laborem susceperunt Muretus et Faërnus. Itaque breves hic erimus. satis est admonitum esse lectorem, quidquid hic erit immutatum, magnam partem ab illis viris ex auctoritate codicis illius optimi esse emendatum. Si quid erit aliud, id acceptum referri debebit et codicibus Memm. et nostris coniecturis.

I. Antequam de re publica, Patres conscripti, dicam ea, quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breviter consilium et profectionis et reversionis meae. Ego quum sperarem, aliquando ad vestrum

Antequam] Monent Rhetores in genere deliberativo plerumque non requiri exordium, quod pene semper qui audiunt, satis sint ad audiendum parati. Hic igitur Orator exordium omitit sola dicendorum propositione, sive orationis divisione contentus. duo, inquit, agam hac oratione, primo exponam consilium profectionis meae, secundo agam de rebus ad universam rempublicam spectantibus. ABRAM.

Et reversionis meae] Ita omnes libri. Tamen Nonius p. 222. et p. 299. edit. Merc. legit: *exponam vobis breviter consilium profectionis et regressionis meae.* Sed vide Manutium. Habeo autem duos Philippicarum codices Barberinos, alterum num. 1404. cui Librarius annum adscripsit MCDXXVI. quem *primum* vocabo, alterum num. 1405. aetatis eiusdem, quem *secundum* nominabo. Codicem omnium praestantissimum, qui in Archivo Basilicae Vaticanae servatur, cum initio putassem post Faërnum, Muretum, et Ursinum quarto conferri non oportere, postea, scriptis adnotationibus, contuli diligentissime: non ut nova depromerem; quamquam relictum mihi vidi nonnihil; sed ut dubitationes eximerem, quas mihi collatorum aut dissensus, aut silentium iniecerat. De eo codice sic habeto, ubi nihil monetur, ab editione Graeviana eum non discedere. GARATONIUS.

Ego, cum sperarem] Initium

consilium auctoritatemque rem publicam esse revocatam, manendum mihi statuebam, quasi in vigilia quadam consulari ac senatoria. Nec vero usquam discedebam, nec a re publica deiiciebam oculos, ex eo die, quo in aedem Telluris convocati sumus. In quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Atheniensiumque renovavi vetus exemplum,

narrationis, sive expositionis consiliorum suorum. Initio, inquit, statim post Idus Martias Caesare de vivis sublato, cum putarem reip. administrationem Senatui esse restitutam, quae tyrannide Caesaris erepta fuerat illi ordini, mihi in Urbe manendum esse statuebam, ut ego auctoritate consulari et senatoria, tanquam in vigilia quadam positus, reipublicae saluti invigilans excubarem, et reipublicae semper intentus oculos alio non deflectebam. ABRAM.

Ad vestrum consilium auctoritatemque] *Auctoritatem* libri veteres: et ita scribi oportere non solum grammatici antiqui docent, qui quidem hoc vocabulum ab augeo declinatum tradunt, sed etiam ex antiquorum monumentorum inscriptionibus apparet. FERRARIVS.

Nec a republica deiiciebam oculos] Hunc locum profert Nonius: profert et illum, qui non multo post sequitur, *non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato.* LAMB. Heic Nonius p. 289. male omittit, *discedebam*, et alio ordine habet *oculos deiiciebam.* Neque enim tentandum est, altero *nec* deleto, *nec vero usquam a rep. oculos deiiciebam.* Barb. prim. *aut a rep.* in sec. margini adscribitur, alios pro *deiiciebam* habere *deflectebam*, quae interpretatio est, a Noniana non dissidens. Nonius enim *deicere* heic explicat *avertere*. Idem p. 327. profert etiam sequentia, *in quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis.* GARATON.

Ex eo die] Ex decimoquinto Kalendas Aprilis, sive tertio post Idus Martias, ut constat e secunda Philipp. *Cum caeteri Consulares irent ac redirent, in sententia mansi, neque te illo die, neque postero vidi,* etc. *Post diem tertium veni in aedem Telluris, et quidem invitus, cum omnes aditus armati obsiderent.* ABRAM. Vide ad II. 35.

Quo in aedem Telluris] Cur Antonius eo Senatum convocarit, scribit his verbis Appianus: *Legebatur adhuc noctu edictum Antonii Senatum in aedem Telluris convocantis ante lucem, quod ea aedes propinqua esset aedibus ipsius. Neque enim Curiam adire audebat, subiectam Capitolio, quod gladiatores opem ferrent conjuratis.* IDEM.

Atheniensiumque renovavi ve-

Graecum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa; atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam

tus exemplum] Liber Colotianus, et alii nonnulli, *revocavi.* quod ut eiiciam, verbum proximum inferius facit. Sic in III lib. de orat. *Acerba sane recordatio veterem animi curam molestiamque renovavit.* FERR. *Renovavi vetus exemplum etc.*] Ita Pall. nostri duo. ii enim soli erant ad manum. aliae aliquot edd. *revocavi,* quod respuendum vel ideo, quod proxime praecessit, *convocati.* GRVTERVS. Graev. in V. L. pro vulgata habuit, *revocavi.* Sed ex meis editis solae id habent repetitiones Lambinianae. Ipse Lambinus firmat vulgatam omnium, quos habeo, antea editorum *renovavi* suorum codicum testimonio, quibus uterque Barb. et Vaticanus accedit. GAR. Veterem lectionem *renovavi* habent Teeg. Ien. *revocavi* est in φ. Est illa aptior, atque ante erat etiam: *convocati* sumus.

Graecum etiam verbum] Quidam hoc loco inferserant Graecam vocem ἀμνηστίας. ego summa fide optimi ac veterrimi libri scripturam expressi: quid autem de hoc loco sentirem, indicavi iampridem, cap. 15, libri 11. variarum lectionum. MVRETVS. *Graecum etiam verbum usurpavi, quo tum etc.*] Quidam huc Graecum verbum, ἀμνηστίαν, inculcarant, sane inconsiderate, ne dicam stulte et inscite. Nam primum non habent libri veteres, praeter unum, in quo id reperi: deinde, si quod esset scribendum, non amnestiam, sed μὴ μνησικακεῖν, seu litteris Latinis *me mnesikakein*, esset inserendum, ut ostendit Muretus, lib. 11. Var. lect. c. 15. LAMB. In meo vetusto libro perperam scribitur, *Graecum etiam verbum usurpavi amnestiam, id est, non recordationem.* Unde patet a magistro margini fuisse adscriptum, quod in contextum irrepsit. In Amsterdamensi, Coloniensi, Francii codd. non legitur. GRAEV. Cod. Car. Steph. cum uno illo Lambini, nisi forte idem est, *Graecum etiam verbum amnestiam usurpavi.* Cum libris melioribus nihil tale heic agnoscunt Barberini, et editi, quos habeo. Verbum porro illud a Cicerone usurpatum adversus Muretum contendit heic Manutius, quicum facit Franciscus Fabricius ad Orosium II. 17. et Schottus ad Victor. de Caesar. XXXV. 7. quem consule. Appiani locis a Manutio allatis alium adde p. 914. ed. Toll. Rem aliis diiudicandam relinquo, ut cl. Burmannum Sec. ad Vales. Emend. I. 33. p. 41. fecisse video. GAR.

Quod tum in sedandis discordiis usurpaverat civitas illa] Sic liber Langobardicis litteris scriptus, quicum plerique consentiunt, *Quod tum in sedandis discordiis erat civitas illa.* Col. *Quod tum in scandalis discor-*

censui. Praeclara tum oratio M. Antonii; egregia etiam voluntas; pax denique per eum, et per liberos eius cum praestantissimis civibus confirmata est.

daverat civitas illa. Nonnulli, *Quod tum in sedandis discors erat civitas illa.* Unus atque alter hoc modo, *Quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa.* Quae varietas hanc in opinionem me adduxit, ut putarem, M. Tullium ita scriptum reliquisse, *Quod tum in sedandis discordiis civitas illa.* Hanc autem varietatem ab illis hominibus emanasse, qui sub omnibus locis atque verbis glossemata subscribunt: qui quidem cum periodo huic aliquid deesse vidissent, atque aliud alii tanquam praeteritum retulissent: in horum postea libris describendis, ducti errore librarii suggesta illa verba, et tanquam adulterina cum veris germanisque contexuerunt: quae sensim latius disseminata omnes fere libros occuparunt. Tu tamen, ne nimium nobis sumere videamur, fac tantisper in tuis sit, vel ut ante fuit, vel, quoniam nullis in libris veteribus reperitur *usurpaverat*, ut in his duobus est, quos extremos protuli: dum librum nobis assentientem inveniamus. Ferrar. *Quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa*] Hanc lectionem mutato tantum duorum verborum ordine, in hunc modum, *usa erat*, continet etiam antiquus liber, quod testatum voluimus, ne propter magnam lectionum in hoc loco varietatem immutare impressam quis auderet, cum eam sciret esse antiquissimam. Faërnus. Barb. ambo, Rom. Ven. Ald. Naug. et Cam. *quod ... usurpaverat:* ita etiam Gryphiana MDXXXIX. cuius margini adscripsit Bartholomaeus Barbadorius, *quo ... erat usa*, quomodo P. Man. Car. Steph. Lamb. et Grut. Ordinem codicis Vatic. Graevium quoque neglexisse miror, cum, nisi Ferrarius vere coniecerit, ex *usa erat* natum sit *usurpaverat*, adiuvantibus, quae praecedunt. Gar. Propter magnam in his verbis lectionis varietatem, (quod adeo nonnulli codd. habent: *usurpaverat*, pro *usa erat*,) Ferrarius, cui Ernestius adsentitur, coniecit: *quod tum in sedandis discordiis civitas illa*, quem ellipticum sermonem, a nullo codice confirmatum, Ciceronem admisisse, mihi neutiquam persuadere possum. Itaque a textu, qualem hic Schützius exhibuit, qui coniecturam Ferrarii adeo in textum recepit, recedendum esse puto. Lectionem illam *usurpaverat* ex illis verbis: *usa erat*, natam esse, nemini mirum videri potest. Caeterum cum Garatonio facio, qui contendit, eo ordine, qui est in Vat. *usa erat civitas illa*, non, uti Graevius voluit, *erat usa*, scribendum esse. Abest *usa* a Ien. Gud. 2. et φ.

Egregia etiam voluntas] Cod. ad marg. Lamb. et editio Rom. *egregiaque voluntas.* Gar.

Per liberos eius cum praestantissimis civibus confirmata est]

Atque his principiis reliqua consentiebant. Ad deliberationes eas, quas habebat domi de re publica, principes civitatis adhibebat; ad hunc ordinem res optimas deferebat; summa constantia ad ea, quae

Per Antonium, quem M. Antonius ex prima sua coniuge Fadia, M. Fadii Bambalionis filia, susceperat. infra: *Reipublicae tuus parvulus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit.* Percussores enim Caesaris Antonii Consulis, et M. Lepidi magistri equitum metu in Capitolium confugerant. Senatus in aedem Telluris convocatus: praeclaram orationem habuit Antonius, et imprimis Cicero persuasit, ut omnem memoriam discordiarum sempiterna oblivione delerent. invitantur percussores, ut ad Senatum veniant, et in commune de summa republica deliberent. sed cum sibi adhuc metuerent, nec auderent e Capitolio descendere, filium suum obsidem in Capitolium misit M. Antonius. Abram. Vide infra ad III. 6.

Per liberos eius] Imo per unum filium, ut omnes historici tradiderunt: sed liberos numero multitudinis pro unico filio, aut etiam filia Latini scriptores libenter usurpant, ut ex Gellio et Iurisconsultis notavimus in orat. de Provinciis Consularibus. Idem.

Principes civitatis] Pro Sextio: *Horum* (optimatium) *qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda republica serviunt, defensores optimatium, ipsique optimates gravissimi, et clarissimi cives nominantur, et principes civitatis.* Idem.

Ad hunc ordinem] Ad Senatum. hic autem exponit, quam praeclare initio se gesserit Antonius, ut hinc liqueat, quam habuerit causam remanendi in Urbe Tullius, et quanta spes tum affulserit constituendae reipublicae. Idem.

Summa cum dignitate et constantia, etc.] Omnes libri veteres commutant ordinem. ab his etiam nonnihil discrepant, hoc modo, *Ad hunc ordinem res optimas deferebat, nihil tum in C. Caesaris commentariis reperiebatur, summa cum dignitate, constantia ad ea, quae quaesita erant, respondebat.* Qui quidem, quod ad ordinem attinet, valde placent. placent autem propter insequens membrum, quod ad hoc extremum multo aptius, quam ad illud alterum quadrat: nec insolens ac novum, ut duo verba sublata e medio coniunctione dicantur. Cicero in epist. ad Appium: *Quoque plura virtutis, industriae ornamenta in te sunt.* et in XIII Phil. *Tamen eorum ora, sermones, qui ex eo numero in urbe relicti sunt. Nisi quod erat notum omnibus*, deesse, non abesse mihi videtur. nam et recentiores retinent, et hoc, quam illud, verisimilius est. Ferrar. *Summa cum dignitate constantia*] Antiquus liber omissis duabus mediis vocibus habet, *summa constantia.* et sane quemnam hic

quaesita erant, respondebat: nihil tum in C. Caesaris commentariis, nisi quod erat omnibus notum, repe-

locum dignitas habet? aut si quem habet, quanta quidem dignitas dici potest in eo esse, qui nihil aliud facit, nisi quod ad quaesita de re quapiam gesta ea, quae novit ipse, respondet? ut quidem aliqua in eo esse dignitas possit, certe summa non erit. FABRN. *Summa constantia*] Non improbo equidem, quod de hoc loco homini eruditissimo ac diligentissimo Ferrario visum est: sed tamen, cum voces illae, quae inter has interiectae legebantur, ab optimo libro, sine ulla suspicione liturae, abessent, cur non eas expungerem, causae nihil esse sum ratus. MVRETVS. *Deferebat: summa cum dignitate etc.*] Hunc ordinem verborum servant Pall. et vetuste cusi. inepte Lambinus, qui Hier. Ferrario assensus mutavit. nihil enim horridius transpositione illa periodi istius, dummodo quis propius attendat. GRVT. Ordinem, et verba quae reperit Ferrarius in suis, itidem in meis reperi, nisi quod in Francii legatur: *summa cum dignitate constantiaque.* Sed tamen *que* aliena manu est adiectum. In Amsterd. vero, ut in vulgatis, *cum dignitate et constantia.* Unde satis liquet, *dignitate* irrepsisse aliunde, non vero profectum esse a Tullio, itaque merito illam vocem in suis editionibus delevisse Faernum et Muretum, quamvis ceteri repugnent. GRAEV. Ordinem MSorum Ferr. et Graevii servat Barb. sec. imo etiam edd. P. Man. Car. Steph. et Lamb. eumdemque notavit ad Gryphianam Barbadorius. GAR. Inversum horum verborum ordinem, ut post; *deferebat* sequantur: *nihil tum in C. Caes. c. rep. summa const. a. e. q. q. e. respondebat,* quem Ferrarii codd., Palatini, et Graev. exhibent etiam Ien. et Teeg. Praeplacet autem iste mihi propter easdem caussas, propter quas Ferrarius eum defendit. Verba illa, inter *summa* et *constantia* inserta: *cum dignitate,* quae codd. Ferrarii, Graev. Teeg. Gud. Ien. exhibent, merito tanquam glossam ex auctoritate unius cod. Vat. Graevius, Ernestius et Schützius ejecerunt. Quemadmodum autem Vat. auctoritatem et priorum editorum exemplum in his verbis eiiciendis Ernestius et Schützius secuti sunt, vellem, ut imitati essent iidem in recipiendis vocibus: *nisi quod erat omnibus notum,* post verba: *nihil tum,* quae sunt in Vat. at in reliquis codd. etiam in Teeg. Gud. Ien. Anglic. desiderantur. Ernestius non proptera verba illa damnare debebat, quod non sensum commodum praeberent, nam dum ea, quae e commentariis proferebat, iam dudum tanquam Caesaris acta nota essent, etiam magis cuique persuasum esse debebat, Antonium non sua pro Caesaris actis venditare, quod postea fecit.

Nihil tum in C. Caesaris commentariis] Non modo in antiquo,

riebatur. Num qui exsules restituti? Unum aiebat, praeterea neminem. Num immunitates datae? Nullae, respondebat. Assentiri etiam nos Ser. Sulpicio, clarissimo viro, voluit, ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti Caesaris aut beneficii figeretur. Multa praetereo, eaque praeclara. Ad singulare enim M. Antonii factum festinat oratio. Dictaturam, quae vim iam regiae potestatis obsederat, funditus ex re publica sustulit. De qua ne sententias quidem diximus. Scriptum senatusconsultum, quod fieri vellet, attulit. Quo recitato, auctoritatem eius summo

sed in aliis omnibus libris est hic ordo verborum, *nihil tum*, *nisi quod erat notum omnibus*, *in C. Caesaris commentariis reperiebatur*. FAERN. In nullo quatuor codicum, quos ego excussi, leguntur haec verba, *nisi quod erat notum omnibus*. GRAEVIVS. Desunt eadem in utroque Barb. sed in margine secundi alia manu adiecta fuerunt, nescio an Angeli Politiani, cuius fuit is codex, ut ex inscripto Graece illius nomine apparet. GAR.

Unum aiebat] Videtur intelligere Sextum Clodium, de quo ipse Antonius epistola quadam ad Ciceronem, quae habetur lib. 14. ad Atticum: *A Caesare petii, ut Sext. Clodium restitueret, impetravi*, etc. quae fusius referemus 2 Philipp. Paulo post autem mutatus in deterius, immunitates vendidit, exules revocavit, syngraphas nomine Caesare supposuit, multaque alia scelera designavit, de quibus 2 Philipp. ABRAM.

Servio Sulpicio] De hoc S. C. item de dictatura sublata vide quae diximus 2 Philipp. IDEM. Barbador. *Adsentire etiam*, unde autem, nescio, sed ex coniectura id esse non puto. Plautum, et alios, et ipsum Tullium ita locutos, nemo ignorat. Confer Drak. ad Liv. XXXIX. 52. et Buneman. ad Lactant. I. Div. Inst. 15. 19. Sed Vatic. firmat *adsentiri*. GAR.

Multa praetereo, *aeque praeclara*] Antiquus liber corrupte habet, *ea quo clara sunt*: unde Ant. Augustinus coniecit legendum, *eo quod clara sunt*. sed non video, cur receptam lectionem mutare necesse sit. F. VRSINVS. Ien. *ea quae clara sunt*.

vim—obsederat] Neque haec phrasis: *dictatura obsidet vim regiae potest.* nec sequens: *lux oblata est* offendere debebant Ernestium. Obsidere est i. q. occupare, tenere, neque opus est coniectura: obtinere. vid. 2. Verr. 2. *hominem ab isto quaesitum esse*, *non qui reum suum adduceret*, *sed qui meum tempus obsideret*, i. e. occuparet et me accusatum impediret. Orat. c. 62. Liv. 40, 20. Sine caussa Ern. pro *oblata* scribere vult. *oborta*, quae lectio inest Angl. Cod. 9.

studio secuti sumus, eique amplissimis verbis per senatusconsultum gratias egimus.

II. Lux quaedam videbatur oblata, non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato: magnumque pignus ab eo rei publicae datum, se liberam civitatem esse velle, quum dictatoris nomen, quod saepe iustum fuisset, propter perpetuae dictaturae recentem memoriam, funditus ex re publica sustulisset. Liberatus caedis periculo paucis post diebus senatus, uncus impactus est fugitivo illi, qui

Lux quaedam videbatur oblata] Salus. vide quae diximus in Pisonem: *Qui dies post obitum occasumque nostrum reipublicae primus illuxit.* Abram.

Liberatus caedis periculo] Servus quidam, quem Epitome Livii Chamacem, Valerius Maximus Herophilum, Amatium Appianus appellat, cum se Marii septies Consulis filium esse simularet, multas, adhuc vivo Caesare, turbas in Urbe et tota Italia concitarat: et a Caesare in exilium eiectus, audita eius nece, rediit in Urbem, plebemque denuo concitavit, et iam in Senatus universi necem erat intentus, cum ab Antonio Consule primum in vincla coniectus, deinde etiam morte punitus est. Idem. Meus pervetustus codex: *liberatus caedis periculo videbatur.* Optime. Graevius. Cod. Car. Steph. *Liberatus est caedis periculo.* Eodem ex fonte manasse arbitror *est*, et *videbatur*, ab interpretum scilicet ingenio. Itaque cum ceteris omnibus libris utrumque repudio. Lamb. *periculo caedis*, item Barbador. quomodo Vatican. cuius tota lectio cum recepta in ceteris, quae fuit ab uno Graev. interpolata, consentiens haec est: *Liberatus periculo caedis paucis post diebus senatus, uncus etc.* Gar. Additam e glossa vocem *videbatur* post *senatus* in Cod. Graevii exhibet etiam Cod. Ien. Temere placuit Ernestio transpositio verborum in Guelf. *lib. c. p. senatus; paucis post diebus uncus* etc., nemo enim intelligit, cur non verba, quibus tempus, quo turbae Pseudo-Marii sequerentur, in ipsius narrationis principio ponantur, praesertim quum id servent omnes codices.

Uncus impactus est fugitivo] De Pseudomario vide Appianum initio libri 3 de bellis civilibus. summa libabo: *Erat Amatius quidam Peudomarius, qui se Marii nepotem esse simulabat, et eo nomine erat apud plebem gratiosus. Is quoniam hac simulatione effecerat, ut videretur non alienus a cognatione Caesaris, prae caeteris aegre ferens eius obitum, aram, ubi crematus est, posuit, stipatusque manu audacium terrori percussoribus fuit.* Antonius Consul compre-

in C. Marii nomen invaserat. Atque haec omnia

hendit Amatium: moxque indicta causa interfecit per insignem audaciam. Vide quae dicemus Philipp. 2. ad illa verba, *arma ipse ceperis.* ABRAM.

Uncus impactus est fugitivo illi] *Victus* corrupte pro *uncus* est in vetere quodam libro: unde coniiciebat amicus meus legendum esse, *Vinclis impactus est fugitivus ille:* quod non placet. F. VRSINVS. *Uncus*] Unco trahebantur in carcerem. Iuvenalis Sat. 10:

Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem, Seianus ducitur unco
Spectandus. —

Unde et illud Lampridii in Commodo: *Corpus eius ut unco traheretur, atque in Tiberim mitteretur, Senatus et populus postulavit.* Nec alio videtur allusisse Lyricus Latinus libro 1 Carm. Ode 31:

Te semper anteit saeva necessitas.
Clavos trabales, et cuneos manu
Gestans ahena: nec severus
Uncus abest, liquidumque plumbum.

Rursum Iuvenalis Sat. 13:

— et nigri carceris uncum.

Ovidius in Ibin:

Carnificisque manu populo plaudente traheris,
Infixusque tuis ossibus uncus erit.

Propertius lib. 4, eleg. 1:

Et bene cum fixum mento discusseris uncum,
Nil erit hoc; rostro te premet ansa suo. ABRAM.

Non trahebantur unco in carcerem, sed morte affecti per vias publicas in Gemonias scalas. GRAEV.

Qui in C. Marii nomen invaserat] Sic Pall. sic olim editi, at Guilielmius fide Liliensis omittebat praepositionem. GRVTERVS. Quamquam in Vaticano sit, *qui in Mari nomen invaserat*, et praepositio tum verbis ex eadem compositis adiungi, tum in hac ipsa locutione adponi soleat apud Tullium: hoc tamen loco in Gulielmii sententiam vehementer inclino, suavitate quadam permotus, quam videtur mihi codex Liliensis adferre. Accedit, quod omittendae praepositionis auctores habeo Acronem quoque, et Scholiasten Horatii Cruquianum ad I. Carm. 35. 20. Sic variatur etiam III. de Offic. 7. Tacit. V. Hist. 9: *Simo quidam regium nomen invaserat.* Cortium confer ad Plin. VI. Epist. 20. 4. Imo vero iidem alia in hoc loco recitando eleganter omittunt: Scholiastes vocem *illi*, ambo verbum *est:* ut, duobus coniunctis membris, una haec exsistat comprehensio, concinna brevitate probabilis: *Liberatus periculo caedis paucis post diebus Senatus: uncus impactus fugitivo, qui C. Marii nomen invaserat* Nam hic nebulo, ut ait Valer. Max. IX. 15. 1. *consilium interficiendi Senatus capere sustinuit: quo nomine iussu patrum necatus in carcere, seras prompti animi ad omne moliendum scelus poenas pependit.* Ne-

communiter cum collega. Alia porro propria Dolabellae: quae, nisi collega abfuisset, credo eis fuisse futura communia. Nam, quum serperet in urbe in-

catum unco traxerunt. Garatonius.

Communiter cum collega] Cn. Cornelio Dolabella, qui Consul in locum Caesaris mortui suffectus est. de quo infra. Abram.

Alia porro propria Dolobellae] Dolabellae l. v. et recte. indicant substructiones aquaeductuum, in quibus ita scriptum est, *P. Cornelius P. F. Dolabella.* Ferrarius.

Quae, nisi collega abfuisset] Inculcandum est, quod tu, Victori, ante docuisti, ut homines saepe admoniti, quomodo hoc verbum *abfuit* scribi debeat, rectae tandem rationi scribendae huius vocis assuescant. non enim per *b* in antiquo libro legitur, sed per *a* tantum hoc modo, *afuit.* quod compositum videtur, non, ut *abest,* ex *ab* et *est;* sed ab *a* praepositione et verbo *fuit.* Faernus. *Nisi collega abfuisset*] Vetus scriptura est, *Nisi conlega afuisset.* non est autem dubium, quin veteres, qui summo studio fugiebant asperitatem loquendi, quanquam *absum,* aut interdum *apsum, abes, aberam,* dicerent, *afui* tamen, non, ut nunc, *abfui,* et scriberent, et pronuntiarent. Sic in epistola ad Curionem: *Ego te afuisse tamdiu a nobis.* et alibi: *Et afui proficiscens in Graeciam.* Ignorata autem haec scribendi ratio multis mendis bonis scriptores contaminavit. Qualia et multa alias, et nuper unum apud Tacitum animadverti, cum eius Annales ego et Iacobus Canauus Ferrariensis, vir optimus et doctissimus, animi causa una evolveremus. Ubi enim legitur: *Piso, quanquam adfuturum se dixerat Caesar, ob id magis agendum censebat:* sine controversia legendum est *afuturum.* Muretus. *Nisi collega abfuisset*] Nisi Antonius, Dolabellae collega in Consulatu, abfuisset, qui mense Aprili atque Maio veteranorum colonias peragravit. de qua peragratione 2 Philipp. Abram.

Nam cum serperet in urbe] Optimus liber *in urbem,* quod et verum puto. etsi, geminatis sine causa consequentis vocis principibus litteris, hanc varietatem extitisse non iniuria fortasse aliquis suspicetur. Muretus. *Nam cum serperet in urbe infinitum malum*] Cum seditio magis et magis cresceret, et se latius in dies diffunderet, cum infima multitudo, ut scribit Tranquillus in D. Iulio cap. 85., Caesari demortuo solidam columnam prope viginti pedum in foro statuisset, scripsissetque Parenti Patriae, apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Caesarem iureiurando distrahere perseveraret, Dolabella Consul evertit illam columnam, eos, qui servilis erant conditionis, in crucem egit, liberos de saxo Tar-

finitum malum, idque manaret in dies latius; iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam

peio deiecit, aream, in qua steterat columna, sternendam locavit. Eadem autem illa infima multitudo sepulturam Caesaris insepultam effecerat, quia corpus eius pro Rostris positum rapuerat, et in forum tumultuarie detulerat, ibique extructo e septis, subselliis et tribunalibus rogo combusserat, etc. De quibus Philipp. 2. Abram. Francii quoque codex, *in urbem*, sed reliqui stant pro vulgata, quam merito retinent editores. Serpit enim contagio in corporibus, in populo, hoc est propagatur. Graevius. Recte codicis praestantissimi lectionem contemnendam non esse indicavit Muretus, a qua tamen omnes mei libri dissentiunt. Vide ad c. 7. pro Lig. 30. pro Quinct. etc. Coniiciebat supra Lamb. *credo eis inter ipsos futura fuisse communia.* Cod. Vatic. *credo is* (h. e. *iis*) *futura fuisse communia.* Gar. Vat. et φ. *in urbem.*

Qui illam insepultam sepulturam effecerant] Audio quosdam non *insepultam*, sed *insepulto* probare, quibus de causis adductos nescio: omnes certe libri contra faciunt. Ego vero M. Tullium arbitror id loquendi genus ab aliquo uno ex vetustissimis illis scriptoribus mutuatum, aut certe poëtam nescio quem imitatum, cuius ipse servus in libris oratoriis profert,

Qua tempestate Paris Helenam innuptis iunxit nuptiis.

Eum porro a Graecis transtulisse. illi certe in hoc genere frequentes. ut illud est apud Euripidem in Hecuba, *νύμφην τ' ἄνυμφον, παρθένον τ' ἀπάρθενον.* et apud Sophoclem in Aiace, *Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κ' οὐκ ὀνήσιμα.* Ut igitur ille nuptias innuptas appellavit, quod in iis solennia ac iusta nuptiarum servata non erant: ita hunc per similitudinem existimo funus Caesaris insepultam sepulturam vocitasse, propterea quod raptum, ac turbulente, non more ac modo factum erat. quod ita fuisse declarant rerum gestarum Caesaris explicatores. Sepultura autem valet interdum humationem, atque actum ipsum, ut ita dicam, sepeliendi: funus alias, et prope exequias ipsas, ut hoc loco, et lib. II. de Legibus: *Nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat.* Ferrarius. *Qui illam insepultam sepulturam refecerant*] Ita Liliensis codex, melius omnino vulgato, *effecerant.* instauratum enim funus Caesari. est autem hic imitatio Graecorum: τάφος ἄταφος, quod exstat apud Euripidem Phoenissis. Gaut. *Insepultam sepulturam*] Petrus Victorius lib. 10. Var. lect. cap. 12. plura refert exempla huius locutionis. Eum vide et Laelium Bisciolam prima parte horarum subsecivarum libro 4. cap. 13. Abram. Miror ex uno codice interpolatam esse a Grutero scripturam veterum

sepulturam effecerant; et quotidie magis magisque perditi homines, cum sui similibus servis, tectis ac templis urbis minarentur: talis animadversio fuit Dolabellae, quum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros et nefarios liberos, talisque eversio illius

editionum omnium, quam tuentur etiam nostri quatuor codices. Nihil de instauratione funeris Caesaris leges apud ullum scriptorem. Retinenda igitur vetus lectio *effecerant.* GRAEVIUS. Iis, qui ab Abramio citantur, adde Schottum I. Nod. Cicer. 17. Wolfium ad Aeschin. contra Ctesiph. p. 1332. ed. Francof. MDCIV. p. 521. ed. Lips. Rittersh. ad Oppian. I. Cyneget. 260. Vossium V. Inst. Orat. 12. §. 7. de ὀξυμώρῳ, et qui de eodem laudantur a Giacomello ad Aeschyl. Prom. vinct. 547. denique Cortium ad VII. Ep. Cic. ad Div. 9. Passeratium ad Catull. de nupt. Pelei et Thetidis v. 83. p. 42. et Vulpium ad eumd. l. p. 273. Hunc locum imitabatur Optatus Milevitanus lib. III. de Schism. Donatist. p. 90. ed. Londin. Casaub. dum ita scriberet: *Ex quorum numero cum aliqui in Basilicis sepelire coepissent, Clarius presbyter in loco Subbulensi ab Episcopo suo coactus est, ut insepultam faceret sepulturam.* Quantopere tum, et postea talia quaererentur, vide apud Savaron. ad Sidon. IV. Epist. 16. GARATON.

Magis, magisque] *Magis ac magis.* Liber Laug. et alii nonnulli. utrumque usitatum. FERRARIUS.

Sui similibus] Ita emendabat Barbador. in Gryphiana, quae habebat *suis*, et ita primus edidit Hervag. cum antea *suis* ederetur in omnibus, ut etiam uterque Barb. minus recte habet, atque ipse adeo Vaticanus. GAR.

Illius execratae columnae] Infima multitudo post Caesaris necem, ut scribit Tranquillus in Iulio cap. 85: *Solidam columnam prope viginti pedum marmoris Numidici in foro statuit, scripsitque* PARENTI PATRIAE. *Apud eandem longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Caesarem iureiurando distrahere perseveravit.* Vocat execratam, quod, ut opinor, Dolabella, priusquam eam everteret, resecravit, et omni religione liberavit. Quid sit autem *resecrare*, sive *obsecrare*, tradit Verrius apud Festum: *Resecrare, solvere religione, ut cum reus populum comitiis oraverat, ut eo periculo liberaretur, iubebat magistratus eum resecrare.* Columna autem Caesari, vel ut Deo, vel ut mortuo potuit excitari. De sepulchro Archimedis Noster 5 Tuscul. quaest. *Animadverti columellam non multum e dumis eminentem: in qua inerat sphaerae figura et cylindri.* Homerus frequenter, ut Odyss. μ'. versu 14:

exsecratae columnae, ut mirum mihi videatur, tam valde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse. Ecce enim Kalendis Iuniis, quibus ut adessemus

Τύμβον χεύαντες καὶ ἐπὶ στήλην ἐρύσαντες.
Aggesto busto super erectaque columna.

Iliados ρ΄. versu 434:

Ἀλλ᾽ ὥστε στήλη μένει ἔμπεδον, ἥτ᾽ ἐπὶ τύμβῳ
Ἀνέρος ἑστήκει, etc.
Firma columna manet veluti bustoque superstat.

Iliados π΄.

Ἔνθα ἑ ταρχύσουσι κασίγνητοί τε ἔται τε
Τύμβῳ τε στήλῃ τε· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.
Hic illum ornabunt socii fratresque sepultum
(Qui functis debetur honor) busto atque columna.

Vide Xiphilinum in Domitiano, et alios passim. De columnis Deorum numini consecratis quaedam protulimus in Nonni paraphrasin cap. 10., quae operae pretium fuerit exscribere. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum exeunte: *Priusquam igitur antiqui statuas accurate nossent effingere, erectas columnas ut Deorum simulacra venerabantur. Scribit enim auctor Phoronidis:*

Callithoë excelsi clavem quae gestat Olympi,
Iunonis quae velleribus festaque corona
Reginae ornavit sublimem prima columnam.

Sed et qui Europiam scripsit, auctor est, statuam Apollinis Delphici columnam fuisse, his verbis:

Ut Phoebo decimas, sacra ut donaria templi
Figamus suspensa tholo, celsaeque columnae.

Sanchuniaton Berytensis, Philone Byblio interprete apud Eusebium primo Praepar. Evang. Phoenices *στήλας τε καὶ ῥάβδους ἀφιέρουν ἐξ ὀνόματος αὐτῶν. Columnas et bacillos Deorum nomine consecrarunt.* Omitto statuam Veneris Paphiae, quam Cornelius Tacitus, Maximus Tyrius, et alii columnam paullatim in angustum desinentem fuisse prodiderunt. Quod ad Caesaris columnam attinet, Graeci scriptores eius non meminerunt, aram passim appellant. Dio 44: *Aram autem multitudo eo loco, quo rogus fuerat, extruxit,* etc. *sacrificareque apud eam, et primitias offerre Caesari, tanquam Deo, instituit.* Appianus 3. Civilium: *βωμὸν ἐπῳκοδόμει τῇ πυρᾷ.* Abram.

Mirum mihi videatur] Omnes libri veteres, *Mihi mirum videatur.* Ferrar. Etiam Vatic. *ut mihi mirum videatur.* Gar. Ita Graev. Ern. Schütz. *ut mihi mirum videatur*, eundem ord. servant Teeg. Ien. Gud. Sine causa Ern. notat ad voces *uno die:* cur *uno?* fortasse *primo.* Sensus est: Qui fit, ut hoc uno die reip. saluti prospicere volueritis, non item de futuro tempore?

Kalendis Iuniis] Decreverat Senatus, ut Consules ex Kalen-

edixerat, mutata omnia; nihil per senatum, multa et magna per populum, et absente populo et invito.

dis Iuniis de Caesaris actis cum consilio cognoscerent, ut dicitur 2 Philipp. *Kalendis Iuniis, cum in Senatum, ut erat constitutum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugimus. At iste, qui Senatu non egeret, neque desideravit quemquam et potius discessu nostro laetatus est, statim illa mirabilia facinora effecit: qui chirographa Caesaris defendisset lucri sui caussa, is leges Caesaris easque praeclaras, ut rempublicam concutere posset, evertit*, etc. Abram. Ita Barbador. et cod. ad marg. Lamb. et Barb. sec. et ex meis editis primus Lamb. deinde Grut. Nam ceteri antea, et Barb. pr. *Kal. Iunii, quibus ut adessemus edixerat: mutata omnia.* Cod. Vatic. *Kl. Iun. quibus ut adessemus edixerant:* scilicet ambo Consules edixerant. Muretum autem Vaticano paruisse cognovi, cum post eum collatum codicem viri summi editionem fors mihi emendam obtulit. Neque vero dubito, quin recte paruerit. Garaton. Graev. Ernest. et Schütz. *edixerat.* Teeg. len. Gud. et φ. tuentur lectionem Vat. *edixerant.*

Nihil per Senatum: multa et magna per se ipsum et absente populo et invito] *Multa et magna per populum*, emendo, cum auctoritate veterum omnium librorum, qui quidem in manus meas pervenerunt, tum etiam ratione adductus: nam primum quis agebat per se ipsum? deinde ipse Cicero multis in locis apertissime ostendit, Antonium egisse per populum. Qui potuit agere per populum (dicet quispiam) et absente populo, et invito? Qui agit per plebem concitatam, per operas conductas, per egentes, seditiosos, facinorosos, is agit per populum: siquidem hi quoque sunt in numero civium: et rursus per populum non agit, cum et populus, qui vere populus appellari possit, constet ex viris bonis, ac bene sentientibus de republica: et ea comitia legitima sint, quorum auctor Senatus est, quae descriptis aetatibus, classibus, ordinibus habentur. Antonius igitur cum ferret leges per vim, exclusis bonis, et iure rogandi sublato, non agebat per populum: et rursus agebat per populum, cum cives improbi, atque ex numero civium merito exterminandi eas sciscerent ac iuberent. Quid multa? audiamus Ciceronem similiter loquentem in oratione pro domo sua: *An tu populum Romanum esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur, qui impelluntur, ut vim afferant magistratibus, ut obsideant senatum, optent quotidie caedem, incendia, rapinas? quem tu tamen populum nisi tabernis clausis frequentare non poteras.* Ferrarius. *Multa et magna per populum, et absente populo*] Sic Pal. sec. S. Victoris, et Ferrarii mss. omnes. vulgati, *per se ipsum, et absente.* Gru-

Consules designati se audere negabant in senatum venire; patriae liberatores urbe carebant ea, cuius a cervicibus iugum servile deiecerant; quos tamen ipsi consules et in concionibus et in omni sermone laudabant. Veterani qui appellantur, quibus hic ordo

TERVS. Vaticanus *populum* confirmavit, atque ita Lamb. ex omnibus, ut ait, MSis. Mei veteres editi, et alii ante Lamb. et codices Barb. corrupti sunt. GAR.

Consules designati] Hirtius, et Pansa. ABRAM.

Cons. des. se aud. n. in sen. venire] Vat. *negabant se audere in s. v.* item Teeg.

Patriae liberatores] M. Brutus, Decimus Brutus, C. Cassius, et alii, qui nece Caesaris patriam a servitutis iugo liberarant. ABRAM.

Urbe carebant ea etc.] Mauricianus omittebat *ea*, quod perplacet Guilielmio. GRVTERVS.

Iugum servile] Ita frequenter. Seneca Hercul. fur.

Cur ergo regi servit et patitur
iugum.

Propertius lib. 8. el. 5:

Dum licet, iniusto subtrahe
colla iugo.

Frequentius etiam Graeci. Theognis:

Λὰξ ἐπίβα δήμῳ κενεόφρονι,
τύπτε δὲ κέντρῳ
Ὀξέϊ, καὶ ζεύγλην δύσλοφον
ἀμφιτίθει.
Calcibus insulta populo, stimulisque negantem
Percute: coge gravi subdere
colla iugo.

Item:

Οὔ ποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσω
Δύσλοφον. —
Non ego servili subdam devictus ab hoste
Colla iugo. —

Oppianus 2. de venat.

Αὐτὰρ ὅ γ' οὔτι φέρει δοῦλον
ζυγόν.
At non fert servile iugum.

Quod Nonnus 15. 37. et 33. Dionysiacωn usurpat, et Pindarus Ode 2. Pyth. Epodo 4. ABRAM.

Ipsi consules] Antonius et Dolabella. IDEM.

Veterani qui appellantur] Ita Guilielmius e suis legebat, non male. editi tamen olim et Pall. nostri nihil dissentiunt a vulgata. prius, *appellabantur;* prorsus inepte. GRVT. *Veterani qui appellabantur*] Caesariani milites, quibus post emerita stipendia caverat Senatus, ut in agros sibi assignatos emolumenta sive commoda militiae percepturi primo quoque tempore mitterentur. Ait, *qui appellabantur*, vel quia non putat et nomine et commodis veteranorum dignos esse, qui Caesaris auspiciis tulerant arma contra rempublicam, vel quia multi, nondum emeritis stipendiis, tamen pro veteranis se gerebant. ABRAM. Nec Abramius, nec Gruterus ceperunt mentem Tullii, qui ait veteranos appellatos fuisse ab Antonio, sive compellatos in concione ad ulciscendam Caesaris necem ut coirent,

diligentissime caverat, non ad conservationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem novarum praedarum incitabantur. Quae quum audire mallem, quam videre, haberemque ius legationis liberum, ea mente discessi, ut adessem Kalendis Ianuariis, quod initium senatus cogendi fore videbatur.

III. Exposui, Patres conscripti, profectionis consilium: nunc reversionis, quae plus admirationis

quod patet ex historicis et epistolis ad Atticum, et verbis sequentibus. Non igitur mutanda est vulgata cum Grutero, quam etiam propugnat meus, Franc. et Amsterd. Graev. Etiam Car. Steph. vidit alicubi, *appellantur*, quod profert, tamquam vulgatum, sed forte fuit in suo codice. Nam ipse cum omnibus libris, quos vidi, *appellabantur*. Gar. Est *appellabantur* in reliquis codd. atque etiam in Cod. Ien. et Angl. Lectio *appellantur* haud dubie ab interpretibus profecta est, qui putarent idem esse ac, *qui dicuntur*, quum appellare h. l. idem sit, quam compellare in concione, uti Graevius et Manutius vocem recte interpretati sunt. Ipse tum obibat loca, ubi habitabant veterani in colonias deducti, eosque concitabat.

Quibus hic ordo diligentissime caverat] Vatic. *caverant:* quod reiicio, quamvis *hic ordo* collectivum sit. Gar.

Quae cum audire mallem, quam videre] Quia nimirum

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis accepta fidelibus.

Vide Coelianam et Milonianam. Abram.

Ius legationis liberum] De hac legatione ita scribit, XV. ad Att. 11. *Dolabella me sibi legavit a. d. IV. Non. April. id mihi heri vesperi nuntiatum est. Votiva ne tibi quidem placebat: etenim erat absurdum, quae, si stetisset respublica, vovissem, ea me, eversa illa, vota dissolvere. Et habent, opinor, liberae legationes definitum tempus lege Iulia: nec facile addi potest ad hoc genus legationis, ut, cum velis, introire, exire liceat: quod nunc mihi additum est. Bella est autem huius iuris quinquennii licentia.* Isto loco animadverso, Philippus Beroaldus olim emendabat, *ius legationis liberae*, idque recepit Muretus, deinde Lambinus, et rectum est. Sed Vaticanus, ceterique scripti, et editi, quos ego et Graevius inspeximus, *liberum* servant: neque hypallage Tullio usitata tollenda est, si me audias. Vide ad c. 18. pro Planc. 24. et 50. pro Sext. Garaton.

Exposui] Seiunctio dictorum a dicendis ad afferendam lucem et perspicuitatem orationi. Abram.

habet, breviter exponam. Quum Brundisium, iterque illud, quod tritum in Graeciam est, non sine causa vitavissem, Kalendis Sextilibus veni Syracusas, quod ab urbe ea transmissio in Graeciam laudabatur: quae tamen urbs mihi coniunctissima, plus una me nocte cupiens retinere, non potuit. Veritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios adventus suspicionis aliquid afferret, si essem commoratus. Quum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent: ab eo

Cum Brundusium] Liber Lang. *Brundisium*, semper. FERRARIVS. *Cum Brundusium*] Brundusium urbs est in extremis Calabriae finibus, unde commodus in Graeciam et Epirum traiectus: Brundusium tamen orator vitavit, non sine caussa. Sed cur vitaverit, non liquet, nisi fortasse quod veteranorum, qui in colonias tota Campania et Appulia transcripti fuerant, vim et insidias metuebat. ABRAM. Optimus quoque Vaticanus *Brundisium* semper recte scribit. Vide ad c. 12. pro L. Man. GAR.

Quae tamen urbs mihi coniunctissima] Magna fuit omnium Siciliae urbium cum Cicerone coniunctio, ex quo eum sibi contra C. Verrem in patronum adsciverant. ABRAM. *Quae tamen mihi urbs coniunctissima*] Libri veteres, *urbs mihi coniunctissima:* quae structura mihi concinnior videtur. FERRAR.

Suspicionis aliquid afferret] L. Lang. *Suspectionis.* ut apud Terentium in Andria:

Nam qui istaec tibi incidit suspectio?

Suspicio quoque, unde hoc verbum declinatum est, pro *suspectum habeo* dixit Sallustius: *Suspectus*, inquit, *regi: et ipse eum suspiciens.* FERRARIVS.

Ad Leucopetram] Libro 16. ad Atticum epist. 7: *Octavo Id. Sext. cum a Leucopetra profectus (inde enim tramittebam) stadia circiter ccc processissem, reiectus sum austro vehementi ad eandem Leucopetram. Ibi cum ventum expectarem (erat enim villa Valerii nostri, ut familiariter essem et libenter), Rhegini quidam illustres homines eo venerunt Roma sane recentes. in iis Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. Haec afferebant, edictum Bruti et Cassii, et fore frequentem Senatum Kalendis: a Bruto et Cassio litteras missas ad Consulares et Praetorios: ut adessent, rogare. Summam spem nuntiabant fore, ut Antonius cederet, res conveniret, nostri Romam redirent. Addebant etiam me desiderari: subaccusari.* ABRAM.

Agri Rhegini] *Regini* con-

loco conscendi, ut transmitterem; nec ita multum provectus, reiectus austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam. Quumque intempesta nox esset, mansissemque in villa P. Valerii, comitis et familiaris mei, postridieque apud eundem, ventum exspectans, manerem: municipes Rhegini complures ad me venerunt; ex his quidam Roma recentes; a quibus primum accipio M. Antonii concionem; quae ita

constantissime scriptum est in libro veteri, sine ulla asperationis nota: idque magis e Latina consuetudine videtur. MVRETVS. *Agri Rhegini*] Rhegium, ut scribunt tum alii passim, tum Thucydides lib. 4., est *Italiae promontorium*, illis freti angustiis a Sicilia divisum, quae Siciliam ab Italia disterminant, eum, ut dicitur 3. Aeneidos,

— venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit.

Strabo libro 6: *Nomen Rhegio esse ait Aeschylus ab eo, quod isti accidit regioni. Terrae enim motibus Siciliam a continente abruptam cum alii, tum ille affirmavit: et nomen a verbo* ῥήγνυσθαι, *quod est rumpi, deductum videtur.* Idem paulo post de Leucopetra: *A Rhegio versus ortum solis si navigatur ad L stadia, pervenitur ad Leucopetram*, id est album saxum, *a colore sic denominatum, in quod desinere montem Appenninum aiunt.* ABRAM.

Conscendi] Vox nautica, ut videtur. Plautus Bacchidibus, sc. *Ibo ad Piraeum:*

Postquam aurum abstulimus, in navem conscendimus.

Virgilius 1. Aeneidos:

Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor.

Frequenter etiam Graeci. ut 2. Iliados:

— πολέες δ' ἐν νηῒ ἑκάστῃ
Ἀρκάδες ἄνδρες ἔβαινον ἐπιστάμενοι πολέμοιο.
— unaquaque frequentes
Nave adscendebant pugnaces Arcades armis.

Odyss. 4:

— ἀναβαινέμεν, ὄφρα τάχιστα
Σὴν ἐς πατρίδ' ἵκοιο πλέων ἐπὶ οἴνοπα πόντον.
— conscendere, ut oris
Sistas te patriis subito, maris aequora sulcans.

ABRAM.

Accipio M. Antonii concionem] Ex ore eius exceptam, et celeriter notis compendiariis ita consignatam, ut notarii manus dicentis verba facile sequeretur. Quae autem illa M. Antonii concio fuerit, divinare non possum: constat tamen, eam fuisse de componenda republica. IDEM.

Quae ita mihi placuit] *Quae mihi ita placuit*, omnes l. v.

mihi placuit, ut, ea lecta, de reversione primum coeperim cogitare. Nec ita multo post edictum Bruti affertur et Cassii. Quod quidem mihi, fortasse quod eos plus etiam rei publicae, quam familiaritatis gratia, diligo, plenum aequitatis videbatur. Addebant praeterea (fit enim plerumque, ut ii, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nuntiant, laetius,) rem conventuram; Kalendis Sex-

Ferrar. Teeg. Gud. *quae mihi ita placuit.*

Nec multo post] *Nec ita multo post*, o. l. v. qui mihi quidem redolere videntur elegantiam Tullianam. Ferrarius. Sic et omnes mei ac Gronovianus. Cur respuerunt? Graevius. Non respuerat certe Muret. neque Lamb. Addidit etiam vocem hanc Gryphianae Barbadorius, et Barberino sec. Politianus, ut arbitror. In altera Gryph. MDL. ex Ferretti codice recepta fuit. Gronovianus cod. est ille, quem Iac. Gronovius a patre suo collatum hoc loco adnotat, ubi omnes congerit varietates, quas luce dignas ex eo putavit, quasque suis locis commemorabimus. Cum his denique omnibus *ita* praebet Vaticanus. Gar.

Edictum Bruti affertur et Cassii] De hoc edicto nihil aliud occurrit, nisi illud Antonii cuidam edicto videri fuisse contrarium. Lib. 16. ad Attic. epist. 7: *Antonii edictum legi a Bruto: et horum contra: scriptum praeclare. Sed quid ista edicta valeant, aut quo spectent, plane non video.* Velleius Brutum et Cassium ait testatos edictis libenter se in perpetuo exilio victuros, dum reip. constaret concordia, nec ullam belli civilis praebituros materiam. Abram.

Etiam plus reip.] *Plus etiam reip.* omnes libri veteres. Ferrar. His Vaticanus accedit. Gar. In Ien. deest *etiam.*

Rempub. conventuram Kal. Sextilibus: Senatum frequentem fore] Ita corrigendum est, *Rem conventuram: Kal. Sext. Senatum frequentem fore.* Cuius emendationis habemus auctorem non modo Col. librum, sed Ciceronem ipsum XVI. lib. epist. ad Atticum, de eadem re eodem modo loquentem. *Hoc*, inquit, *afferebant, Bruti et Cassii edictum, et fore frequentem Senatum Kal. a Bruto et Cassio litteras missas ad consulares et praetorios: ut adessent, rogare. summam spem nunciabant, fore, ut Antonius cederet, res conveniret.* Ferrarius. *Rem conventuram*] Haud aliter Pal. sec. non, ut antea vulgati, *remp. conventuram.* Sic Livius lib. XXX, *ac spem facere saepius ultro citroque agitantibus, rem conventuram.* videatur Ferrarius.. Grut. *Rem conventuram*] Fore, ut Antonio cum Caesaris percussoribus conveniret, et componeretur civilis dis-

tilibus senatum frequentem fore; Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis Galliis provinciis, ad auctoritatem senatus esse rediturum.

IV. Tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque venti satisfacerent; non quo me ad tempus occursurum pu-

cordia. ABRAM. Recte Ferrarius et Gruterus. Latinis enim *res convenire* dicitur, de qua homines conveniunt. Iustin. XXX, 5: *Pax quae in Macedonia non conveniebat.* et sic alii non modo frequenter, sed fere perpetuo. GRAEVIVS. Cod. Car. Steph. pro *rem conventuram,* ut recte Ferrar. Manut. Ferrett. Muret. ipse Steph. Lamb. et Barbador. habebat, *esse conventuram.* Nostri codd. cum editis ante Man. *remp. conventuram,* excepto Vaticano, qui cum Colot. et Pal. sec. egregie consentit. GAR.

Malis suasoribus] Caphone, Saxa, Cotyla, Mustela, Tamisio, et aliis eiusmodi furoris Antoniani satellitibus. de quibus frequentem habet Orator mentionem. ABRAM.

Remissis Galliis provinciis] Gallia Transalpina Numantio Planco, Cisalpina Decimo Planco obvenerat. Eas provincias Antonius ad se transferre conabatur, unde et paulo post civile bellum exarsit, et Brutus Mutina obsessus ab Antonio. Nuntiatum autem fuerat Ciceroni, Antonium iam de obtinendis Galliis non cogitare, sed remissis Galliis obtemperaturum Senatui, et ad eius auctoritatem, a qua discesserat, esse rediturum. Unde et magna componendae reipublicae spes affulserat. IDEM. *Provinciis Gallis,* Colotianus, et alii nonnulli veteres libri. FERRAR. Ita etiam Vatic. *Gallis* autem pro *Galliis.* Saepissime optimus liber pro I duplici unum ponit. GAR.

Tum vero tanta cupiditate] Meus codex: *Hic vero tanta sum cupiditate incensus, ut ad reditum mihi nulli neque remi, neque venti satisfacerent.* egregie. GRAEV. Tamen Vaticanus cum ceteris omnibus habet: *tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli etc.* Tantum consensum in aeque recta lectione unius libri causa non desero. GAR. Neque Schützius nec Ernest. receperunt lectionem cod. Graeviani, quae eadem est Ien.

Ad tempus occursurum putarem] Ant. Augustinus, *ad id tempus occursurum* etc. F. VRSINVS. *Non quo me ad tempus occursurum non putarem*] Alii, *occursurum putarem.* perperam. hoc enim dicit, non eam sibi fuisse causam suscipiendae tantae celeritatis, quod aliter se ad tempus occursurum non putaret: sed quod reip. quamprimum

tarem; sed ne tardius, quam cuperem, rei publicae gratularer. Atque ego celeriter Veliam devectus,

gratulari cuperet. MVRET. Repugnant omnes veteres libri. Recte igitur Abramius: Non ideo festinabam, quod putarem, me interesse posse Senatui, qui cogendus fuit Kal. Sextilibus: hunc enim nuntium aliquot diebus post Kalendas acceperam: sed ut quam primum reipublicae, cui putabam moderatione M. Antonii pacem et concordiam contigisse, gratularer. ABRAM. Negatio, quae, tamquam coniectura Mureti, reiicitur, inventa utique ab eo fuit in codice Vaticano. Eam Lambinus adscivit: sed res non mediocrem dubitationem habet. Reiectus ad Leucopetram Cicero VIII. Idus Sextiles, ex XVI. ad Att. 7. postridie, h. e. VII. Idus haec audiebat. Quid ergo tum ei narrabant, *Kal. Sextilibus Senatum frequentem fore*, quae fuerant iam nudius septimus? Itaque, cum in illa epistola, ubi haec eadem narrantur, *Kalendis* tantum sit, eas Corradus Septembres interpretatur; cuius ex sententia *Kal. Septembribus* hic legi debet. Verum Tullius Romam pervenit pridie Kal. Septembr. Si ergo mos Corrado geratur, apertum est, Tullium desperare, quin ad tempus occurreret, non debuisse, vulgatamque proinde stare non posse. Patet etiam, sine festinatione, quam adhibuit, iisdem Kal. Tullium adesse in Senatu non potuisse, ut addita negatio nihil sententiae conferat. Nisi eum forte putemus, postquam a Bruto, quo res essent loco, intellexerit, aliquantum de illa celeritate remisisse, quippe qui a Velia quintodecimo die Romam pervenerit; quamvis de hoc quoque tempore infra dixerit, *properavi*. Sed rectum arbitror, *Kal. Sextilibus*. Qui enim Rhegium id nuntium attulerant, omnino ante Kal. Sextiles Roma discesserant: neque de Kal. Septembribus ea nuntiare poterant, cum aliae proximae interiicerentur Kalendae, quibus Senatus erat habendus. Sic autem de iis loquebantur, quae se Romae audisse dicebant, quasi adhuc futura essent, cum tamen Kalendae praeterierint; quia facta referre non poterant, sermonemque in id tempus conferebant, de quo testificabantur. Iam vero in vulgata lectione Tullius dicit, se non ideo properasse, quod Kal. Sextilibus putaret in Senatu adesse se posse, ut Senatum doceat, nulla celeritate id potuisse obtineri, cum diem non dixerit, quo nuntios audisset. Satis est enim ἀδύνατον significare. Quod si ex Vaticano negationem adsumas, haec erit sententia: non eam festinationis causam fuisse, quod tempus esset ullum, quod vereretur amittere. Ita Kalendae iam nullae respicerentur. GAR.

Veliam devectus] Eadem epist. VII. lib. XVI. *Nam XVI. Kal. Septembris cum venissem Veli-*

Brutum vidi; quanto meo dolore, non dico. Turpe mihi ipsi videbatur, in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus cederet: et ibi velle tuto esse, ubi ille non posset. Neque vero illum similiter, atque ipse eram, commotum esse vidi. Erectus enim maximi

am, Brutus audivit. Erat enim suis navibus apud Heletem fluvium, citra Veliam millia passuum III. Pedibus ad me statim. Dii immortales! quam valde ille reditu, vel potius reversione mea laetatus effudit illa omnia, quae tacuerat? etc. Addit: *Maxime autem dolebat, me Kalendis Sextil. in Senatu non fuisse: Pisonem ferebat in coelum. Se autem laetari, quod effugissem duas maximas vituperationes,* etc. quas tu vide. Subdit: *Reversionis has speciosas caussas habes: iustas illas quidem et magnas: sed nulla iustior, quam quod tu idem aliis litteris:* PROVIDE SI CVI QVID DEBETVR, VT SIT VNDE PAR PARI RESPONDEATVR. MIRIFICA ENIM δυσχρηστία PROPTER METVM ARMORVM. *In freto medio hanc epistolam legi, ut, quid possem providere, in mentem mihi non veniret, nisi quod praesens me ipse defenderem.* Veliam autem quasi Ἔλίαν a stagnis et lacubus dictam, ait Halicarnasseus lib. I. Antiquit. Rom. *Moris enim erat antiquis Graecis, ut plurimum nominibus a vocali incoeptis syllabam OΥ una littera scriptam praeponere. Erat autem instar Γ duabus rectis super unam rectam coniuncti, ut Ferena,* etc. ABRAM.

Brutum vidi] Cum incensis ob Caesaris necem veteranorum animis Bruto et Cassio vitae periculum immineret, Senatus ut eos praesenti periculo subduceret, his duobus annonae curam mandavit, et quod Praetores erant, decrevit, ut legibus solverentur, si ab urbe plus quam decem dies abfuissent. Brutum Veliae vidit Cicero magno suo cum dolore, quod vir unice amans rempublicam non auderet in urbe subsistere. ABRAM.

Ex qua Brutus excederet] *Cederet* omnes libri scripti. quod verbum tamen idem valet, quod *excedo*, ut hic idem in X. Philipp. de eodem Bruto loquens declarat: *Eundem vidi postea Veliae, cedentem Italia.* Et paulo infra: *Cedere e patria servatorem eius, manere in patria proditores.* FERRARIVS. *Ex qua Brutus cederet*] Sic Pal. sec. primus enim *excederet*, ut vulgata. GRVTERVS. Habent *cederet* edd. quoque veteres Rom. et Ven. in quibus insuper cum cod. Graev. est, *ubi ipse non posset.* Receperant ante Grut. *cederet* P. Man. Car. Steph. Muret. et Lamb. firmante Vaticano. Tamen in epist. ad Brut. 15. *vos fortasse sapientius excessistis urbe ea, quam liberaratis:* atque ita saepe alibi. GAR.

ac pulcherrimi facti sui conscientia, nihil de suo casu, multa de nostro querebatur. Ex quo primum cognovi, quae Kalendis Sextilibus in senatu fuisset

Pulcherrima facti conscientia] Hoc amplius o. s. l. *Pulcherrimi facti sui conscientia*. Ferrvrivs. Firmant omnes nostri codd. et edd. Faërni et Mureti. Graev. *Pulcherrimi facti*] Reipublicae a dominatu Caesaris liberatae. Abram. Pronomen *sui* omittunt vulgati, servant Graevii codices, et nostri. Lallem. Inveni in Barb. sec. ex alio certe cod. adiectum *sui;* sed abest a primo, et e meis omnibus ante Muret. editis rectissime. Potuit sane a Cicerone ipso adhiberi, ut de hac eadem re XIV. ad Att. 12. *Romam, inquit, ubi nostri liberatores tuto esse non possunt? qui quidem semper erunt clari, conscientia vero facti sui etiam beati.* Velleius quoque Bruti et Cassii edictum referens II. 62. 3. *plurimum sibi honoris esse in conscientia facti sui.* Dissimulare tamen nequeo, hanc mihi voculam adhuc esse suspectam, cum probe noverim, et saepe iam adnotarim, ut modo ad c. 20. pro Deiot. huiusmodi pronomina contra fidem a Librariis addi solere. Quin etiam est alter locus de his τυραννοκτόνοις nostro simillimus XIV. ad Att. 11. *verum illis magna consolatio, conscientia maximi et clarissimi facti:* ubi tam recte abest *sui*, quam hic abesset: non aeque autem bene, mearum iudicio aurium, eo, quem supra dedi, loco fuisset omissum. Itaque nulla ibi varietas: hic de varietate iudicium ex constanti similioris loci lectione facere licitum sit. Sed optimorum codicum causa, si quis velit, aliquid de critica severitate remitto: est enim iis aliquando largiendum, quod minus praestantibus denegaretur. Tantum moneo, glossis Vaticanum ipsum non carere, quarum a viris doctis una c. 11. agnoscitur. Nam is quoque cod. *facti sui*. Garatonivs.

Multa de nostro querebatur] Antiquus liber, *multa de vestro*, et sequenti versu, pro *ex quo*, ille habet *ex que eo*. Faernvs. *De vestro* est etiam in Coloniensi, sed ceteri *de nostro*. Sed illud verius est *de vestro*, nimirum senatus populique Romani misero statu. Graev. Parum cautos hic fuisse arbitror Muret. Lamb. et Graev. qui *vestro* receperunt. Ita in duobus solis codicibus legitur. Cautissimus Faernus, qui nihil mutavit: cuius iudicium et libri tantum non omnes comprobant, et ipsa Graeviana ratio. Senatus, et populus, et universa resp. continetur voce *nostro:* at *vestro* nonnisi de Senatu potest intelligi, qui solus aderat. Gar. Ernest. et Schütz. scripserunt etiam *vestro*, quum ponendum esset rectius *nostro*.

L. Pisonis oratio: qui quamquam parum erat (id enim ipsum a Bruto audieram) a quibus debuerat, adiutus: tamen et Bruti testimonio (quo quid potest esse gravius?) et omnium praedicatione, quos postea vidi, magnam mihi videbatur gloriam consecutus. Hunc igitur ut sequerer, properavi, quem praesentes non sunt secuti: non ut proficerem aliquid, (neque enim sperabam id, neque praestare poteram,) sed ut, si quid mihi humanitus accidisset, (multa autem

L. Pisonis oratio] Quaenam haec fuerit Lucii Pisonis oratio habita Kalendis Sextilibus in Senatu, non satis constat: id constat unum, eam fuisse liberrimam. vide infra. et Philipp. 5: *At ille homo vehemens et violentus, qui hanc consuetudinem libere dicendi excluderet, fecerat enim hoc idem maxima cum laude L. Piso triginta diebus ante me*, etc. Ex quibus merito dubites de fide Appiani, qui libro 3. de bellis civilibus L. Pisonem Antonio patrocinantem, et Ciceroni repugnantem inducit. ABRAM.

Neque perficere poteram] L. v. partim *patrare*, partim *praestare*. Gellius quoque *praestare*, si tamen sine mendo liber est, quem tamen sequor. FERRARIVS. Primus Naug. *praestare*, a quo neminem postea discedentem vidi: idque verbum in Barb. sec. optime superscribitur alteri *perficere* a Barb. primo, et veteribus edd. quoque minus commode admisso. Sed meae sunt aliquae hic partes. Quod Lamb. monet alios habere, quodque sequitur Barbadorius, *nec enim sperabam id, nec praestare poteram*, id ego in Vaticano conspexi, et in ed. Mureti, et in Gellii codice Barberino n. 2136. Sic etiam Priceus ad Apuleii Apolog. p. 12. quem Iac. Gronovius iure iam reprehendit, quod *praestabam* pro *sperabam*, et *sperare* hic pro *praestare* maluerit. Sed ceteri, quantum novimus, libri Gelliani, cum omnes *praestare* confirment, habent tamen priore loco *neque*, altero *nec*, Noct. Att. XIII. 1. quod ipsum a plerisque Tullii editoribus neglectum superest tamen in Romana et Veneta. Profecto vereor, ne varietas ista particularum homines, ut solebat, offenderit: hinc alii bis *neque* posuerint, alii bis *nec*. Nam Tullium ipsum *neque*, *nec* ponere potuisse docebunt ea, quae diximus ad c. 15. in Pison. GARATON.

Multa autem impendere videbantur praeter naturam, praeterque fatum] Ex antiquo libro legendum, *impendere videntur*. et restituenda vox *etiam*: ut sit, *praeter naturam etiam*; itaque utrobique Gellius legit. et paulo infra addenda vox *tamen*, ut sit, *huius tamen diei*. FABRN. *Multa autem impendere videbantur*] Vetus liber, *impendere videntur*.

impendere videbantur praeter naturam etiam, prae-

Muret. *Impendere videntur*] Vulgo, *videbantur.* Correxit e suis MSis Graevius, quibus accebunt duo e Regiis. Lallem. Nimirum Olivetus Gruterum, aliosque fere omnes secutus dederat, *videbantur*, cum posset ex instituto suo meliorem ducem sequi Lambinum. Id ille alibi quoque perperam fecit, etiam ubi Graevius Lambinianas lectiones egregie firmaverat. Hic silentium Graevii cum Lallem. interpretari non ausim. Lamb. ex uno certe Vaticano dedit, *videntur*, cui Gellium sciebat accedere. Tertium tantum habeo, quod addam, testimonium Lutatii, ut Scholiastem Statianum appellant, ad III. Thebaid. 205. Libri enim reliqui, Serviusque ipse, ut mox videbimus, male, *videbantur.* Garaton. Satis apparet, veram esse lectionem *videntur*, et temere ab Ernestio et Schützio receptam esse *videbantur*, quasi haec ad praeteritum tempus referat Cicero.

Praeter naturam etiam, praeterque fatum] *Etiam* delendum est, nisi libris omnibus antiquis fidem abrogamus. Ferrar. *Praeter naturam praeterque fatum*] Hunc locum explicat Gellius lib. 13. Noct. Attic. cap. 1: *An utrumque idem valere voluerit, fatum et naturam, et duas res ἀνθ᾽ ἑνὸς ὑποκειμένου, πεπρωμένην καὶ φύσιν, an vero diviserit separaritque, ut alios casus natura ferre videatur, alios fatum, considerandum equidem puto. Atque id maxime requirendum, qua ratione dixerit accidere multa humanitus posse praeter fatum, quando sic ratio et ordo et inseparabilis quaedam fati necessitas constituitur, ut omnia intra fatum claudenda sint. nisi illud sane Homeri secutus est:*

Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον Ἄϊδος εἰςαφίκηαι.

Ne praeter fatum accedas Plutonis ad aedes.

Nihil autem dubium est, quin violentam et inopinatam mortem significaverit: quae quidem potest recte videri accidere praeter naturam. Sed cur id quoque genus mortis extra fatum posuerit, neque operis huius est explorare, neque temporis. Ita quidem Gellius: sed instituti nostri ratio postulat, ut, quod ille omisit, nobis pro modulo rimandum esse videatur. E philosophis, ut dicemus in 2. Philippicam nota prima, quidam omnia penitus, atque adeo humanas actiones fati necessitate devinctas, alii plane liberas et solutas esse censuerunt, quam posteriorem sententiam Homerus, Cicero, Virgilius videntur amplexi, ut ea fato tribuerent, quae ex necessaria caussarum connexione eveniunt; quae autem humana voluntate et opera contingunt, ea fati necessitate absolverent. Diserte primo Odysseae Iupiter in concilio Deorum:

Ὦ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.

Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.
Ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπὲρ μόρον Ἀτρείδαο
Γῆμ' ἄλοχον μνηστὴν, etc.

O superi! accusant mortales numina Divum.
A nobis etenim dicunt mala surgere: at ipsi
Praeter fata suis vitiis hausere dolores.
Ut praeter fatum Aegisthus sibi iunxit Atridae
Desponsam uxorem, etc.

Cur autem praeter fatum, ipse subdit, quia videlicet misso ad Aegisthum Mercurio non solum id fieri prohibuerat, sed etiam, si id faceret, poenam fuerat comminatus. Quo etiam sensus versus a Gellio laudatus debet explicari. Iliados ύ.

Αἰνεία, τίς σ' ὧδε θεῶν ἀτέοντα κελεύει
Ἀντί' Ἀχιλλῆος πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι,
Ὅς σεῦ ἅμα κρείσσων καὶ φίλτερος ἀθανάτοισι,
Ἀλλ' ἀναχωρῆσαι, ὅτε κεν συμβλήσεαι αὐτῷ,
Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον Ἄϊδος εἰσαφίκηαι.

Aenea, quis te amentem Deus ire subegit
Aeacidem contra, et belli certamen obire,
Qui te fortior est et divis charior ipsis.
Sed discede procul, quoties eris obvius illi,
Ne praeter fatum subeas Plutonis ad aedes.

Passim denique ea quae praeter fatum eventura fuisse dicit, ea liberis vel hominum, vel Deorum actionibus tribuuntur. ut initio eiusdem libri:

Δείδω, μὴ καὶ τεῖχος ὑπὲρ μόρον ἐξαλαπάξῃ.

Permetuo, praeter fatum, ne moenia vertat.

Iliados β'.

Ἔνθα κεν Ἀργείοισιν ὑπὲρ μόρα νόστος ἐτύχθη.

Hic praeter fatum populus rediisset Achivus.

Odyss. ί.

Ἔνθα κε δὴ δύστηνος ὑπέρμορον ὤλετ' Ὀδυσσεύς.

Hic praeter fatum infelix periisset Ulysses.

Iam illa mors est secundum naturam et secundum fata, quae ex principiis naturae intrinsecis, et ex pugna quatuor primarum qualitatum, una praevalente contingit, illa praeter naturam quidem, sed tamen secundum fata, quae ab externarum caussarum serie, et quasi concatenatione quadam infertur, ut si quis pereat vel fortuita tecti ruina, vel incendio casu excitato, vel naufragio. Illa praeter naturam praeterque fatum, quae nec a principiis naturae intrinsecis, nec a caussis externis agendi necessitate constrictis, sed ab hominis libertate dependet, ut cum quis sibi vel mortem consciscit, vel alterius scelere occiditur. Clare 4 Aeneidos:

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem

terque fatum,) huius diei vocem testem rei publicae relinquerem meae perpetuae erga se voluntatis.

Abstulerat, Stygioque caput damnaverat orco.

Fato pereunt, qui propter caussas necessarias, sive internas, sive externas naturae necessitati succumbunt: merita morte pereunt, qui pro sceleribus debita morte plectuntur: at Dido misera et innocens sibi mortem adsciverat. Hunc autem locum a Demosthene περὶ στεφάνου sumptum etiam notavit Gellius. Nam quod Cicero fatum atque naturam videtur dixisse, Demosthenes τὴν πεπρωμένην καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον appellavit. Abram. Vere Ferrarius. Nam nullus quoque meorum librorum agnoscit *etiam.* solus Muretus delevit eam vocem, quem merito sequor. Graevius. Imo non paullo ante Muretum hanc vocem omiserant P. Man. et Car. Stephanus. Inde factum est, ut Faërnus Manutiana usus eam esse addendam monuerit: et quidem non ex uno Gellio, verum etiam omnino ex Vaticano. Faërno accessit tacitus Lambinus: silet etiam Barbador. cum ea sit in utraque Gryphiana, in Rom. Ven. Ald. Naug. Cam. et Grut. quam restituendam puto, quamvis in utroque Barb. desit, et Graevium secuti sint Olivet. ac Lallem. Mihi enim videtur ei sua vis non mediocris esse; magnamque Gellius, et optimus omnium codex ei conciliat auctoritatem. Nam Grammaticos, qui eam non agnoscunt, nihil moror. Servius ad Virgil. IV. Aen. 653. hanc totam παρένθεσιν ita exhibet: *multa mihi imminere videbantur praeter naturam, praeterque fatum:* h. e. inquit, *gladii Antonii ex casu.* Statii Scholiastes ad II. Thebaid. 191. *multa etiam contingunt praeter naturam, praeterque fatum:* idem ad III. 205. *multa autem impendere videntur praeter naturam, et praeter fatum:* denique ad IV. 677. *multa fiunt praeter naturam, praeterque fatum.* Vides, quam sit his hominibus confidendum. Verumtamen Lutatius, ubi fidelior est, fortasse habet *et praeter* culpa Librariorum pro *etiam praeterque*, compendiis huius erroris caussam praebentibus. De loci sententia confer Turnebum XIII. Advers. 9. qui lectionem a Mureto habet. Garaton. Satis accurate docuit Garatonius, hic post *naturam* non deesse posse *etiam*, quod Graevius in suis codd. quum non invenisset, omiserat, atque etiam Ernestius, quod a Guelf. abesset, quem sequutus est Schützius in edit. novissima.

Huius tamen diei] *Tamen* positum est pro *saltem*, aut, *si nihil aliud.* ut saepe alias. quod qui non viderant, sustulerant vocem illam, ut redundantem. Muret. *Huius tamen diei vocem testem*] Optime meus: *huius diei vocem hanc testem.* Perperam ista vocula desideratur in aliis. *Tamen*, quod Faërnus et

Quoniam utriusque consilii causam, Patres conscripti, probatam vobis esse confido, priusquam de re publica dicere incipio, pauca querar de hesterna M. Antonii iniuria; cui sum amicus; idque me nonnullo eius officio debere esse prae me semper tuli.

Muretus reposuerunt iure, in nullo meorum extat. GRAEVIUS. Vocem utramque unus postea Lallem. recepit, nullo addito MSorum suffragio. Quam tutum sit v. *hanc* ex illo unico MSo recipere, alii viderint. Gellius non ea solum caret, sed etiam, quod miror, altera *tamen*, quae praestantissima est, atque a Lamb. non ex uno Vaticano, sed ex tribus codicibus, ut monet, recepta fuit. Puto Gellium ab aliquo ad vulgares Tullii codices emendandi causa depravatum. GAR. Ernest. et Schütz. omiserunt *tamen*.

Quoniam utriusque consilii] Tam profectionis, quam reversionis meae. ABRAM.

Idque nonnullo eius officio debere esse] Sic o. l. v. *Idque me nonnullo eius officio debere ee*, ex quibus mea quidem sententia, si *e* modo litteram in *t* mutaveris, omne mendum sustuleris, hoc modo, *Idque me nonnullo eius officio debere, etiam prae me semper tuli*. FERRARIUS. *Idque me nonnullo etc. debere esse*] Ita et nostri. malo Lambinus et Manutius, qui *esse* mutarunt in *etiam*, adducti coniectura Faërni. quod idem dictum velim super voce *ediceret*, quam mutarunt in *ei dicerent*, praeter omnes libros. GRUT. *Nonnullo officio*] Antonius post pugnam Pharsalicam cum aliquot legionibus in Italiam remissus est a Caesare, iussusque Pompeianos aditu Italiae prohibere, Ciceronem Brundusii non interemit: et ita officium exigebat, ut Orator amicus esset Antonio. vide 2 Philipp. ABRAM. P. Manut. anno MDXLI. *etiam* edidit pro *esse*, quem secutus est Car. Stephanus, quamvis in suo cod. id invenerit, quod Ferrarius et Gruterus in suis, egoque in Vaticano, in Barb. primo, in Rom. et Ven. Nam ceteri ante Muret. habent quidem *esse*, sed carent τῷ *me* post *idque*, ut cod. Graevianus, nec male carent. Excipienda est Gryphiana MDL. ex cod. Ferretti emendata, in qua legitur: *idque nonnullo eius officio deberi, etiam prae me semper tuli*. Quae lectio videri potest Manutianae antecellere, ut ea quoque Barberini sec. *id quod nonnullo eius officio debere prae me semper tuli*, addito huic, si vis, pronomine. Sed iam editur optime atque tutissime. Ferrar. Manut. et Lamb. non intellexerunt, quid *idque* valeret. Eleganter ponitur pro *amicumque*, pro vocis nimirum antecedentis iteratione. Consule Wopkensium I. Lect. Tull. 21. p. 114. 115. GAR. Ernestio suspectum videtur

V. Quid tandem erat causae, cur in senatum hesterno die tam acerbe cogerer? solusne aberam? an non saepe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur, ut etiam aegrotos deferri oporteret? Annibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace age-

esse post *debere* et Schütz. omisit vocem immerito.

Cur in senatum hesterno die] Philipp. 5. In cellam Concordiae *nisi venirem Kalendis Septembribus, fabros se missurum, et domum meam disturbaturum esse dixit. Magna res, credo, agebatur: de supplicatione referebatur. Veni postridie: ipse non venit.* Paucis vero verbis iniuriam ostendit: 1. quod solus; 2. quod acerbe; 3. quod in re non magni momenti coactus fuerit. Abram. In Vat. multa erant initio praetermissa, qui sic habet, *de hesterna in Senatum tam acerbe cogerer?* Media suppleta sunt ad imam oram eadem manu, sed non additur, *hesterno die.* Tamen debere adesse indicat omissio ipsa, quae nisi propter eiusdem vocis iterationem contigerit, aliam rationem habebit profecto nullam. Idem cod. infra, *ut etiam aegrotos deferre oporteret?* Hic autem male Naug. Cam. et utraque Gryph. *tam acerbe solus cogerer?* ceteris omnibus libris repugnantibus. Gar.

Hannibal] Ita omnes, quos ego quidem viderim, veteres libri. quorum consensum potius sequor, quam Graecos, qui ex hoc, ut ex aliis multis nominibus, asperationem detrahunt. Muret. *Annibal, credo, erat ad portas*] Magnum videlicet reipublicae periculum imminebat, quod ita communi consilio propulsandum esset, ut nullius excusationem Consul deberet admittere. Sicut cum *Annibal ad tertium ab Urbe Roma lapidem super Anienem castra posuit, ipse vero cum duobus millibus equitum usque ad portam Capenam, ut urbis situm exploraret, obequitavit.* Imo non solum fuit ad portas, sed etiam in Urbem hastam immisit. Plinius lib. 34: *Et adeo discrimen omne sublatum, ut Annibalis etiam statuae tribus locis visantur in Urbe, cuius intra muros solus hostium emisit hastam.* Abram. Recte *Hannibal* cum Vat. etiam Barb. ambo, Rom. et Ven. Gar.

De Pyrrhi pace] Noster de Senectute: *Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam ut caecus esset: tamen is, cum sententia Senatus inclinaret ad pacem et foedus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius:*

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
Antehac, dementi sese flexere ruina?

Vide locum, Plutarchum in Pyrrho, et Epitomen Livianam lib. 26. Abram.

batur: ad quam causam etiam Appium illum, et caecum, et senem, delatum esse, memoriae proditum est. De supplicationibus referebatur; quo in genere senatores deesse non solent. Coguntur enim non pignoribus, sed eorum, quorum de honore agitur,

Non pignoribus] Consules nonnunquam a Senatoribus pignora quaedam auferebant, ut videlicet Senator ea pignora perderet, qui Consuli aliquid iubenti obtemperare noluisset. Paulo post: *Quis autem unquam tanto damno Senatorem coëgit? aut quid est ultra pignus aut multam?* Non solum autem his pignoribus Senatores cogebant, Senatui interesse, sed etiam aliis rebus coërcebant, et in officio continebant. Tertio de Oratore: *Hic cum homini et vehementi et diserto, et imprimis forti ad resistendum, Philippo* (Consuli) *quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille et graviter exarsit; pignoribusque ablatis Crassum instituit coërcere. Quo quidem ipso in loco multa a Crasso divinitus dicta referebantur, cum sibi illum Consulem esse negaret, cui Senator ipse non esset. An tu cum omnem auctoritatem universi ordinis propugnare putares, eamque in conspectu populi Romani conciderer, me his pignóribus existimas posse teneri? Non tibi illa sunt cedenda. si Crassum vis coërcere, haec est excidenda lingua, qua vel evulsa spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit.* Sed, ut ad Ciceronem et Antonium redeamus, rem gestam ita describit Plutarchus: *Postridie Senatum habente Antonio, et ipsum arcessente, non venit in Senatum, sed decubuit, languere se ex via causans. Apparebat revera formidinem subesse insidiarum ex suspicione quadam et delato in itinere ad eum indicio. At Antonius tulit acerbe eam calumniam, ac militibus missis imperavit, ut adducerent eum, aut domum incenderent. Sed cum intercederent frequentes deprecarenturque, pignoribus tantummodo captis quievit.* Haec ille: quae sane non video quomodo Ciceroni consentiant. Neque enim, etsi hesternam iniuriam Antonii, quantum potest, exaggerat, ullam aut militum ab Antonio missorum, aut inflammationis aedium militibus demandatae, aut captorum pignorum facit mentionem. Sed tantummodo queritur, quod comminatus fuerit Antonius, se publicis fabris et operis disturbaturum esse domum ipsius. Neque pignora a se capta fuisse dicit, sed queritur, Antonium disturbationem aedium comminatum fuisse, cum alii Senatores, qui Consuli parere renuerint, non gravius quam aut pignorum acceptione, aut multae irrogatione plectantur. ABRAM.

Quorum de honore] Vatican.

gratia: quod idem fit, quum de triumpho refertur: Ita sine cura consules sunt, ut paene liberum sit senatori, non adesse. Qui quum mihi mos notus esset, quumque de via languerem, et mihimet displicerem: misi, pro amicitia, qui hoc ei diceret. At ille, vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum esse dixit. Nimis iracunde hoc quidem, et valde intemperanter. Cuius enim maleficii ista poena est,

de quorum honore, et ita Muretus. GAR.

Ita sine cura Consules sunt] Lang. C. pro *Consules*. Colotianus. *Consul.* nonnulli, *Consulares.* ego sequor impressos. FERRARIVS.

Cumque e via languerem] Tres libri scripti, *de via*, quos vehementer probo: siquidem ab his scriptores luculentissimi faciunt. Plaut. in Pseud. *Nam ut lassus veni de via, me volo curare.* Cic. in Acad. *Et nisi de via fessus esset, continuo ad nos venturum fuisse.* Et de Somn. Scip. *Me et fessum de via, et qui ad multam noctem vigilassem.* IDEM. P. Man. Car. Steph. omnesque, Mur. excepto, postea, *de via*, neque aliter Barb. sec. Tamen cum ceteris editis et Barb. pr. *e via* servat Vaticanus. GAR.

Misi pro amicitia, qui hoc diceret] *Qui hoc ediceret*, o. l. s. quod aures meae multo magis probant. *Edicere* autem non modo valet, edicto iubere: verum etiam dicere, indicare, atque etiam enuntiare significat. Sal. *Is cum se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset: iussus a Cos. quae sciret, edicere.* Cic. de Am. *Si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, edixero.* Plaut. in Men. *Omnia hercle ego edictavi.* Quid? si corrigamus, *hoc ei diceret.* omnino mollius atque usitatius videretur. tot librorum tamen consensionem pro nihilo putandam non arbitror. FERR. *Qui hoc ediceret*] Antiquus liber, *qui hoc ei diceret*, iuxta coniecturam Hieronymi Ferrarii. FAERN. *Qui hoc ei diceret*] Hoc melius esse, viderat et Ferrarius: cuius coniecturam optimi libri anctoritas confirmavit. MVRETVS. Si Faërnum et Muretum vidisset Gruterus, non reprehendisset Lambinum et Manutium, qui non coniecturam Ferrarii, sed antiquissimi codicis Vaticani scripturam secuti sunt. Sed Faërni et Mureti editionem Philippicarum, et in eas notas non vidisse Gruterum, ex multis aliis locis constat. GRAEV. Ald. Naug. Cam. utraque Gryph. *diceret.* Barb. ambo, Rom. Ven. P. Man. Car. Steph. repet. Lamb. Grut. *ediceret.* GAR.

Intemperanter] Intemperantia non solum in libidine, sed etiam in ira. vide Vatin. c. 1. ABRAM.

Cuius enim maleficii ista poena

ut dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum publice ex senatus sententia aedificatam domum? Quis autem umquam tanto damno senatorem coëgit? aut quid est ultra pignus, aut multam? Quod si scisset, quam sententiam dicturus

est] Addenda vox, *tanta*, ut sit, *tanta ista poena est.* FAERNUS. Omnes, praeter Muret. Lamb. et Graev., contemserunt hanc vocem in uno Vat. inventam, quam etiam Barbador. iure probarat. GAR.

Publice aedificatam] In Pisonem: *Me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, Pontifices, Consules, Praetores, collocaverunt: mihique, quod ante me nemini, pecunia publica aedificandam domum censuerunt.* Et enucleatius de Haruspic. resp. domum suam divino et humano iure munitam esse demonstrat: *Quae primum aedificatur ex auctoritate Senatus pecunia publica. deinde contra vim nefariam huius gladiatoris,* Clodii, *tot Senatusconsultis munita atque septa est. Primum negotium iisdem magistratibus est datum anno superiore, ut curarent, ut sine vi mihi aedificare liceret, quibus in maximis periculis universa respublica commendari solet: deinde cum ille saxis et ignibus et ferro vastitatem meis aedibus intulisset, decrevit Senatus, eos, qui id fecissent, lege de vi, quae est in eos, qui universam rempublicam oppugnassent, teneri,* etc. *qui meam domum violasset, contra rempublicam esse facturum. Nego ullo de opere publico, de monumento, de templo, tot Senatus extare consulta, quot de mea domo, quam Senatus unam, post hanc Urbem constitutam, ex aerario aedificandam, a Pontificibus liberandam, a magistratibus defendendam, a iudicibus puniendam putaret.* E quibus videas impotentiam Antonii, qui se fabros ad eam domum disturbandam missurum esse minatus est. ABR.

Quid est ultra pignus, aut multam] An Senatores parere Consuli renuentes gravius a Consule puniuntur, quam si vel pignus ab iis auferatur, quod ipsi amittant, nisi se praestiterint Consuli dicto audientes, vel pecuniaria multa irrogetur. IDEM.

Qui si sciret] Legendum, *quod si scisset*, ex antiquo libro. FAERNUS. Cum viderem hic praefixum, et in V, L. Graevii editionibus tributum, *qui si sciret,* mihi statim videbatur hoc esse Tullianum, et male in aliis libris hominum imperitia interpolatum, quibus incaute viri docti crediderint. Hac enim ipsa varietate modorum pluries usum Tullium fuisse, iam ostendi ad c. 67. pro Sext. Sed, ubi ad meos libros accessi, omnes vidi

essem, remisisset aliquid profecto de severitate cogendi.

VI. An me censetis, Patres conscripti, quod vos inviti secuti estis, decreturum fuisse, ut parentalia cum supplicationibus miscerentur? ut inexpiabiles religiones in rem publicam inducerentur? ut

habere, *qui si scisset.* Itaque, si quis aliquo ex libro praestanti proferet, *sciret*, ei iam nunc auctor probandi fio. Interea viros doctos non reprehendo, a quibus non fuit *quod* receptum, quamvis Lamb. id se recepisse dicat ex omnibus MSis, nempe Vaticano eos omnes accedere, quos ipse consuluit. Gar. Etiam Ern. et Schütz. receperunt: *quod si scisset.* Ern. damnat immerito *qui* propterea, quod tam longe absit a personae mentione. Ien. et Teeg. *quod.*

An me censetis] Si hesterno die adfuissem, putatisne me adeo timidum futurum fuisse, ut pro parentalibus et iustis, quae mortuis fieri solent, supplicationes in honorem mortui Caesaris decernerem. Quia tamen id Senatus universus decreverat, eum a necessitate excusat, ne totum ordinem reprehendere videatur. Abr.

Inviti secuti estis] *Secuti estis inviti*, L. Col. oratio certe fit et numero plenior, et compositione lenior. Ferrar.

Parentalia] Noster 2. de legibus: *Februario mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt. quod tamen D. Brutus, ut scriptum a Sisenna est, Decembri facere solebat.* Tertullianus de testimonio animae: *Vocas porro securos, si quando extra portam cum obsoniis et matteis tibi potius parentans ad busta recedis, aut a bustis dilutior redis.* Plinius lib. 18. c. 12: *Quin et prisco ritu fabacia suae religionis Diis in sacro est, praevalens pulmentari cibo, et hebetare sensus existimata, insomnia quoque facere. ob haec Pythagorica quoque sententia damnata, ut alii tradidere: quoniam mortuorum animae sint in ea. Qua de caussa parentando utique assumitur.* Festus: *Fabam nec tangere, nec nominare Diali Flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam et Lemuralibus iacitur Larvis, et parentalibus adhibetur sacrificiis, et in flore eius luctus litterae apparere videntur.* E quibus apparet parentalia esse sacrificia quaedam et epulas in mortuorum memoriam celebratas. dicta parentalia, quod id officii genus mortuis parentibus exhibetur. Abram.

Inexpiabiles religiones] Quae nullis sacrificiis, nulla instauratione possent expiari: quibus adeo Dii offenderentur, ut placari vix possent. Idem. Vatican. *in republica inducerentur.* Gar.

Ut decernerentur supplicatio-

decernerentur supplicationes mortuo? Nihil dico, cui. Fuerit ille L. Brutus, qui et ipse regio domi-

nes mortuorum] Ex antiquo libro lege, *mortuo.* Faernus. *Ut decernerentur supplicationes mortuo*] Antea, *mortuorum.* male. de uno enim Caesare loquitur. neque satis Latina oratio erat, quomodo antea legebatur. Mur. *Supplicationes mortuo*] Quatenus autem liceret aut nefas esset supplicationes mortuis decernere, fuse tractavimus, et hunc ipsum locum exposuimus in Vatin. ad illa verba c. 12: *Dices te supplicationes illas non probasse.* Abr. Unus Eru. pravam lectionem *mortuorum* retinuit, quod sibi illa correctio esse videatur.

Nihil dico, quis fuerit ille L. Brutus] Nos antea, tantummodo coniectura ducti, pro *quis cui* reposueramus ita, ut ante *fuerit* notam distinctionis apponeremus: quod, omni scriptura diligenter considerata, Cicero mihi videbatur hoc voluisse dicere, se nullo modo eos honores, qui diis immortalibus deberentur, cuiquam mortuo fuisse decretu-rum. Itaque cum dixisset, *An me censetis, P. C., quod vos inviti secuti estis, decreturum fuisse, ut decernerentur supplicationes mortuorum?* Tum illud addidit, *nihil dico cui.* non disputo, cui hic honos haberetur, nefario, a tyranno, scelerato, impio. Verum fac fuisse L. Brutum exactorem regum, patriae liberatorem, adduci tamen non possem, et quae sequuntur. Similiter autem locutus est in oratione pro Sext. *Cur de capite civis? non disputo, cuiusmodi civis,* etc. Verum hoc antea, ut dixi, coniectura modo adductus, nunc eo magis id affirmo, quod sententiae meae antiquissimus quisque liber adstipulator est. Erunt tamen fortasse nonnulli, quibus magis arrideat *quoius, cuius,* a patrio casu, ut sit superiori scripturae consequens: dixerat enim *mortuorum.* quae sententia ut reprehendi non posset, si alicuius unius libri auctoritate niteretur, ita non magnopere probanda, cum a scripto recedat: praesertim cum M. Tullius quibusdam legibus ita sit astrictus, ut iis interdum tamen se relaxet atque solvat. siquis tamen id pugnaciter defendet, nos ei non valde repugnabimus. Ferrar. *Nihil dico cui*] In vetere libro, *qui.* Sed scribendi ratio antiqua est: ut in illo Virgilii:

— *qui non risere parentes.*

Sic infra, *aecum*, pro, *aequum:* et *locuntur*, pro, *loquuntur.* Muretus. *Nihil dico cui*] Est a coniectura Ferrarii, confirmata deinde exemplaribus vetustis: et accedunt Pall. in quibus *qui.* Gruterus. Adde Nann. ad II. in Verr. 59. Gar.

Fuerit ille L. Brutus] Prudenter sumit exemplum a Iunio Bruto, qui Tarquinium eiusque liberos eiecerat, asserueratque libertatem reip. ut ex hac oppositione patriae liberatoris, et publicae libertatis oppressoris in-

natu rem publicam liberavit, et ad similem virtutem et simile factum stirpem iam prope in quingentesimum annum propagavit: adduci tamen non pos-

dignitas illius S. C. magis eluceat. Abram.

Stirpem] M. Brutum, et D. Brutum, qui praecipui duces fuerunt conspirationis et necis Caesari inferendae. Idem.

Stirpem in prope quingentesimum] Lectio antiqua, *stirpem iam prope in quingentesimum*. Faernus. Restituimus itaque hanc voculam cum Faërno, Mureto, Lambino, Paullo Manutio, quam male neglexerunt alii editores. Graevius. Vetus Lucani Scholiastes ad VII. 587. *Fuerit ille licet Brutus, qui et ipse dominatu regio remp. liberavit, et stirpem prope quingentesimum annum propagavit.* Parum accurate. Sed tamen ordinem illum, *dominatu regio*, confirmant omnes Lambini codices, quos cum eo sequor. Etiam vere fortasse Manutianae posteriores, *prope iam quingentesimum*. Facile in libris fere omnibus ex *iam* fieri potuit *in:* cum neutrum agnoscat Scholiastes, utrumque Vaticani, cui tamen recte paruerunt etiam Oliv. et Lallemand. In Vaticano autem reperi: *fuerit ille Brutus, qui et ipse dominatu regio etc.* Garaton.

In prope quingentesimum annum] Eiecti sunt Reges anno ab Urbe condita CCXLIV. ut probabilissima est omnium sententia: habita est haec oratio anno ab U. C. DCCX. vel, ut alii supputant, DCCIX. Si igitur alterum numerum ab altero subduxeris, erunt anni CDLXIV. vel CDLXIII. Iunius Brutus stirpem suam dicitur ad simile factum in annum prope quingentesimum propagasse, quia posteros reliquit, qui anno post quadringentesimo sexagesimo quarto virtutem eius imitarentur, et remp. a Caesaris dominatu liberarent, quemadmodum ipse Tarquinios eiecerat, et Urbem a servitutis iugo vindicarat. Dionysius tamen Halicarnasseus lib. 5. antiq. Rom. *Et Brutus quidem hunc vitae finem sortitus est, nullam prolem aut masculam, aut foemellam relinquens, ut, qui res Romanas clarissime examinarunt, litteris prodiderunt.* Cuius rei illud indicium certissimum esse dicit: *Quod ille erat patricius, at, qui ex ea gente dicebantur oriundi, Iunii et Bruti, omnes erant plebeii, eosque magistratus gesserunt, quos per legem licebat gerere plebeiis, aedilitates nimirum et tribunatus.* Sed et fieri potuit, ut Iunia gens a patriciis ad plebem transiverit, et scribit Plutarchus, id ab iis, qui ob Caesaris necem Brutis erant infensi, fuisse iactatum, et Luc. Bruto tertium fuisse filium, a quo stirps fuerit propagata, auctore Posidonio, qui et addebat: *Nonnullos etiam aequalium suorum, qui ex ea gente erant, clarorum virorum, repraesen-*

sem, ut quemquam mortuum coniungerem cum immortalium religione: ut, cuius sepulcrum usquam

tasse facie Bruti statuam. Abr. *Iam prope in quing.*] Ita Vat. et reliq. edit. omnes, qui eum sequuti sunt. Ern. et Schütz. *in prope quing.* Guelf. et Teeg. omittunt *prope.* item Ien. et Britannici.

Cum Deorum immortalium] In antiquo libro non est dictio, *Deorum:* quae nec necessaria est: pulchre enim sine ea opponitur mortuus immortalibus. substantive autem dici immortales, etiam Epigramma illud ostendit, *immortales mortales si foret fas flere.* Item absunt ab antiquo libro duae dictiones, quae in impressis paulo post sequuntur, *Patres Conscripti.* Faernus. Auctoritate vetustissimi illius codicis *Deorum* delevit praeter Faërnum Muretus etiam et, ut ex eius notis constat, P. Manutius, quamvis contextus illam vocem retinuerit. Graevius. Similis figura, sed non similis ratio verborum c. 9. in Pison. *quem ego civem, meo iudicio, cum Deorum immortalium laude coniungo.* Hic igitur unico Vaticano cum omnibus recentioribus, et Lamb. subscribo, cuius elegantiam Faërnus probe intellexerat. Sic etiam Varro apud Augustin. VI. de Civit. Dei 5. *in eo sunt multa contra dignitatem et naturam immortalium ficta.* Sic passim Graeci: velut apud Hesiod. Theog. v. 937. κύδιμον Ἑρμῆν, Κήρυκ' ἀθανάτων, *gloriosum Mercurium, Praeconem immortalium:* sed pueris ipsis est notum. Quis miretur, cum vicissim *mortales* pro hominibus creberrime occurrant? Et sane in formula, *dii immortales*, alterutrum abundat, quod nimirum attinet ad intelligendum. In Epigr. Catuli I. de N. D. 28. *Mortalis visus pulchrior esse deo*, h. e. immortali. Cicero ibid. I. 16. *mortalesque ex immortalibus procreatos*, et III. Tuscul. 17. *qui mortalis natus conditionem postules immortalium.* Garatonius. *Deor.* ante *immort.* omiserunt Ern. et Schütz. in o. de Britann. abest etiam *Deorum.*

Ut, cuius sepulcrum] Liber vetus, *sepulchrum.* Sic et *lachrimas* saepe in eo scriptum videas. puto autem, hoc non superioris periodi membrum esse, sed plenam et absolutam comprehensionem, quae per indignationem efferatur, hoc modo: *Ut, cuius sepulcrum nusquam extet, ubi parentetur, ei publice supplicetur? Ego vero* etc. Muretus.

Ut, cuius sepulcrum usquam extet etc.] Ita alias legi, est ad oram ed. Lambini; sicque Maurit. ac S. Victoris membranae. recte. tangit morem Romanum. Diis enim supplicabant, ut Romulo, cuius nusquam sepulcrum. at viris illustribus ad sepulcrum cuiusque parentabant, ut Tatio, aliis etc. Grut. *Ut, cuius sepulchrum nusquam extet*] Videtur legendum, *ut, cuius sepulchrum usquam extet, ubi parente-*

exstet, ubi parentetur, ei publice supplicetur. Ego vero eam sententiam dixissem, Patres conscripti, ut me adversus populum Romanum, si qui accidisset gravior rei publicae casus, si bellum, si morbus, si fames, facile possem defendere: quae partim iam

tur, ei publice supplicetur. quasi dicat, ei non esses upplicandum, honoresque divinos tribuendos, qui mortuus fuerit et alicubi sepultus, ad cuius sepulchrum debeant iusta persolvi. Sic pro Flacco: *Cuius damnatione sepulchrum L. Catilinae floribus ornatum: hominum audacissimorum ac domesticorum hostium conventu epulisque celebratum: iusta Catilinae facta sunt. Quam potestis L. Lentulo, qui vos in complexu liberorum coniugumque vestrarum trucidatos incendio patriae sepelire conatus est, mactare victimam gratiorem, quam si L. Flacci sanguine illius nefarium in vos omnes odium saturaveritis? Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego,* etc. Abram. *Usquam* est quidem in Coloniensi, sed in reliquis tribus, ut et in Vaticano, *nusquam.* quod non fuit mutandum. Nam re vera nullum Iulii Caesaris extabat tum temporis sepulchrum. Crematus erat in foro, ibique columna ei dedicata, sed postea eversa a Dolabella. Graevius. Lamb. notaverat, se in uno codice reperisse *usquam,* et coniecerat *uspiam.* Mei cum Graevio faciunt. Gar. Damnarunt Ern. et Schütz. *nusquam*, quod exstaret locus, ubi combustus esset. Ien. Teeg. et Britannici: *nusquam.* Recte.

Ego vero eam sententiam dixissem] Ego tam libere huic impietati restitissem, repugnassemque, ne mortuo supplicationes decernerentur, ut, si pestis aut bellum aut fames accidisset, populusque Romanus huius calamitatis caussam in Senatum et violatas ab eo religiones refunderet, facile possem me defendere, et demonstrare, has publicas clades mea culpa non contigisse. Abram. Retinendum videtur, *Patres Conscripti,* licet absit a Vaticano, et a Mureto deletum fuerit. Mox omnes ante Lamb. editi, quos habeo, et duo Barb. *si quis* pro *si qui.* Gar.

Si morbus] Id est pestis, quae nihil aliud est quam morbus epidemius, ut medici loquuntur. vide orationem de Provinciis Consularibus. Quod autem ait, ea mala partim iam esse, partim se metuere, ne impendeant, eo ipso tempore Dio libro 45: *Haec omnia* prodigia *pestis vehemens excepit per totam fere Italiam.* Hoc ipso anno erupit bellum Mutinense, ut omittam alia bella civilia. biennio post ingens fames, mare Siculum Sexto Pompeio, Ionium Cn. Domitio obtinente. ut scribit Dio libro 48: *Et fame multi in urbe perierunt.* Abram.

Facile possim defendere] *Possem*, o. l. v. perspicure ectum.

sunt, partim timeo ne impendeant. Sed hoc ignoscent dii immortales, velim, et populo Romano, qui id non probat, et huic ordini, qui decrevit invitus. Quid? de reliquis rei publicae malis licetne dicere? Mihi vero licet, et semper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere. Potestas modo veniendi in hunc locum sit: dicendi periculum non recuso. Atque utinam, Patres conscripti, Kalendis Sextilibus adesse potuissem! non quo profici potuerit aliquid: sed ne unus modo consularis, quod tum accidit, dignus illo honore, dignus re publica inveniretur. Qua quidem ex re magnum accipio dolorem, homines amplissimis populi Romani beneficiis usos L. Pisonem, ducem

Ferrar. In Aldi senioris et Naugerii solis editionibus *possim* inveni. Gar.

Partim timeo ne impendeant] *Impendeant*, l. v. perspicue rectum. Ferrar. Mendum corrigit Romanae, Venetae, Aldi, et Naugerii, quod erat etiam in Barb. sec. a manu prima, ubi litteram praetermissam addidit Politianus. Statim codex a Gronovio collatus, *quae partim iam fuerunt*, paulloque post, *et populo Romano, qui non probat*. Gar.

Quid? de reliquis] Antonius armis Senatus libertatem oppresserat, et ita omnes aditus obsepiebat, ut nisi quos ipse vellet ad Senatum venire non possent: eam ob rem Orator dicendi libertatem pollicetur, nec se periculo deterreri ait, dummodo liceat ad Senatum accedere. Abr.

In hunc locum] In cellam Concordiae. ibi enim habitam fuisse hanc orationem liquet ex Philipp. 5. Idem.

Dicendi periculum] Ita etiam in optimo libro scriptum est. Sed alia manu ex *dicendi* factum est *dicedendi*: nimirum ab aliquo, qui pro *dicendi* hoc loco substituere *discedendi*, et stultitiam suam eius libri auctoritate tegere in animo haberet. Mur.

Atque utinam, P. C.] Kalendis Sextilibus Senatum coëgerat Antonius, cumque res quasdam reipublicae perniciosas proponeret, caeteri Consulares metu perterriti non restiterunt: unus Luc. Piso, qui socer fuerat Caesaris, magna dicendi libertate dixit sententiam reipublicae salutarem, graviter insectans tyrannidem Antonii: nihil tamen profecit, quia caeteri non ausi sunt eius libertatem imitari: hoc est igitur, quod queritur Orator, et prae caeteris carpit Consulares, quia, cum prae caeteris dignitate eminerent, debebant prae caeteris ad reipublicae salutem excubare. Abram.

Unus modo Consularis] Luc. Piso. Idem.

Homines amplissimis populi

optimae sententiae, non secutos. Iccircone nos populus Romanus consules fecit, ut in altissimo amplissi-

Romani beneficiis usos] Consulares tum erant L. Piso, Servius Sulpicius, Luc. Caesar, C. Marcellus, Fusius Calenus, Servilius Isauricus, P. Vatinius. Horum plerosque reprehendit: quorundam tamen silentio ignoscit, ut Luc. Caesaris, qui cum esset avunculus Antonii, potuit consanguinitatem silentio suo praetexere. Idem.

Optimae sententiae] *Optumae* scribitur in Vaticano, ut Muret. edidit, quam scribendi rationem Sallustio Cortius, Ciceroni Davisius adtribuit. Gar.

Consulares fecit] L. Colotianus, *Cos.* Lang. quicum plerique faciunt, *Consules.* quod valde placet. Ferrarius. Graev. *in altissimo amplissimoque.* Ern. et Schütz. merito *consules* pro vulg. *consulares* scripserunt, at omiserunt: *amplissimoque,* quod desideretur in Guelf. quum tamen Vat. exhibeat hanc vocem, quod negat Ern.

Ut in altissimo gradu dignitatis locati] Liber Vaticanus habet, *Ut in altissimo amplissimoque gradu dignitatis locati.* Fulv. Ursinus. P. Man. Car. Steph. et Lamb. *Consules fecit, ut in altissimo gradu.* Ferrett. huic lectioni addebat, *amplissimoque,* quae vox in Vaticano primum omissa, deinde recentiore manu continenter in margine adscripta fuit, quo nunc linea excurrit. Huiusmodi additamenta, quamvis saepe bona, Faërnus contemnere consuevit. Ceteri editi, quos habeo, *Consulares fecit, ut in altissimo amplissimoque gradu.* In utroque Barb. reperi *Consulares,* sed in iisdem omittitur *amplissimoque,* ut cum Aldo seniore plane consentiant, cuius editio a ceterarum turba excipienda est. Proinde id verbum omittunt omnes Ferrarii codices, qui Aldina utebatur, et silet, ut eius sectator P. Man. est recte interpretatus. Satis est mehercule, *in altissimo,* quemadmodum post red. in Sen. 1. pro Domo 37. pro Sext. 9. in Lael. 3. Adde I. ad Div. 7. *te facillime obtinere posse summum atque altissimum gradum civitatis.* Sed et eo loco synonyma iunguntur, et non modo III. de Leg. 3. *amplior honoris gradus* habetur, sed etiam VI. ad Div. 10. *cum omni gradu amplissimo dignissimus, tum certe ordinis tui facile princeps:* et pro Mur. 14. *Duae sunt artes, quae possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis,* plane ut h. l. Quod autem ad superiorem lectionem attinet, cum MSis quibusque melioribus Vaticanus habet *Consules,* ut sese ducem iis praebeat. Populus vero *Consules* faciens, faciebat proinde *Consulares;* quemadmodum Senatores facere dicebatur, quia in Senatum ii veniebant, et legebantur, quibus urbanos magi-

moque gradu dignitatis locati, rem publicam pro nihilo haberemus? Non modo voce nemo L. Pisoni consularis, sed ne vultu quidem assensus est. Quaenam (malum) est ista voluntaria servitus? Fuerit quaedam necessaria. Nec ego hoc ab omnibus iis desidero, qui sententiam loco consulari dicunt. Alia causa est eorum, quorum silentio ignosco: alia eorum, quorum vocem requiro. Quos quidem doleo in suspicionem populi Romani venire,

stratus ille mandaverat. Non est itaque absurda vulgata. GARATON.

Non modo voce nemo L. Pisoni Consularis] Meus codex: *Non modo voce nemo L. Pisonis Consularis orationi, sed ne vultu quidem assensus est.* quod minime contemnendum censeo. GRAEVIUS. Vaticanus in eo tantum a vulgata discedit, quod pro *Consularis* habet *Consulari.* Ultimam litteram sequens absorbuit. GAR.

Quaenam, malum] Vatic. imo etiam Aquila Rhetor de fig. cap. XLV. *quae, malum:* ut pro Rosc. Com. *qua, malum, stultitia fuit Roscius*, c. 18. tumque alibi, tum infra X. 9. *quae, malum, est ista ratio.* Idem eod. *neque ego hoc etc.* Utrumque Muret. adscivit. IDEM.

Qui sententiam loco Consulari dicunt] L. Col. et alii nonnulli, *Consulari loco dicunt.* quos sequimur, ut asperitatem concursus extremi verbi cum insequenti primo vitemus. sic in VII. Phil. *Dicere in hoc ordine sententiam M. Antonium consulari loco.* FERRARIUS. *Loco Consulari*] Adverte non omnes fuisse consulares, qui sententiam loco consulari dicebant. Quibusdam enim honoris et praemii caussa concessum, ut sententiam dicerent loco vel consulari, vel praetorio, quamvis nec consules nec praetores fuissent. Vide Vatinianam: *Tertium scis ex illo obsesso atque afflicto tribunatu, consularem auctoritatem hominem adolescentem esse consecutum.* Pro Cornelio Balbo: *Obiectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit: quod hic assecutus est legis de ambitu praemio minus invidioso, quam qui legum praemiis praetoriam sententiam et praetextam togam consequuntur.* Philippica: Censet Senatusconsultum his verbis esse concipiendum, *Senatui placere C. Caesarem C. F. Pontificem, Propraetorem, Senatorem esse, sententiamque loco Praetorio dicere.* Imo S. C. factum esse tradit Appianus 3. de bellis civilibus, ut posset *iam tum dicere sententiam inter Consulares.* et C. Carbonem, M. Cottae accusatorem, *honoribus Consularibus, etsi duntaxat fuerat Tribunus plebis, affecerunt.* ABRAM.

In suspicionem populi Romani

non modo metus, quod ipsum esset turpe, sed alium alia de causa deesse dignitati suae..

VII. Quare primum maximas gratias et habeo et ago L. Pisoni, qui non, quid efficere posset in re

venire] *In suspectionem*. Lang. Ferrarivs.

Non metu] Antiquus liber, *non modo metus*. Faern. Sic vel sine libro ratio locutionis scribendum esse docet, et merito recepit Faërnus, Muretus, Lambinus, qui in his Philippicis orationibus optime sequitur omnium optimum codicem Vaticanum, quem excusserat Faërnus et Muretus. Male haec contemserunt editores posteriores, quod Gruterus non fecisset, si Faërni et Mureti editionem harum orationum, et in illas annotata vidisset. Graev. Ern. *metu*, quod sic scriptum esset in Guelf. quem sequutus est Schütz. Praeferenda est lectio Vat. quanquam *metu* est in Ien. Teeg. et Britann.

Quod ipsum est turpe] *Esset*, non *est*, o. l. v. quemadmodum in oratione contra Pis. locutus est, *Pro Aurelio tribunali ne connivente quidem te*, *quod ipsum esset scelus*, *sed etiam hilarioribus oculis*, *quam solitus eras*, *intuente*. Ferrarivs. *Quod ipsum esset turpe*] Habebat et istud Pal. sec. et S. Victoris, item Maur. et P. non, ut vulgatur, *est*. Grvtervs. Atqui *esset* iam receperant P. Manut. Car. Steph. Muret. Lambinus: confirmatur autem a Vaticano. Gar.

Alium alia de caussa] Innuit oblique, quosdam esse, qui Antonio conniveant, quod etiam ipsi publicae libertatis opprimendae et invadendae tyrannidis studio teneantur. Abram.

Qui non, *quid efficere posset*] Extra unum atque alterum librum, in quibus Col. (de veteribus enim loquor: nam recentiores quoque cum impressis faciunt) reliqui sic, *Qui non quid in rempublicam cogitavit*, *sed quid facere ipse deberet*. Qua scriptura diligenter considerata, atque omnibus ex partibus pertentata, hanc in opinionem discessi, ut huic aliquid deesse potius putarem, quam impressae superare: cum praesertim, ut dixi, duo vetustissimi libri, atque ex omnibus minime mendosi hinc sentiant, et sententia bona sit, ac bonis verbis elata. tot librorum tamen consensionem silentio praeterire non placuit. de eo convenit inter omnes, quod illud verbum *ipse* s. proximum a postremo locum tenet: quomodo quidem multo melius cadit ipsa comprehensio. Ferr. *Non, quid efficere posset in republica, cogitavit*] Malim accedere mss. iis Ferrarii, in quibus; *non quid in rempublicam cogitavit*. Grvt. Rectius de suis MSis indicavit ipse Ferrarius. Vatic. et Barb. ambo vulgatam comprobant: in Rom. et Ven. desunt, *in rep*. contra in cod. Gronov. deest verbum *efficere*. Gar. Ern.

publica, cogitavit, sed quid facere deberet: deinde a vobis, Patres conscripti, peto, ut, etiamsi sequi minus audebitis orationem atque auctoritatem meam, benigne tamen me, ut fecistis adhuc, audiatis.

Primum igitur acta Caesaris servanda censeo:

temere omisit *ipse*, item Schütz., quum ista vox suam vim hic obtineat, nec ab ullo codice labefactetur.

Quid facere ipse deberet] Simile est illud Arriani lib. 2. dissert. Epict. cap. 7: *ἡ γυνὴ καλῶς εἶπεν ἡ πέμψαι θέλουσα τῇ Γρατίλλῃ ἐξωρισμένῃ τὸ πλεῖον τῶν ἐπιμηνίων, κατὰ τὸν εἰπόντα, ὅτι ἀφαιρήσεται αὐτὰ Δομιτιανός. μᾶλλον θέλω, φησὶν, ἵν' ἐκεῖνος αὔτ' ἀφέληται, ἢ ἐγὼ μὴ πέμψω. Bene illa mulier mittere volens Gratillae exulanti quod residuum erat menstruae pensionis, ei qui dixerat, atqui auferet ista Domitianus, malo, inquit, ut ille auferat, quam ut ego non mittam.* Nec etiam alienum fuerit huc referre Helvidii Prisci constantiam, qui ut Piso in dicenda sententia, non considerabat, quid efficere posset, sed quid facere deberet, ut narrat idem Arrianus lib. 1. dissert. cap. 2. et narrationem ita concludit: *Τί οὖν ὠφέλησε Πρίσκος εἷς ὤν; τί δ' ὠφελεῖ ἡ πορφύρα τὸ ἱμάτιον; τί γὰρ ἄλλο ἢ διαπρέπει ἐν αὐτῷ ὡς πορφύρα; καὶ τοῖς ἄλλοις δὲ καλὸν παράδειγμα ἔγκειται. Quid igitur Priscus profecit, cum unus esset? quid proficit purpura vestimento? quid enim aliud, quam splendet in se ipso ut purpura, et aliis honestum est exemplum?* Abram.

Benigne tamen me] *Benigne me tamen*, o. l. v. Ferrarius. His accedit Barb. sec. atque ita ediderunt P. Man. et Car. Steph. soli ante Graev. probante Barbadorio. Lamb. *benigne tamen me, ut adhuc fecistis, audiatis*, et MSos allegat. Vatic. *benigne me tamen, ut adhuc fecistis:* neque aliter Muret. Gar.

Primum igitur acta Caesaris servanda censeo] Post necem Caesaris relatum est ad Senatum de rescindendis actis Caesaris: et multi quidem nihil eorum, quae Caesar egisset, ratum habendum esse censebant. Quia tamen multis primariis civibus provincias, magistratus, alia beneficia concesserat, verendumque fuit, ne rescissis huiusmodi actis nova belli civilis occasio nasceretur, visum est reipublicae rationibus expedire, ut Caesaris acta servarentur, iique magistratus et provincias obtinerent, quibus Caesar eas concesserat. Calpurnia Caesaris coniux, audita mariti nece, eius libellos et chirographa cum magna pecuniae vi detulit ad Antonium, verita, ne coniurati in bona Caesaris involarent, eaque fisco addicerent, et Antonius Faberium Caesaris amanuensem ad se pellexit, qui

non quo probem; quis enim id quidem potest? sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis et otii. Vellem adesset Antonius, modo sine advocatis. Sed, ut opinor, licet ei minus valere; quod mihi

Caesaris syngraphas et commentarios adulteraret ipsius arbitratu. Et ita nomine Caesaris aliis alia donavit, vectigales provincias liberavit, immunitates divisit, exules revocavit, omnem denique laceravit rempublicam, unum Caesaris nomen singulis facinoribus praetexens, quasi Caesar, dum viveret, ea facere decrevisset, et in suos commentarios retulisset, ut tradunt Dio, Plutarchus, Appianus. Hoc igitur est, quod Cicero reprehendit, huiusmodi syngraphas acta Caesaris vocari et servari, leges a Caesare perlatas contrariis legibus ab Antonio violari. Abram.

Non quo probem] Imo quasdam Caesaris leges maxime probat, ut legem de provinciis. Verum etsi rem ipsam probet, non probat tamen legis auctorem, quippe qui non legitimus erat magistratus, sed rempublicam tyrannice invaserat. Idem.

Pacis et otii] Boni Senatoris esse paci et civium concordiae providere, iam ostendimus de Provinc. Consularibus: *Fungitur officio boni Senatoris.* Vide etiam pro Sextio: *Quid est igitur propositum his reipublicae gubernatoribus, quod intueri, et quo cursum suum dirigere debeant? id quod est praestantissimum, maximeque optabile omnibus sanis, et bonis, et beatis:* CVM DIGNITATE OTIVM. Abram. Lamb. *atque otii,* nullo cod. laudato: sed ita Barb. sec. a manu secunda, imo etiam Vaticanus, et ed. Mureti. Gar.

Vellem adesset Antonius] Vellem Senatui interesset. Videtur autem esse verbum iudiciale. *adesse* enim dicitur reus, cum vadimonio se sistit. Abram.

Modo sine advocatis] Ea tamen conditione vellem adesse Antonium, ut nullos secum milites adduceret, qui suam illi praesentiam et auxilium commodarent, ut fieri solet in iudiciis, cum partibus litigantibus praesentiam suam commodant advocati. Vide Coelianam: '*Caussam de pecuniis repetundis Catilina dixit: meoum erat hic: illi ne advocatus quidem venit unquam.* Qua vero occasione militare praesidium sibi comparaverit Antonius, etiam ex Senatus auctoritate, dicemus in Philippicam secundam: *Arma ipse ceperis.* Idem.

Licet ei minus valere] Licet ei excusatione uti valetudinis, quo minus ad Senatum accedat, qua excusatione mihi uti per illum hesterno die non licebat. Cum enim ad illum misissem, me non posse Senatui interesse, quod languerem de via, ille Senatu audiente dixit, se domum meam venturum esse cum fabris ad eam diruendam. Idem.

heri per illum non licebat. Doceret me, vel potius vos, Patres conscripti, quemadmodum ipse Caesaris acta defenderet. An in commentariolis, et chirographis, et libellis se uno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, acta Caesaris firma erunt: quae ille in aes incidit, in quo populi

Non licebat] Lamb. *non licuit*, ex omnibus, ut ait, MSis: nec aliter Rom. et Ven. et cod. Vatic. Mureto quoque sequente. Sed praefero vulgatam, quae in ceteris omnibus meis editis est, et in utroque Barb. Gar.

An in commentariolis] In minutis schedulis, sive ephemeridibus ad servandam memoriam scriptis, et manuscriptionibus Caesaris apta vim et auctoritatem obtinebunt, nihili fient autem ea, quae Caesar in tabulas aeneas iussit insculpi, tanquam leges populi Romani suffragio receptas et comprobatas. Ait invidiose *populi iussa perpetuasque leges esse voluit*, quod videlicet populum non tam rogaret, quam ad recipiendas leges iussu compelleret. Abram.

Se uno auctore prolatis] Meus vetustus codex: *se uno auctore probatis*. quod tamen non probo. Graevius. Etiam Barb. uterque *probatis*. Gar. *prolatis*] Guelf. Graev. et Ien. Anglic. *probatis*.

Ac ne prolatis quidem] Videtur venustius sine copula, quae non est in antiquo libro. et paulo post pro, *cum iis*, in eo est, *quoniam iis*. sane in hac periodo dictio *temporibus* dativus est, et exponenda est, necessitatibus reipublicae. Faernus. Secutus etiam Muretus est hunc codicem, et Lambinus. Graev.

Quae ille in aes incidit] In aes incidebantur leges, foedera, Senatusconsulta. Vnde 1 Metamorphoseos:

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
Sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.
Poena metusque aberant, nec verba minantia fixo
Aere ligabantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.

3. in Catilinam: *Et simulacra Deorum immortalium depulsa sunt, et statuae veterum hominum deiectae, et legum aera liquefacta.* Et leges duodecim tabularum *in aes incisas* fuisse scribit Livius. Halicarnasseus: στήλαις χαλκαῖς ἐγχαράξαντες αὐτούς. *Cum eas in columnas aereas incidissent.* Iterum: εἰς δώδεκα χαλκοῦς πίνακας, *in tabulas aereas duodecim*, etc. Foedus cum Latinis ictum *in columna aenea post rostra incisum atque perscriptum* fuisse scribit Orator pro Cornelio. De S. C. res etiam nota est: sed obiter illud notandum ex Dionysio Halicarn. libro 3: *Nondum*

iussa, perpetuasque leges esse voluit, pro nihilo habebuntur? Equidem sic existimo: nihil tam esse in actis Caesaris, quam leges Caesaris. An, si cui quid

enim (sub Numa et Anco Marcio) *in usu erant columnae aereae; sed in quernis tabulis incidebantur tam leges, quam sacrorum ritus: quae tabulae post exactos reges rursum in publicum usum revocatae sunt per summum Pontificem C. Papyrium.* ABRAM.

Nihil tam esse in actis Caesaris] *Nihil esse tam,* e. omnes l. v. FERRARIVS. Cum P. Manut. et Car. Steph. ita dedissent, ut in suis libris Ferrarius invenit, Lamb. cum Mur. restituit, *nihil tam esse*, atque ita suos omnes codices habere notavit, quibus accedunt ambo Barb. Rom. Ven. Ald. Naug. Cam. Gryph. Grut. quos ego sequor cum recentioribus. Haud aliter erat in Vaticano. GAR.

An, si cui quid ille promisit, id erit fixum] Pro *quid, quod,* omnes l. v. quod valde placet. In membro insequenti veteres lib. non discrepant. recentiores fere pro *fecit, fecerit.* quod probo: ut duo complectatur, et promissa, et beneficia. Esset autem planius, si ita dixisset, *Quodque idem facere non potuit, ut multis multa promissa non fecerit?* verbis s. coniunctione copulatis. Sed duo membra eodem modo paulo ante extulit, *Liberatus caedis periculo paucis post diebus Senatus. uncus impactus est fugitivo illi.* c. *facere* autem *promissa,* non promittere, sed promissa servare significat. quod vel ex hoc loco facile intelligi potest, et lib. III. de offic. *Promissum potius non faciendum, quam tam tetrum facinus admittendum fuit.* et I. *Etiamne furioso promissum facere?* FERRARIVS. *An, si cui quid ille promisit, id erit fixum*] An, si quid Caesar alicui promisit, id erit fixum necessarioque servandum, quod ne ipse quidem Caesar, dum viveret, servare potuit. Tam multis enim tam multa promisit, ut servare non potuerit omnia, quae promiserat. Alii legunt, non *quod idem facere non potuit,* sed *quod idem non facere potuit.* Quasi dicat, Ipse Caesar, si viveret, non servasset omnia sua promissa, potuissetque non facere promissum, ut multis multa promissa non fecit. Quare igitur nos post Caesaris necem eius omnia promissa faciemus? ABRAM. Interpunctionem hanc Grut. induxit de sententia Turnebi XV. Adv. 2. Rom. et Ven. *An, si cui quid ille promisit; id erat fixum, quod idem facere non potuit: ut multis multa promissa non fecit?* Ita legunt etiam Barberini ambo: nisi quod in sec. emendatum fuit *erit,* quomodo primus Aldus edidit, et pro *quid* habent *quod,* ut Ferr. P. Man. Car. Steph. et repet. Lamb. Idem Aldus et Gryph. nihil aliud a Rom. et Ven. dif-

ille promisit, id erit fixum, quod idem non facere potuit? ut multis multa promissa non fecit. Quae tamen multo plura illo mortuo reperta sunt, quam vivo beneficia per omnes annos tributa et data. Sed ea non muto, non moveo; summo etiam studio praeclara illius acta defendo. Pecunia utinam ad

ferunt in lectione; sed interpunctionem habent ceteris omnibus ante Grut. communem; notam interrogationis verbo *fecit* non apponunt, sed v. *fixum*. Lamb. legit et distinguit, ut Aldus, sed ex Mureti coniectura habet, *non facere potuit*, sensu planissimo. Naug. Cam. P. Man. Ferrett. Car. Steph. et repet. Lamb. *ut multis multa promissa non fecerit*. Infra Lamb. *quam a vivo*, probante Barbadorio, sine necessaria caussa, qui tria hic verba delebat, *promissa non fecit*. Garaton. *Non facere*] hanc vocum collocationem probarunt etiam Ern. et Schütz.

Quod idem non facere potuit] Antea legebatur: *Quod idem facere non potuit:* neque sane aliter est in optimo illo libro, quam in pervulgatis. Si quis tamen sententiam accurate consideret, spero ei coniecturam nostram probatum iri. iam quantum intersit inter haec duo, potuit non facere, et, non potuit facere, qui per se non videt, legat Aristotelem περὶ ἑρμηνείας. Mvret. *Quod idem facere non potuit*] Videtur legendum, *non facere potuit*. F. Vrsinvs.

Quae tamen multo plura reperta sunt illo mortuo] *Quae tamen multo plura illo mortuo reperta sunt*, o. l. v. Ferrar. *Quae tamen multo plura reperta sunt illo mortuo*] Innuit, Caesaris libellos adulteratos fuisse a M. Antonio, quia post Caesaris necem multo plura promissa eius nomine prolata sunt, quam ille vivus per triennium, quo rerum potitus est, beneficia tribuisset. Abram.

Sed ea non muto] Sive vera sint, sive falsa, quae nomine Caesaris ab Antonio proferuntur, ea servanda esse censeo pacis et concordiae caussa. Vnum est tamen, quod mihi in his praecipuum inurit dolorem: videlicet ingens illa pecunia ex aerario deprompta, et horum actorum praetextu variis largitionibus dissipata. Idem. Vatic. *summo studio illius praeclara acta defendo*. Hunc ordinem Muret. exhibuit, retenta tamen particula *etiam*, quam defendunt ea, quae habet Heuman. ad c. 19. pro Mil. et locus ille praesertim IV. in Verr. 10. quo in re simili alibi usi sumus. Adde V. ibid. 39. etc. Garaton.

Pecunia utinam] Philipp. 2: *Vbi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat? funestae illius quidem pecuniae, sed tamen, si iis, quorum erat, non*

Opis maneret! cruenta illa quidem; sed his tem-

redderetur, quae nos a tributis posset vindicare. Tu autem quadringenties sestertium, quod Idibus Martiis debuisti, quonam modo ante Kalendas Apriles debere desiisti? Abram.

Pecunia utinam ad aedem Opis maneret] *Ad Opis*, o. l. v. loquendi modus et brevis, et elegans, et optimo cuique scriptori usurpatus, ut ita dicant, *ante Apollinis*, *ad Martis*, *in Veneris*, pro *ad Martis aedem*, *in Veneris aedem*. Cic. de eadem re loquens in epist. ad Attic. *Rapinas scribis ad Opis fieri*. Et VI. Philipp. *Sicut illam Q. Trebellii ante Castoris*, Plaut. in Poen.

Ag. *quo te agis?* Ad. *egone?*
in Veneris.

Graeci quoque hoc loquendi genus usurpant. Ferrarius. *Ad Opis*] Aerarium fuit in aede Opis et Saturni. Cruentam vocat illam pecuniam, quasi vi, et non sine multorum sanguine extortam. Abr. Vox *aedem*, quam servant duo Barb. et veteres editi, recte deletur iam inde a P. Man. adstipulante Vaticano. Est quidem II. Phil. 14. *qui maximo te aere alieno ad aedem Opis liberasti*, et V. 6. *direptio eius pecuniae, cuius ratio in aede Opis confecta erat*, et ibid. *cum autem erat ventum ad aedem Concordiae;* et passim eam vocem locis huius similibus Cicero non praetermittit. Sed parendum est optimis libris. Praeterea indicium est glossae maximum in cod. Car. Steph. exhibente, *ad Opis templum maneret*. Etiam pro Quinct. 5. alii potioresque codices habent, *ad Castoris*, alii, *ad Castoris templum*. Denique locus ille II. 37. modo ab Abramio prolatus, *quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat*, hunc maxime tuetur. Contra male utebatur eodem loco Lipsius, ut v. *aedem* tolleret, libris repugnantibus, ex simili Velleiano II. 60. 4. H-S. *septies millies depositum a C. Caesare ad aedem Opis, occupatum ab Antonio*. Garaton.

Cruenta quidem illa] *Cruenta illa quidem*, o. l. v. Ferrar.

His temporibus] Quantae his temporibus fuerint angustiae aerarii, liquet e Dione lib. 46: *Cum autem multis pecuniis ad bellum gerendum indigerent, omnes quintam et vigesimam bonorum suorum partem contribuerunt: Senatores autem etiam quatuor obolos in singulas tegulas aedium, quas vel ipsi in Vrbe possidebant, vel alienas habitabant. Tantae enim tum temporis erant aerarii angustiae, ut ne publicas quidem solemnitates, quae in id tempus inciderant, celebrarint, paucis quibusdam exceptis, religionis caussa.* Et paulo post Triumviri publice proposuerunt nomina mille et quadringentarum mulierum ditiorum, quae bona sua profiterentur, et in sumptus belli contra Brutum et Cassium gerendi conferrent, Triumviro-

poribus, quoniam his, quorum est, non redditur, necessaria. Quamquam ea quoque sit effusa, si ita in actis fuit. Ecquid est, quod tam proprie dici possit actum eius, qui togatus in re publica cum potestate imperioque versatus sit, quam lex? Quaere acta Gracchi: leges Semproniae proferentur. Quaere Sullae: Corneliae. Quid? Cn. Pompeii

sum arbitratu. Et paulo post, ut scribit Appianus lib. 5. civilium: *Cum pecuniae ad bellum cum Sexto Pompeio gerendum non suppeterent, propositum est edictum, ut, qui servos haberent, pro singulis pretium aurei in bellum Bruto Cassioque inferendum impositi conferrent, item ut, qui hereditatem aliquam adiissent, aliquam eius partem contribuerent.* unde et orta seditio popularis. Abram.

Cum iis, quorum est, non redditur] Lamb. ex unico Vatican. *quoniam iis.* Recte alii hoc repudiarunt, in quibus ipse Muretus: glossam enim vehementer sapit, ut patet ex iis, quae diximus ad c. 36. pro Mil. Loco illo simili II. 37. *si iis, quorum erat, non redderetur.* Garat.

Quanquam ea quoque sit effusa] Non queror, eam pecuniam esse Antonii largitionibus effusam atque dissipatam, si in commentariolis et chirographis scriptum fuit, ut effunderetur. Abr.

Si ita in actis eius fuit] *Eius* ab omnibus libris veteribus abest. Ferrar. Nulli codices veteres habent *eius.* Lamb. Tamen ipse retinuit, et in Barb. ambobus est, editisque meis omnibus, praeter P. Man. Car. Steph. Mur. et Gruter. Sed abest a Vatic. item a cod. Steph. qui tamen unus habet perperam *fuisset.* Male in Barb. sec. pro *effusa* emendatur *diffusa.* Gar.

Ecquid est] Probat exemplis, leges proprie actorum nomine contineri. Res est perspicua. dictae leges Semproniae a Sempronio Graccho, Corneliae a Cornelio Sulla. Solebant enim leges non a praenomine aut cognomine, sed ab ipso nomine nuncupari. Quanquam, ut alias ostendimus, quoties tria fuerunt vocabula, primum proprium fuit personae, secundum gentis, tertium familiae. Abram.

Leges Semproniae] Variae fuerunt leges Semproniae a Tiberio et Caio Semproniis Gracchis latae, ut Agraria, Frumentaria, Iudiciaria. de quibus Epitome, Plutarchus in Gracchis, Appianus 1. civilium, Cicero passim. Idem.

Corneliae] Vt omittam alias leges Cornelias, *Cornelius Sulla,* inquit Pomponius D. de origine iuris, *quaestiones publicas constituit, veluti de falso, de parricidio, de sicariis, de iniuriis,* etc. Idem.

Cn. Pompeii tertius Consulatus] Pompeius inito tertio Consulatu, ut scribit Pedianus, *Post*

tertius consulatus in quibus actis constitit? Nempe in legibus. A Caesare ipso si quaereres, quidnam egisset in urbe et in toga: leges multas responderet se et praeclaras tulisse; chirographa vero aut mutaret, aut non daret; aut, si dedisset, non istas res in actis suis duceret. Sed ea ipsa concedo; quibusdam in rebus etiam conniveo; in maximis vero rebus, id est, legibus, acta Caesaris dissolvi ferendum non puto.

VIII. Quae lex melior, utilior, optima etiam

diem tertium de legibus novis ferendis retulit. Duas ex S. C. promulgavit. Alteram de vi, qua nominatim caedem in Appia via factam, et incendium Curiae, et domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit, alteram de ambitu, poenam graviorem, et formam iudiciorum breviorem. Atque haud scio, an ea sit lex, quam vocat Appianus περὶ δωροδοκίας καὶ δεκασμοῦ. ABRAM.

In quibus actis consistit] Antiquus liber *constitit:* et recte, cum de praeterito loquatur. et statim, ubi est *nempe in legibus*, in antiquo libro non est vox *nempe*. quae tamen bona et Tulliana locutio est. FAERNVS. Etiam codex Car. Steph. recte habebat, *constitit*. Vox autem *nempe* in Vaticano superscripta est eadem fere manu. *Consistit* a Mur. immerito praelatum est. GAR. *Constitit*] Sic Ern. et Schütz.

A Caesare ipso si quaereres] Vatic. *de Caesare*, atque ita restituo, Tullii consuetudine comprobante. GAR.

Et toga] *Et in toga,* o. l. v. FERRARIVS. Sic et Coloniensis, quem sequor. GRAEVIVS. Antea praepositionem addiderant P. Man. Car. Steph. et Muret. In Vaticano est, *quidnam egisset in urbem, et in togam.* GAR.

In actis suis duceret] Pal. secund. et S. Victor. Manr. P. *diceret*, recte. respondentem enim facit Antonio Caesarem. GRVTERVS. Vatic. et Barb. ambo lectionem firmant omnium editorum, *duceret*, quae mutari non debet. Ista vero perpetua commutatio est. GAR.

Sed ea ipsa concedo] Vatic. *Sed haec ipsa concedo: quibusdam etiam in rebus conniveo.* Atque adeo *haec* Lambinum video recepisse. IDEM.

Quae lex melior] Nullum certum tempus erat obtinendis provinciis constitutum, sed alii per triennium, alii per quinquennium, alii per unum duntaxat annum, eas obtinebant. Caesar ipse sub initia belli civilis, cum iussus est a Senatu exercitum dimittere, iam annum nonum agebat in provincia. quo temporis spatio vires suas ita stabilivit, ut patriae bellum intulerit, dominationem invaserit, et plus potuerit quam universa respublica.

re publica saepius flagitata, quam, ne praetoriae provinciae plus quam annum, neve plus quam biennium consulares obtinerentur? Hac lege sublata, vi-

Quare factus dictator, metuens in aliis, quod in se ipso fuerat expertus, legem tulit, *Ne Praetoriae provinciae plus quam annum, ne plus quam biennium Consulares obtinerentur.* Antonius submisit duos Tribunos plebis, qui hanc legem optimam et utilissimam reipublicae duabus contrariis legibus abrogarent. Philipp. 5: *Tribuni plebis tulerunt de provinciis contra acta Caesaris, ille biennii, hic sexennii.* Id est, opinor, legem tulerunt, ut provinciae Praetoriae biennium, Consulares sexennium possent obtineri, contra ac definitum fuerat lege Iulia de provinciis. Abram.

Optima etiam in rep.] *Optima etiam rep.* o. l. scripti. et recte. Sic etiam dicitur, *bonis rebus, salvis rebus, optimis temporibus.* Ferrar. His MSis iam inde a P. Man. mos optime geritur, quibus uterque Barb. accedit. Excipe Gryphianam mut. ut Ferrarianos Ferretti codice praestare intelligas. In Vaticano mendose, *optimas etiam an reipublicae.* Punctis tamen subnotatur primae vocis extrema littera et syllaba *an.* Sed nescio, an fuerit, *optimae etiam reipublicae saepius flagitata.* Garaton. Item Ern. et Schütz. omiserunt *in.*

Ne Praetoriae provinciae] Qui lege Sempronia cautum fuisse putant, ut annua tantum esset provinciarum omnium administratio, iidem tradunt, Caesarem lege hac effecisse, ut, nulla de Praetoriis mutatione facta, Consulares certe biennium obtineri iure possent. Atqui leges omnes, cum aliquid fieri permittunt, particulam *ut* adhibent, cum aliquid fieri vetant, alteram *ne.* Si ergo lex Iulia biennalem provinciam fecit, quae antea erat annua, cur iis verbis est scripta, quae prohibendi vim habent? *ne plus,* inquit, *quam biennium.* Deinde, si Proconsulibus annus addebatur, nihil vero Propraetoribus, cur etiam, *ne Praetoriae plus, quam annum?* Imo lege Cornelia Proconsules et Propraetores tamdiu remanebant in provinciis, donec successor mitteretur: neque necessaria erat imperii prorogatio, ut alibi ostendi. Tempus definivit utrisque Caesar, ita vero, ut Senatus populusque in posterum etiam prorogare possent, quibus videretur, imperium. Hanc eamdem legem in gratiam Antonii Cos. Tribuni pl. non multo post abrogarunt. Phil. V. 3. Ferratius.

Ne plus quam biennium Consulares] Libri veteres partim *neve,* partim *neu:* quorum alterum plenum, alterum imminutum: utrumque idem valet: utrumque usitatum. Ferrar. P. Man. Ferrett. et Car. Steph. *neu* adoptarunt, retinente Mure-

denturne vobis acta Caesaris servari? Quid? ea lege, quae promulgata est de tertia decuria iudicum, nonne omnes iudiciariae leges Caesaris dissolvuntur? Et vos acta Caesaris defenditis, qui leges eius evertitis? Nisi forte, si quid memoriae causa retulit in libellum, id numerabitur in actis, et quamvis iniquum et inutile sit, defendetur: quod ad populum centuriatis comitiis tulit, id in actis Caesaris non ha-

to. Vat. ambo Barb. Lamb. et Grut. *neve.* Ceteri *ne.* GAR.

Acta Caesaris servari] *Caesaris acta servari*, o. l. v. cum structura levior, tum numerus Ciceroni maxime probatus: finitur enim spondeo, creticus huic proximus. FERRAR. Ita Vat. et ex his omnibus Lamb. cum P. Man. et Car. Steph. cuius cod. infra, *qui leges eius evertistis?* Hic statim Lambin. *quid? lege* etc. sine *ea:* quae non sola vocula in Vatic. omittitur, sed alia quoque minime necessaria: qui codex ita locum exhibet: *quid? lege, quae promulgata est de tertia decuria, nonne omnes iudiciariae leges Caesaris dissolvuntur?* Muretus optimi libri lectionem iam accurate descripserat. GARATON.

Quid? ea lege, quae promulgata] Indices Caesar in classes duas, sive decurias descripserat: tertiam iudicum decuriam adiecit Antonius ex iis, qui ordines duxissent, et manipularibus militibus legionis Alaudarum collectam, qua adiectione Caesaris legem evertit. ABRAM.

De tertia decuria] Iulius Caesar, ut scribit Tranquillus in Iulio cap. 41: *Iudicia ad duo genera iudicum redegit, equestris ordinis ac Senatorii: Tribunos aerarios, quod erat tertium, sustulit.* Antonius tertiam decuriam adiecit, non quidem ex Tribunis aerariis, sed ex iis, qui quocunque modo ordines duxissent, aut etiam manipulares fuissent in legione Alaudarum, ut constat ex isto loco. Postea D. Augustus, ut scribit idem Tranquillus cap. 32: *Ad tres iudicum decurias quartam addixit*, ubi vide Casaubonum. Caius etiam Caligula, *ut levior labor iudicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit.* Idem Tranquillus cap. 16. vide Cornel. Vitellium c. 20. ABRAM.

Nisi forte] Nisi forte, si quid Caesar retulit in commentariolum, sive, ut vulgo dicimus, in memoriale, ne illius oblivisceretur, id debet inter Caesaris acta numerari, non numerabuntur autem leges, quae comitiis Centuriatis a Caesare perlatae, et populi suffragio comprobatae sunt. IDEM.

Id numerabitur in actis] Cod. Gronov. *id numerabitis:* quod non esset aspernandum, si a libris optimis firmaretur, propter passivi et activi coniunctionem

bebitur. At quae est ista tertia decuria? Centurionum, inquit. Quid? isti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? Census praefiniebatur, inquit. Non centurioni quidem solum, sed equiti etiam Romano. Itaque viri fortissimi atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res et iudicant et iudicaverunt. Non quae-

Librariis invisam, de qua diximus ad c. 5. pro Lig. GARATON.

At quae est ista tertia decuria] Hanc Antonii legem ex eo reprehendit, quod antiquis legibus addiderit aliud nihil, quam ut in iudicibus legendis tolleret omne discrimen et fortunae et dignitatis. Iam enim legibus Pompeia et Aurelia in indices eligi poterant, qui ordines duxissent, et qui equo publico meruissent, si adesset fortuna, sive census conveniens, et splendor quidam et dignitas virtutibus rebusque praeclare gestis comparata. At Antonius hoc discrimen auferebat, sanciens, ut, quicunque centurio fuisset, quacunque tandem fortuna aut vitae splendore vel obscuritate uteretur, is posset in iudicum album referri. Neque solum centurionibus quibusvis aditum patere voluit ad iudicum collegium, sed etiam militibus manipularibus et gregariis, qui in legione Alaudarum meruissent. ABRAM.

Quid? isti ordini] Nonne ante legem Antoniam in iudices seligebantur Centuriones ex lege Iulia, Pompeia, Aurelia? IDEM.

Pompeia, Aurelia] Pompeia lex iudiciaria lata a Cn. Pompeio tertium Consule, Aurelia item iudiciaria lata ab L. Aurelio Cotta, de qua Velleius lib. 2: *Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus ademptum Senatoribus ad Equites, Sulla ab illis ad Senatum transtulerant, aequaliter inter utrumque ordinem partitus est.* IDEM.

Census praefiniebatur] Respondet Antonius. Fateor, iam ante ex illis legibus in iudices fuisse selectos, qui ordinem duxissent: tamen est aliqua diversitas inter veteres illas leges, et hanc recentem Antoniam: quia veteribus illis legibus definiebatur, quantum quisque deberet habere in censu ad hoc, ut iudex eligeretur; hac autem posteriore lege iudices eliguntur, quicunque ordines duxerint, aut equo meruerint, nulla census habita ratione. IDEM. In meo pervetusto codice legitur: *Census finiebatur.* Vereor, ne quis sciolus hanc scripturam interpolarit, praefixa praepositione *prae*, qui ignoravit, *finire* saepe Tullio idem esse, quod praefinire, sive modum definire ac constituere, ut in II. de legibus: *Demetrius sepulchris novis finivit modum.* Exempla passim in promtu sunt, et viris doctis notata. nec tamen

ro, inquit, istos. Quicumque ordinem duxit, iudicet. At si ferretis, quicumque equo meruis-

improbo *praefiniebatur*, si antiquissimi codices annuunt. GRAEVIVS. Melius cod. Graev. pervetus, *finiebatur*. LALLEM. Mei a vulgata non discrepant. Mox P. Man. et Car. Steph. *Atque si ferretis*, quod repet. Lamb. revocarunt, cum ipse Lamb. ita dederit, ut Grut. Graev. et recentiores. Sigon. II. de Ant. Iure C. R. 3. habet, *Atqui si ferretis*, idque sequitur ipse Graev. in Praefat. T. I. Thes. A. R. Ceteri, et codices Barb. *At si feratis*. GARATON. *Praefiniebatur*] Ern. et Schütz. retinuerunt eandem lectionem. Nullus cod. praeter Graev. et Ien. exhibet *finieb.*

At si feratis] L. Lang. *atque* pro *at*. Scalae, et alii nonnulli, *ferretis*, ut ita fortasse corrigendum sit, *atque*, vel *atqui si ferretis:* sequitur enim, *probaretis*. FERRAR.

Quicunque equo meruisset] De equo publico et privato non attinet plura dicere, quod Iustus Lipsius libro primo de Militia Romana, dialogo 5. totam hanc difficultatem exhauserit, ad quem te remitto, et ad Valtrinum nostrum libris de re militari Rom. tantum adverte, hunc locum intelligendum videri de iis, qui equo publico meruissent, neque enim videtur laudatius equo privato merere, quam ordines ducere. ABRAM. Graevius in Praef. citata non modo cum Abramio equites, qui equo privato merebant, hinc excludit, sed eos etiam nullos fuisse contendit. Ego Sigonium l. c. quem ille coarguit, non omnia recte sensisse intelligo, sed exstitisse, qui proprio equo meruerint, multis ostenderem, si locus pateretur. Dukerus ad Liv. V. 7. mecum facit, ne Graevio antiquiores nominem: imo, qua re ille ait multum iuvari Graevium, quod equites nullibi cum adiectione *equo privato* nominentur, id ego nihili facio. Satis est enim excludi quandoque, aut non adesse publicum. In hoc autem vexato Tullii loco tam est γενικὸν, *quicumque equo meruisset*, quam Antonianum illud, quod refellitur, *quicumque ordinem duxit*. Sed, ut hinc quidam Centuriones, ita illinc quidam equites Rom. sunt detrahendi, una utrique de causa, quod antea indicabant. Centurionibus, qui censum legitimum habebant, ceteros omnes addebat Antonius. Peius hoc esse ait Cicero, quam si equitibus Rom., qui censum iudicialem habebant, ceteros omnes quoscumque equites adderet. Nam eo tempore iudices lege Pompeia legebantur, quam Asconius ad c. 39. in Pison. sanxisse ait, *ut amplissimo ex censu, ex centuriis aliter, quam antea, lecti iudices, aeque tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent*. Hinc, ut vidit Manut., obiicienti Antonio, *census praefiniebatur*, respondet Cicero, *non Centurioni quidem solum, sed equiti etiam Roma-*

set, quod est lautius, nemini probaretis.

no. Non quivis eques Rom., ut antea, iudex legi poterat per L. Pompeiam: sed ex iis, qui omnium amplissimum censum haberent, tot deligebantur, quot essent ad numerum: tenuiores ad urnam iudicialem adspirare non poterant. Itaque, cum hac additione Tulliana equites contineantur omnes, qui a iudicando tum erant exclusi, et equo meruerant, nulla est equi publici et privati facienda distinctio: partim eorum equites Rom. erant, equestri censu, etiam paullo maiore, sed eos alii opibus superabant: partim autem minore usi censu, aut in ordinem non adlecti, equo privato meruerant. Iam vero, cum lege Aurelia, item Pompeia, tres decuriae iudicum essent, in prima Senatores, in altera equites Rom., in tertia Tribuni aerarii; et cum C. Caesar tertiam sustulerit, ut ex Suet. Caes. XLI. et hoc ipso loco Tullii constat; iis legibus in equestri decuria Centuriones iudicasse cognoscimus. Forte primi pili Centuriones, quos in equestrem locum pervenisse Lipsius ostendit, non Centurionatus iure, sed quod equites Rom. erant facti, iudicabant: ut census dicatur non ei solum praefinitus, qui Centurio fuerit, sed ei quoque, qui semper eques Rom. Certe apud Ascon. et alios, qui iudiciarias leges referunt, Centurionum nulla fit mentio. Sed obscura res est. GARATON.

Quod est lautius] Ita melius, quam, ut antea, *laudatius.* Lautos autem vocabant honestos ornatosque cives. Terentius,

Omnes in lauta te, et bene
parte aucta putant. MVR.

Omnes tamen libri veteres, quos ego inspexi, *laudatius*, aut *laudavius*, non *lautius*, quod hic non praeferam vulgatis. GRAEVIVS. *Quod est laudatius*] Quid igitur? laudatius equo merere, quam ordines ducere? Ita videtur: nam primipili centurio, qui et primus centurio, et dux legionis vocabatur, et LIX reliquis centurionibus aquilaeque praeerat, praemii loco solebat ad dignitatem equestrem promoveri. Martialis:

Sospite me sospes Latias reveheris ad urbes,
Et referes pili praemia clarus eques.

Ovidius 3. Amorum, eleg. 7. de aemulo suo in amore:

Ecce recens dives parto per vulnera censu,
Praefertur nobis sanguine factus eques.

Item:

Laeva manus, ui nunc setum male convenit aurum,
Scuta tulit.

Ostendit equitem ab insigni et annulo aureo. Denique clarissime ad primum pilum haec refert cum indignatiuncula:

Discite, qui sapitis, non haec, quae scimus inertes,
Sed trepidas acies et fera bella sequi.

In iudice enim spectari et fortuna debet et dignitas.

Proque bono versu primum deducite pilum. Haec Lipsius libro 2. de Militia Romana, dialogo 8. et dialogo sequenti, *equites pari pene loco et dignitate cum tribunis militum* fuisse testatur. Abram. Solus Lamb. recepit *lautius*, quod egregium est, et a codice Vaticano sine ulla dubitatione profectum. Afranius apud Non. p. 337. ed. Merc. *Equidem te numquam mihi Parasitum, verum amicum, aequalem, atque hospitem Cottidianum, et lautum, et convivam domi.* Sic enim ibi legendum. Sed *lautius* tum referri ad dignitatem potest, tum ad opes, tum etiam ad utrumque. Omnino *lautum* dicitur, quidquid splendorem habet ac decus. Vide, quae de hoc ipso adverbio notavit Malaspina ad II. ad Att. 18. quem descripsit Pareus in Lex. Crit. p. 668. locum tamen addens Mureto utilem II. de Offic. 15. ubi ea beneficientiae ratio, quae in opera posita est, *lautior ac splendidior* esse dicitur, quam quae in pecunia. Mavult ibi quidem *latior* Cl. Chapman. estque permutatione huiusmodi praelatum *latius* a Davisio II. de Leg. 1. Sed a libris periculose, nec iuste discederetur, si ei adsentiremur. Notandum est praecipue, quod XV. ad Div. 14. ait Cicero, *nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius*, quodque ibi eadem de re subdit, *laudabile atque populare est*: ut, unde hic profluxerit *laudatius*, et quam parum critice praeferatur, appareat. Non est autem ea comparatio hic instituta, quam putat Abramius. Remove primi pili Centuriones, et Equites Rom. opulentiores, ut modo dixi. Facile videantur reliqui Centuriones cuivis Equiti Rom. et divitiis, et dignitate concedere. Restant equites, qui equo privato merebant. Hi quoque videntur in honestiorem militiae gradum ab initio venisse, et domo aliquid attulisse: cum Centuriones homines essent infimi, fortitudine, ac *per vulnera*, ut ait Ovidius, altius evecti. Erat igitur *lautius* equo merere, quam ordines ducere, quod homines honestiore loco nati, educatique liberalius in equitum decurias adscriberentur. At quibus eorum aditus ad iudicandum non patebat, quamvis dignitas in iis esset, census obstabat, non is quidem in multis exiguus, sed in omnibus minor, quam iudici erat necesse. Garatonius. Merito defendit Garat. *lautius*, quod nec Ern. nec Schütz. receperunt.

In iudice] De his pauca pro Sextio c. 1. Adde Senecam lib. 3. de Beneficiis cap. 8: *Non potest ad haec sumi iudex ex turba selectorum, quem census in album, et equestris hereditas misit.* et Plautum Rudente scen. Exi:

——— dato
De Senatu Cyrenensi quemvis opulentum arbitrum. Abr.

Non quaero, inquit, ista: addo etiam iudices manipulares ex legione Alaudarum. Aliter enim nostri negant posse se salvos esse. O contumeliosum honorem iis, quos ad iudicandum nec opinantes vocatis! Hic enim est legis index, ut ii in tertia decuria iudicent, qui libere iudicare non audeant. In quo quantus est error, dii immortales! eorum, qui istam legem excogitaverunt? Ut enim quisque sordidissimus videbitur, ita libentissime severitate iudicandi sordes suas eluet, laboratbitque, ut honestis

Iudices manipulares] Subsignanos milites intelligit, qui erant in manipulis, ad distinctionem velitum, qui proprios manipulos non habebant. vide Lipsium libro 2. de Militia Romana, dialogo 2. Idem.

Ex legione Alaudarum] Nomen est legionis veteranorum nobilissimae, quae et in Galliis multa meruit stipendia, et a vocabulo etiam Gallico nomen accepit. Idem. Vide Suet. in Iul. 24. et ibi Casaubonum. Graev. Quosnam iudices Antonius, hac lege lata, constituerit, vide V. Phil. 5. 6. Gar.

Aliter enim nostri negant posse se salvos esse] Respondet Antonius, nisi ex centurionibus et manipularibus Alaudarum instituatur tertia iudicum decuria, et indices inopia et egestate perditi meorum familiarium caussas disceptent, certum est eos damnatum iri, et eam ob caussam tertiam hanc decuriam adiici, quae meos familiares absolveret. Abram.

O contumeliosum honorem] Respondet Orator per exclamationem, docetque iis ipsis contumeliam inferri, qui in tertiam iudicum decuriam alleguntur, eo veluti elogio, quod libere iudicare non audeant, et damnare sceleratos. Idem.

Hic enim est legis iudex] Index, liber unus, atque alter. quod rectum est, et ex se intelligitur. Nemo est enim quin sciat, indicem alias librorum, alias monumentorum inscriptionem significare. Iam quid haec sibi velit in libris atque monumentis, perspicuum est. Ferrar. *Legis index*] Titulus et quasi rubrica sive inscriptio. Abram.

In quo quantus] Valde spe sua frustrati sunt Antonii familiares, qui scelerum suorum conscientia pressi, metuentesque iudicium auctores fuerunt Antonio, ut hanc tertiam iudicum decuriam reliquis duabus adiungeret, rati tam impuris sordidisque iudicibus fore ut iudiciorum laqueos evaderent. Vt enim quisque sordidissimus erit, ita severissimus erit in iudicando, ratus se hac ratione eluere posse contumeliam, qua in tertiam iudi-

decuriis potius dignus videatur, quam in turpem iure coniectus.

IX. Altera promulgata lex est, ut et de vi et de maiestate damnati ad populum provocent, si velint. Haec utrum tandem lex est, an legum omnium dis-

cum decuriam reiectus est lege Antonii. Idem.

Quam in turpes iure coniectus] *Turpem* legendum, et ex antiquo libro, et ex sensu: cum de una tantum, id est de tertia decuria loquatur., quae sola erat turpis. Faernus. Non longe ab hoc recedit Graevii codex: *quam in turpi iure coniectus*. Graev. *In turpem*] Ita Regii codices cum Faërno et Graevio. Vulgati vitiose *in turpes*. Lallem.

De vi, et de maiestate damnati] *De vi, et maiestate*, Lang. caeteris assentior. Ferrarius.

De vi] Pro Coelio: *De vi quaeritis, quae lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus armata dissensione civium reipubl. pene extremis temporibus tulit: quaeque lex sedata illa flamma consulatus mei fumantis reliquias coniurationis extinxit.* Dicta lex Plautia a Q. Plautio Tribuno plebis, quem Q. Catulus in ea lege ferenda sibi socium adscivit. Ea lex autem, ut dicitur cap. 1. Coelianae: *De seditiosis, consceleratisque civibus, qui armati Senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, rempublicam oppugnarint, quotidie quaeri iubebat.* Abram.

De maiestate] Quid sit *maiestas*, exposuimus pro Coelio: qui lege de maiestate teneantur, videri potest ex verbis Vlpiani D. *Ad legem Iuliam maiestatis.* Quod spectat ad provocationem, iam ante lege Valeria concessam fuisse, constat eo ipso anno, quo eiectis Tarquiniis in libertatem asserta est respublica. Livius libro 2: *Ante omnes de provocatione adversus magistratus ad populum sacrandoque cum bonis capite eius, qui regni occupandi consilia iniisset, gratae in vulgus leges fuere.* De qua lege Dionysius Halicarnasseus lib. 5. antiquitatis Romanae: *Alteram vero legem tulit Valerius Poplicola, in qua scriptum est, si quis magistratus quempiam civem Romanum, aut morte, aut virgis, aut pecunia multare voluerit, privato ligare magistratum, ad populi iudicium provocare, neque magistratui interim fas esse poenas ab eo exigere, quoad populus de eo tulisset suffragium.* Hanc provocationem videntur Decemviri duodecim tabulis sustulisse. Livius libro 3. Appius, accusante Virginio, *arreptus a viatore, Provoco, inquit. Audita vox una vindex libertatis ex eo missa ore, quo vindiciae nuper ab libertate dictae erant, silentium*

solutio? quis est enim hodie, cuius intersit istam le-

fecit. Et dum pro se quisque Deos tandem esse, et non negligere humana fremunt: et superbiae crudelitatique etsi seras, non leves tamen venire poenas: provocare, qui provocationem sustulisset, etc. Quam provocationem Valerius, qui eo ipso anno, quo Decemviri magistratum abdicarunt, restituit: et quinquagesimo post anno *M. Valerius Consul*, ut scribit idem Livius libro 10. *de provocatione legem tulit diligentius sanctam. Tertio ea tum post reges exactos lata est semper a familia eadem. Porcia tamen lex sola pro tergo civium lata videtur: quod gravi poena, si quis verberasset, necassetve civem Romanum, sanxit. Valeria lex, cum eum, qui provocasset, virgis caedi, securique necari vetuisset: si quis adversus ea fecisset, nihil ultra quam improbe factum adiecit: id (qui tum pudor hominum erat) visum credo vinculum satis validum legis: nunc vix servo ita minetur quisquam.* Quid est igitur, quod Orator in Antonio reprehendit eam legem, ut damnati de vi et de maiestate possent, si vellent, ad populi iudicium provocare? Dicerem provocationem a L. Sulla a populi rationibus alieno fuisse sublatam, ut Tribunitia potestas ab eodem est diminuta, nisi multis post Sullam annis C. Rabirius perduellionis damnatus a duumviris ad populum provocasset. Noster pro eodem: *Hic popularis a duumviris iniussu vestro non iudicari de cive Romano, sed indicta caussa civem Romanum capitis condemnari coëgit.* Tranquillus in Iulio cap. 12: *Subornavit etiam, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret*, etc. *ac sorte iudex in reum ductus, tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil aeque ac iudicis acerbitas profuerit.* Quare arbitror, Iulium ipsum Caesarem rerum potitum damnatis de vi et de maiestate provocationem ad populum sustulisse: nisi velimus id factum fuisse lege Pompeia, instituta de caede Clodii et de Curiae incendio nova quaestione, qua multi tum de maiestate, tum de vi damnati ad populum non provocarunt. Abram.

Istam legem manere] O. l. s. non *manere*, sed *venire* probant. ego neutrum satis probo: nam *manere* de legibus latis, non promulgatis dicitur. ut de Provinciis Cons. *Quare aut nobis statuendum est legem Aeliam manere, legem Fusiam non esse abrogatam.* Rursus *venire legem*, pro *ferri*, insolitum, atque inusitatum. Quid faciendum, inquies? censeo tantisper in librorum antiquorum auctoritate delitescendum, dum verum investigemus: si tamen hoc verum non est: cum praesertim tam illud alterum, quam hoc insolens sit. Ferrarius. In tribus quoque codd. Amsterdam. Franc. Graev. est *venire*. In Colon. *ve-*

gem manere? Nemo reus est istis legibus: nemo, quem futurum putemus. Armis enim gesta numquam profecto in iudicium vocabuntur. At res po-

venirem. Graev. *Istam legem venire*] Ita sex Regii codices cum Graevianis, idque praeferendum duximus vulgato *manere.* Lallem. Etiam Barb. prim. *venire*, sec. *invenire.* Sed optima, nec ullo modo abiicienda erat omnium editorum lectio *manere.* Pareus in Lex. Crit. p. 712. hunc locum recte cum eo coniunxit, quem profert Ferrarius. *Manere* hic valet figi, vel esse fixam. Quis nescit, leges, cum essent perlatae, in aes incidi, et figi consuevisse? hoc ipso cap. extr. *quas* (leges) *post mortem Caesaris prolatas esse, et fixas videtis.* Iam vero confer ista ex c. 9. pro Rab. Post. *Quamobrem illud maneat, et fixum sit, quod neque moveri, neque mutari potest.* Quamdiu lex promulgata erat tantum, et non perlata; mutari quidvis in ea poterat, et tota repudiari. Itaque *legem manere* idem hic est, quod iuberi, perferri, sanciri, figi denique: nam tum demum neque moveri poterat, neque mutari. Sed, cum abrogari ab eodem, qui iusserat, populo leges possent, ac tum moverentur, atque refigerentur, cum valere desierant, qua de re vide Graev. ad XII. ad Div. 1. idcirco *legem Aeliam manere* valet adhuc esse fixam, non esse loco demotam. Aeque *manet* lex, quae promulgata perfertur, ac quae lata non abrogatur. Vatic. *quis est enim hodie, cuius intersit istam legem manere? nemo reus est legibus illis, nemo, quem futurum putemus.* Mureto placuit, *legibus illis.* Garaton. *Istam legem manere*] Errat Schützius, *istam* in *istas* mutandum esse censens, quum referendum sit ad legem ab Antonio latam, qua illae leges tollerentur. *Manere* habet Ern. et Schütz. *Venire* Teeg. φ. ψ. Ien.

Nemo est, quem futurum putemus] *Est* non habetur in Colon. Graev. Franc. nec in omnibus Lambini. Cur retineamus voculam, quam spernunt libri, et abiecerant Faërnus, et Muretus? Graevius. Verbo *est* carent etiam Barb. ambo, Rom. Ven. Ald. P. Man. et Car. Steph. Revocatum incaute fuit a Verb. et Oliveto. Garaton. Eiecit Schütz. et Ern. at hic temere inserendum esse putat post: *at res*, quasi ea vox absorpta esset praecedente simili. Ien. *revocabuntur ad res populares.* male.

At res popularis] Dices, Antoni, te eam legem promulgasse, quod ea lex sit valde popularis. Quid enim magis populare, quam dari provocationem ad populum, ita ut populus possit res indicatas rescindere, et iudicum sententia damnatos sua auctoritate absolvere? Abram.

pularis. Utinam quidem velletis aliquid esse populare! Omnes enim iam cives de rei publicae salute una et mente et voce consentiunt. Quae est igitur ista cupiditas eius legis ferendae, quae turpitudinem summam habeat, gratiam nullam? Quid enim turpius, quam qui maiestatem populi Romani per vim minuerit, eum, damnatum iudicio, ad eam ipsam vim reverti, propter quam sit iure damnatus? Sed quid plura de lege disputo? quasi vero id agatur ut quisquam provocet. Id agitur, id fertur, ne quis omnino umquam istis legibus reus fiat. Quis enim aut accusator tam amens reperietur, qui reo con-

Velletis aliquid esse populare] *Aliquid velletis esse*, omnes l. v. nonnulli sic emendant, *vellet is*. ut Antonium modo describat. Ferrarius. *Vtinam quidem velletis aliquid esse populare*] Vtinam Antonius vellet aliquid esse populare, et populi Romani voluntati obsequeretur: cum enim omnes cives de reipublicae salute una et mente et voce consentiant, ipse, si se ad populi Romani voluntatem accommodaret, vellet etiam salvam esse rempublicam. Abram. Ferrarii codicibus nostri subscribunt. *Velletis* nimirum tu, Antoni, cum tuis satellitibus. Graevius. Ita supra c. 8. *At si ferretis* etc. *nemini probaretis*, passimque similiter. Dolabella inprimis cum Antonio collega coniungitur. Ac recte *velletis* Rom. Ven. Ald. Hervag. et Car. Steph. ut etiam in Vat. et Barb. primo est, et secundi margini adscribitur, in quo non male *velitis*. Recentiores cum Naug. et ceteris male *vellet is*. Gar.

Vtinam quidem velletis aliquid esse populare] Ita Ern. et Schütz. scribendum putarunt.

Quae est igitur ea cupiditas] Pro *ea* Lang. *haec*. Col. SC. et caeteri fere, *ista*. quos sequor. Ferrarius. Recte *ista* recipitur iam inde a P. Manutio. Barb. ambo *ea* cum antea editis. Vatic. *quae est igitur ista cupiditas legis eius ferendae*. Gar.

Quae turpitudinem] Quae reliquas leges dissolvit. Abram.

Gratiam nullam] Quia nullus reus est vel de maiestate, vel de vi, in cuius gratiam ista lex feratur. Idem.

Quid enim turpius] Quid turpius quam ut is, qui ob seditiones in republica concitatas damnatus fuerit, iudicum sententia ad populum appellet, et huius provocationis occasione novis seditionibus, infima multitudine largitionibus corrupta, vexet rempublicam? Idem.

Ad eam ipsam reverti] Post *ipsam* adde dictionem, *vim*. Idque non modo ex antiquo libro, sed ex multis aliis scriptis, hoc

demnato obiici se multitudini conductae velit? aut iudex, qui reum damnare audeat, ut ipse ad operas mercenarias statim protrahatur? Non igitur provo-

sensu fingamus, seditiosum aliquem, multitudine concitata, legitimum populi concilium disturbasse, aut legem aliquam per vim ferri curasse, eoque nomine de vi esse damnatum. huic si daretur provocatio ad populum, profecto reditus ad priorem vim daretur, per quam apud populum causam provocationis obtineret, si iure non posset, idque summa cum turpitudine legis id permittentis, quippe quae de vi condemnato potestatem tribueret per eandem vim se absolvi faciendi. FAERNVS. Alibi docebam, duas omnino diversas quaestiones fuisse, de maiestate et de vi, duabus legibus constitutas, Cornelia et Plautia, quas duo diversi Praetores exercerent. Id ex hoc capite magis perspicuum fit: *duae*, inquit, *maxime salutares leges*, *quaestionesque tolluntur*, et mox, *his duabus quaestionibus de vi et de maiestate sublatis*. Sed tamen ita erant affines, deque iisdem fere criminibus constitutae, ut una et eadem quaestio videri possent. Hinc pro Coel. 29. *De vi quaeritis: quae lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet*. Neque enim inferri vis reip. poterat, quin laederetur maiestas, et ex laesa maiestate vis aliqua semper arguebatur. Quapropter Cicero: *qui maiestatem populi Rom. per vim minuerit;* minuebatur enim tum vi reip. illata contra L. Plautiam, tum imperii maiestate laesa contra L. Corneliam: *ad eam ipsam vim reverti, propter quam sit iure damnatus;* nam sive de vi, sive de maiestate damnatus esset, semper fecerat vim. FERRATIVS. Vox *vim* omittitur in Barb. pr. et in omnibus ante Car. Steph. editis, qui eam primus ex suo certe codice invexit. Omittebatur etiam in Barb. sec. sed fuit a Politiano superposita. Recte a Barbadorio probatur: nec merito dubius haeret Manutius, qui non perspexit, quid sibi hoc vellet, *ad eam ipsam vim reverti*. Neque plus eo perspexit Ferratius III. Epist. 14. Sed unus hoc Faërnus expedivit. Nimirum qui eo nomine damnatus esset, quod vim adversus remp. adhibuerit, provocatione iterum armabatur, ut eadem sua illa vi in iudicio populi uteretur. GARATON.

Obiici se] *Obicere se*, corrige ex antiquo libro, quamvis habeat particulam *se*, non in contextu, sed interpositam. FAERNVS. At nostri omnes *obiici*. GRAEV. Suspecta mihi quoque unius optimi codicis lectio est. Eam nempe induxit fortasse aliquis propter sequens verbum *damnare*. Vide ad c. 5. pro Lig. GAR.

Multitudini conductae] Mercede corruptae. ABRAM.

catio ista lege datur: sed duae maxime salutares leges quaestionesque tolluntur. Quid est aliud adhortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, ut per-

Quid est aliud igitur adhortari] Sublata dictione *igitur*, quae ne necessaria quidem est, lege, *quid est aliud hortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi.* haec est enim antiqua lectio. FAERNVS. *Quid est igitur aliud? quam adhortari*] Sic Lang. quicum plerique libri consentiunt, *Quid est aliud igitur adhortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi.* c. Vt in II. l. de Fin. bon. et mal. *Quid est enim aliud, esse versutum?* FERRAR. *Quid est aliud igitur adhortari*] Eieci *quam* iussu S. Victor. et sec. quibus auctoribus adhuc poterat exturbari *igitur.* GRVTERVS. Merito *igitur* suspectum fuit Grutero, quod iam ante deleverant Faërnus et Muretus, et respuit Colon. GRAEV. Omnes ante P. Man. et duo Barb. tam male inserunt *quam*, nunc iure sublatum hinc, et ex II, 4. plaudente Fr. Fabricio ad II. de Offic. 23. quam cod. Gronovii *nisi*, in quo est: *quid est aliud igitur, nisi adhortari.* Eadem corruptio contigit in Pison. 20. item l. c. de Offic. in MSis aliquibus. Vocem *igitur* damnat eius etiam varia collocatio, quam observavi. Solus Lamb. ex Vat. *hortari*, Faërno et Mureto praeeuntibus. GARATON.

Quid est aliud hortari adolescentes] Errant qui *adolescentes* scribunt per *u* in secunda syllaba. *Adolesco* enim compositum verbum est ex praepositione *ad*, et verbo *olesco*, quod crescere significat. Quod vero reperitur ita scriptum in antiquis libris, culpa est vel temporum, vel librariorum. scribebant enim saepe *o* pro *u*, et *u* pro *o*, ut admonui in comment. Lucretianis. Itaque falluntur etiam, qui *epistula* scribunt, non *epistola*, quod *epistula* scriptum reperiunt in libris manuscript. Epistola enim vox Graeca est, ἐπιστολή: in cuius syllaba penultima est ὀμικρὸν, quae vocalis vertitur a Latinis in *o* breve. Atqui ita sunt consulendi et sequendi codices vet. ut eos adiuvemus, in iisque legendis iudicium adhibeamus. Quis enim ferat eum, qui contendat scribendum esse *novilis*, non *nobilis*, et *abemus*, non *avemus*, et contra *havitare*, non *habitare: avieris*, non *abieris: havemus*, non *habemus*, et similia, et illa, *antempna, sollempnis, damptnare, temptare, sumptus, calumpnia, contempno*, et *contempsi, redemptus, peremptus*, et similia, (quae iam vix a pecudibus ferri possunt,) quia plerumque ita scripta reperiantur in libris illis? LAMBINVS. *Adhortari adolescentes*] E duobus aliis incommodis secuturis invehitur in legem Antoniam. alterum est, quod adolescentes videntes, quaestiones de vi et de

niciosi cives velint esse? Quam autem ad rei publicae pestem furor tribunicius impelli non poterit, his duabus quaestionibus, de vi, et de maiestate, sublatis?

X. Quid, quod obrogatur legibus Caesaris, quae iubent, ei, qui de vi, itemque qui maiestatis damnatus sit, aqua et igni interdici? quibus quum provocatio datur, nonne acta Caesaris rescinduntur?

maiestate esse sublatas, facile futuri sint seditiosi et turbulenti. Alterum, quod Tribuni plebis harum quaestionum metu soluti facile vexaturi sint rempublicam. Abram. Nimirum hanc vocem per V. semper iu Vatic. scriptam vidi. Garl

Quam autem ad reip. pestem furor tribunicius imbelli non poterit] Sic L. Col. et alii nonnulli, *quem autem ad reip. pestem furor tribunicius impellere non poterit.* quod magis probo, ut hanc habeat sententiam: Quis homo contemptus, tamque abiectus constitutus in tribunatu, qui natura vehemens est, et violentus, non excitabitur ad perniciem, atque exitium reip. cum viderit se armis potentissimi magistratus armatum, iis autem legum vinculis solutum, quae ad coërcendos furores tribunicios comparatae sunt? dixit autem *furorem tribunicium,* ut pro Cluent. *spiritus tribunicios,* contra Rull. *vim tribuniciam,* propriam s. tribunatus, atque ei prope insitam atque ingeneratam. Ferrarivs. *Quam autem ad reip. pestem*] Vocem *reip.* non habet antiquus liber, cui fidem astruit alius ex mea privata bibliotheca, cuius dictionis detractione ita sensus augetur, ut *pestis* non soli reip. sed et singulis quoque civibus a furore tribunicio impendere denuntietur. Fabrnvs. *Quam autem ad reip. pestem furor Tribunicius impelli non poterit*] Vetus liber, *Quam autem ad reip. pestem furor Tribunicius impellere non poterit?* F. Vrsinvs.

Quid? quod abrogatur his legibus Caesaris] *Quid? quod obrogatur legibus Caesaris,* o. l. v. quod probo. etenim praeter quam quod aptius ad sententiam convenit: siquidem M. Antonius non leges Caesaris abrogabat, sed iis alias leges aliqua ex parte contrarias ferebat: praeterea, quod sciam, *legi abrogare* non dicitur: nam illud apud Livium lib. IX, *Semper antiquae abrogat nova,* sine dubitatione mendosum est: quo tamen mendo libri scripti vacant: pro *antiquae* enim *antiquam* retinent. quod autem est apud illum, qui scribit ad Herennium, *Cui legi abrogatum, vel derogatum sit,* non dubito, quin librarii mendum, atque ibi quoque *obrogatum,* et paulo supra *obrogatio,* non *abrogatio,* scri-

Quae quidem ego, Patres conscripti, qui illa numquam probavi, tamen ita conservanda concordiae causa arbitratus sum, ut non modo, quas vivus Caesar leges tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem: sed ne illas quidem, quas post mortem Caesaris prolatas esse et fixas videtis. De exsilio redu-

bendum sit. nam cum de legibus inter se contrariis controversiae argumenta suggerat, quid tandem momenti poterat afferre lex, quae amplius lex non erat? at ea, cuius infirmandae causa lex alia lata erat, etsi tenuem, aliquam tamen defensionem dabat: siquidem non penitus erat sublata. Locum diligenter considera, ibis in sententiam meam. *Derogare* autem *legi*, esse, quid ex lege veteri nova detrahere: *Abrogare legem*, penitus tollere: *Obrogare legi*, prioris legis infirmandae gratia aliam legem ferre, nemo est qui nesciat. Omnia complectitur uno versiculo M. Tullius, *Quod per legem Clodiam promulgare, abrogare, derogare, obrogare sine fraude sua non liceat*. FERRARIUS.

Quid quod obrogatur legibus Caesaris] Habent et istud Pal. quoque sec. ac S. Victoris, non, ut antea publicati, *abrogatur his legibus*. GRUT. Firmant *obrogatur* duo Graevii codices, et Barb. pr. quod ante Grut. receperant optime P. Manut. Mur. et Lamb. Confer Oudend. ad Sueton. Caes. XXVIII. Iidem deleverant voculam *his*, id est, *iis*, pro qua Barb. ambo habent *in*, sed iam in sec. deletum id fuit. Quod habet cod. Franc. *de maiestate*, imperita emendatio est alicuius, qui simile hoc volebat esse antecedenti *de vi*. De hac re diximus ad c. 1. pro Flacco. In Lambinianis inveni pro varietate, *itemque qui:* id Graev. in V. L. non solum Faërno tribuit, verum etiam Lambino. Deleri sane potest *ei* codicis optimi auctoritate. Sed, ut ad ipsum Vaticanum accessi, ita in eo scriptum offendi: *Quid quod obrogatur legibus Caesaris, quae iubenti qui de vi itemq. maiestates damnatus sit*, etc. Nollem id compendium explicare *itemque:* sed legerim, *item qui maiestatis*. GARATON. Ern. et Schütz. imprimi curarunt: *itemque ei*.

Qui illa nunquam probavi] Cui nunquam Caesaris acta placuerunt, non quod rem ipsam in plerisque legibus Caesaris non probarem, sed quod auctor legum publicae libertatis oppressor mihi displiceret. ABRAM.

Ita conservanda] Ex Vaticano legendum arbitror, una voce addita, *tamen ita conservanda*, ut a Mureto editum postea comperi. GARATON. Ern. et Schütz. omiserunt *tamen* ante *conservanda*, quod habet Vat.

De exilio reducti sunt a mortuo] *Sunt* nullis in l. v. reperi-

cti a mortuo; civitas data non solum singulis, sed nationibus, et provinciis universis a mortuo; immunitatibus infinitis sublata vectigalia a mortuo. Ergo haec, uno, verum optimo, auctore domo prolata,

tur. hoc amplius Col. et Gad. quod singula membra eodem verba finiunt, hoc modo, *De exilio reducti a mortuo. civitas data non solum singulis, sed nationibus et provinciis universis a mortuo.* et quae sequuntur. quos mirum in modo probo: nam in aliis libris aut quid deesse, aut superesse mihi videbatur: nec mihi persuadere poteram, tam elegantem, tamque accuratum scriptorem eodem verbo primum, extremumque membrum conclusisse, medium tanquam mutilum et decurtatum reliquisse. Itaque non dubitabam, quin ex ultimo tollendum esset *a mortuo:* aut secundum referendis iisdem verbis supplendum. quae in duobus l. antiquis inventa hanc opinionem mihi penitus comprobaverunt. his autem conformationibus verborum, quis dubitat, quin optimus quisque orator distinguat orationem, aut quis hic non agnoscit eam figuram, quae a Graecis ἀντιστροφὴ, a nostris conversio appellatur? cuiusmodi est illud pro Font. *Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimae copiae e Gallia, equitatus plurimus e Gallia.* Ferr.

De exilio reducti] Sextus Clodius, et alii exules sunt ab exilio revocati nomine Caesaris mortui, quasi vivus Caesar eos ab exilio reducere voluisset. Abr.

Sed nationibus] Vt Siculis universis. libro 14. ad Atticum epist. 12: *Ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem a Dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani, cuius rei vivo illo mentio nulla.* quem locum fusius referemus, et explicabimus 2. Philipp. Abram.

Immunitatibus] 1. Philipp. *At quam caeca avaritia est? nuper fixa tabula est, qua civitates locupletissimae Cretensium vectigalibus liberantur, statuiturque, ne post M. Brutum Proconsulem sit Creta provincia.* Quod spectat ad repetitionem eiusdem vocis in fine toties inculcatam, exempla quaedam referemus 2. Philipp. Idem.

A mortuo] Talis est illa repetitio Sapphus poëtriae apud Hephaestionem:

Ὄλβιε γαμβρὲ, σοὶ μὲν δὴ γάμος, ὡς ἄραο,
Ἐκτετέλεστ᾽. ἔχεις δὲ παρθένον, ἂν ἄραο.

Felix gener, tibi nuptiae, ut optasti,
Confectae sunt: habesque puellam, quam optasti. Id.

Ergo haec uno viro optimo auctore] Pro *viro* antiquus liber habet *verum;* ut sit ordo, uno quidem auctore, verum optimo, quod amaram ironiam continet: nam de eo hoc dicit, quem intelligi vult corruptorem actorum Caesaris. Fabrnvs. *Ergo haec*

defendimus: eas leges, quas ipse, nobis inspectantibus, recitavit, pronuntiavit, tulit, quibus latis gloriabatur, iisque legibus rem publicam contineri putabat, de provinciis, de iudiciis, eas, inquam, Caesaris leges, nos, qui defendimus acta Caesaris, evertendas putamus? Ac de iis tamen legibus, quae pro-

etc.] Haec esse Caesaris acta credemus et servabimus, cum ea solus Antonius domo protulerit, solusque testetur, Caesarem illa, dum viveret, animo destinasse, et in commentariolos suos retulisse. Vocat optimum virum per ironiam, cum significare velit avarissimum et fallacissimum. ABRAM. Merito receperunt veteris libri optimam scripturam, repudiata vulgata, Faërnus, Muretus, Lambinus. Non debebat glandibus vesci Gruterus. GRAEV. Firmaverat Lamb. lectionem Vaticani sui quoque alicuius codicis testimonio. Alii omnes mendosi. GAR.

Vobis inspectantibus] Optimi libri non modo Faërni, sed et mei, *nobis inspectantibus*. longe rectius. quod et merito probarunt Faërnus, Muretus et Lambinus. Male neglectum posterioribus editoribus. GRAEV. Cum Faërno et aliis Regii codices *nobis*, ut dedimus pro vulgato *vobis*. LALLEM. Etiam Lamb. MSi, et ambo Barb. et Rom. ac Ven. *nobis*. Mox in Vat. *eisque legibus*. GAR. Ern. et Schütz. Vat. sequuti sunt, et paullo post uterque etiam *nobis* recepit.

De provinciis] De limitando tempore, quo provinciae obtinerentur. ABRAM.

Evertendas putamus] Sic ex veterrimo libro reposuit Faërnus et Muretus, sequente Lambino. Vulgati *putabimus*. GRAEVIUS. Huic quoque lectioni Lamb. suorum codicum testimonium adiecerat, quam servat Manut. in adnot. et post Graevium unus Olivet. adscivit. GARAT. Ern. et Schütz. retinuerunt vulgatam: *putabimus*.

Ac de iis tamen legibus] Ita quidem reipublicae libertatem oppressit Antonius, ut impedire non possimus, quo minus leges Caesaris nomine promulgatae ferantur: tamen de iis queri possumus, cum, quid in illis contineatur, compertum habeamus: at vero de illis legibus, quas a Caesare vivente perlatas fuisse mentitus est, ne queri quidem potuimus, cum eae recipiendae fuerint, priusquam intelligeremus, quid continerent. illae enim sine ulla promulgatione populo Romano impositae sunt, ante quam scriptae essent. ABRAM. Nescio, qua de causa huic loco vim adhibeat Ferratius III. Epist. 14. ut leges intelligat, quas in animo habebat Antonius. Qui adeo infra legit, *loquor de legibus promulgandis*, ut easdem intelligat, Tullio nolente, qui etiam V. Phil. 3. de

mulgatae sunt, saltem queri possumus: de iis, quae iam latae dicuntur, ne illud quidem licuit. Illae enim nulla promulgatione latae sunt ante quam scriptae. Quaerunt quidam, quid sit, cur aut ego, aut quisquam vestrum, Patres conscripti, bonis tribunis plebis, leges malas metuat. Paratos habemus, qui intercedant; paratos, qui rem publicam religione defendant; vacui metu esse debemus. „Quas tu

lege illa, quae supra c. 8. tamquam iam lata separatur a duabus nunc promulgatis, ita loquitur. *Num etiam hanc legem populus Rom. accepit? quid? promulgata fuit? quid? nonne ante lata, quam scripta? nonne ante factum vidimus, quam futurum quisquam est suspicatus?* Garaton.

Ne illud quidem licuit] Vatic. *ne quidem licuit*, et recte subauditur *queri*. Sed manus recentior *illud* in optimo cod. superscripsit. Idem statim: *illae enim sine ulla promulgatione*, quod habet Muret. Idem.

Quaerunt quid sit] Hanc, id est impressam lectionem recentissimus quisque continet liber. antiquus vero et alii, quorum mihi fides probata est, *quaero autem quid sit.* unus, *quaero hoc quid sit.* Mihi, ut verum fatear, nulla harum lectionum sat placet, quamvis omnes sustentari possint. ego in tanta varietate in antiqua acquiescam. Faernus. *Quaerunt quidam, quid sit, cur* etc.] Hanc scripturam putavi esse rectam, ex antiquae scripturae vestigiis coniectura facta. Lamb. *Quaerunt quid sit*] Quaerunt nonnulli, quid sit, cur, cum tam boni Tribuni plebis sint in rep., nos, qui remp. salvam esse volumus, malas leges Antonii metuamus: cum enim Tribuni plebis ament remp., suis intercessionibus et obnuntiationibus poterunt impedire, quo minus malae leges perferantur. Abram. Quanta sit scripturae varietas in veteribus libris, vide in variarum lectionum libello. Graev. Planissima est vulgata, quam servant codices Barb. et veteres editi. Gar. Ern. sequutus est vulgatam: *quaerunt, quid sit*, at Schützius, nescio cur, praetulit Lambini coniecturam: *quaerunt quidam, quid sit.*

Quas tu mihi] Per dialogismum inducit Antonium irridentem eos, qui vel intercessionibus, vel obnuntiationibus Tribunorum plebis volebant malas leges impedire. Abram.

Quas tu mihi intercessiones, inquis, quas religiones] *Quas tu mihi, inquit, intercessiones? quas religiones?* sic Lang. Col. Sc. hoc amplius Gad. *Quas religiones nominas?* ut Plaut. in Cur. *Quas tu mihi tabellas? quos tu mihi luscos libertos? quos summanos somnias?* et in

mihi, inquit, intercessiones, quas religiones?" Eas scilicet, quibus rei publicae salus continetur. „Negligimus ista, et nimis antiqua et stulta ducimus.

Pseud. *Quem Pseudulum? quas tu mihi praedicas fallacias?* Et hic ipse in vi. l. accus. *Quam mihi religionem narras, quam poenam? quem Senatum?* Illa tamen brevitas mihi magis arridet. Ferrar. *Quas religiones? Eas* etc.] Sic Pall. nostri, et Mauric. item P. sine verbo *nominas*, quod iure tolli iussit Ferrarius. Grut. *Quas religiones?*] Quae auspicia, quae religiose servabantur a maioribus nostris. Sustuli e textu verbum, *nominas*, cum Grutero et Ferrario, et Palatinis codicibus. De auspiciorum religione vide ubi legis Pisonianam: *Bustum legum omnium ac religionum.* Cur autem auspiciorum religionibus et Tribunorum plebis intercessionibus dicat salutem reipublicae contineri, id caussae esse puto, quod legum multitudinem prohibebant, unde et in Pisonem 9. lex Aelia et Fusia *propugnacula murique tranquillitatis atque otii* nominantur. Legum autem multitudine et novitate turbas in republica concitari diximus in Sextianam ad illa verba, *legum multitudinem*, et in Pisonianam: *Centum prope annos legem Aeliam et Fusiam tenueramus.* Abr. Ipsa Ferrarii verba vides, qui non iussit tolli *nominas*, quod in MSS. reperit quibusdam, sed brevitatem magis sibi placere ait. *Nominas* est in omnibus MSS. quae vidi ego. Sed tamen liber Vaticanus omnium optimus et antiquissimus, probante Faërno et Mureto, id respuit. Graev. Non dubito, quin ex glossa verbum *nominas* exstiterit in cod. Car. Steph. et in edd. Naug. Gryph. Car. Steph. et in repet. Lamb. Recte omittitur in tribus MSis Ferr. in utroque Barb. et in Vatic. etiam in edd. Rom. Ven. Ald. P. Man. et Lamb. Quibus si addas Gruteri codices, numerum habebis amplissimum suffragiorum. Loco autem illo simillimo IV. in Verr. 39. omnes libri habent verbum *narras:* ut intelligas nihil aliud spectari h. l. oportere, nisi codicum numerum atque praestantiam. Garaton.

Eas scilicet] Responsio ad interrogationem Antonii. Dicit autem, reipublicae salutem his intercessionibus et religionibus contineri, quia obstabatur legum multitudini, quibus respublica facile pessundatur. Abram.

Negligimus ista] *Neglegimus*, l. Lang. et alii nonnulli, ut enim *perlego*, sic *intellego*, sic *neglego* dicebatur, ut ex vetustissimis libris intelligere licet. Ferrar. *Negligimus ista*] Vetus liber, *neclegimus*. Muretus. *Negligimus ista*] Loquitur Antonius. Abram.

Et nimis antiqua et stulta ducimus] Ita et Graeci loquuntur. Lucianus:

Forum saepietur; omnes claudentur aditus, armati in praesidiis multis locis collocabuntur." Quid tum? Quod erit ita gestum, id lex erit; et in aes incidi

[illegible]

Eadem ratione [illegible] vocant homines simplices et minime malos. Plato in Hippia minore: [illegible] 'Οδυσσέα, ubi parum vidit Ficinus, qui [illegible] interpretatus est seniorem. Cicero pro Sex. Roscio: *Homines antiqui, qui ex natura sua ceteros fingerent,* crediderunt. Muretus. *Homines antiquos et stultos*] Frequenter ita coniungunt, ut Seneca de beneficiis lib. III. cap. 16: [illegible]

[illegible]

iubebitis, et pro, *hoc enim*, emendantes, *hocine*, ex auctoritate antiqui libri: ut totus locus ita legatur: *Quid tum, quod ita gestum erit, id lex erit, et in aes incidi iubebitis, credo, illa legitima:* Consules populum iure rogaverunt. *hocine a maioribus accepimus ius rogandi?* populusque iure scivit. *qui populus?* ut illa verba, *quid tum?* Ciceronis sint, seipsum interrogantis; quae vero sequuntur, eiusdem sibi ipsi respondentis, ad Antonium tamen et Dolabellam sermone directa. cuius quidem sermonis prima pars ironia est, usque ad eum locum, *hocine a maioribus*. nam inde non iam ironia, sed aperta reprehensio est: [illegible]

iubebitis credo illa legitima: CONSULES POPULUM IURE ROGAVERUNT hoccine a maioribus accepimus ius rogandi? POPULUSQUE IURE SCIVIT. Qui populus? isne, qui exclusus est?

praestantissima Faërni tota lectio attendenti cuique videatur. Lumen orationi maximum adfert ille codex voce illa *hoccine,* quam solus habet: neque ferri iam vulgata potest, cum comparaveris. Vide Manut. cui vocem istam in commentario probanti et explicanti filius non paruit. Eamdem Muret. quoque male contemsit. Cetera item egregia firmantur a libris plurimis. Nam *iubebitis* habent omnes Ferrarii, et ipsius Graevii codices, et Barb. sec. atque omnes ante Grut. editi. Ex solita permutatione in MSis Grut. et Barb. pr. factum est perperam *videbitis:* erravitque Gruterus, dum haec ad Senatum, in quo Cicero loquebatur, censuit referenda: spectant enim ad Consules, ut ea, de quibus diximus ad c. 9. Denique *credo* exhibent Barb. ambo, Rom. Ven. Ald. et Hervag. et Gryph. cum Naug. P. Man. Car. Steph. Muret. repet. Lamb. et Grut. *cedo* male praebuerint, omnes ex Ferrario, si Naug. excipias. Aliis locis sollicitatum verbum *credo* defendit Wopkens. II. Lect. Tull. 2. p. 127. Tantum *quae* iam inde a P. Man. iure deletum fuit, Ferr. MSis, Vatic. et aliis auctoribus, quod Barb. uterque pessime retinet. Recentiores maluerunt Gruterum sequi, quam cum Faërno et Lambino recte sentire. GARATONIVS. Graevius habet: *videbitis, cedo illa legitima* C. P. I. R. *hoc enim* etc. Ern. Graev. lect. sequutus est, item Schütz., qui *cedo* tantum mutat in *credo.* At facio cum Garatonio, qui praeoptavit veram lectionem.

Credo illa legitima: quae Consules populum iure rogaverunt] Ita sine controversia corrigendum est: *Cedo illa legitima. Coss. populum iure rogaverunt* (*hoc enim a maioribus accepimus ius rogandi*) *populusque iure scivit.* Hoc autem principium erat legum latarum. id apparet apud Frontinum de aquae ductibus, cuiusdam legis verba subscribentem. *T.* (inquit) *Quintius Crispinus Cos. populum iure rogavit, populusque iure scivit.* Probus quoque has legum notas, P. I. R. P. Q. I. S. sic interpretatur, *Populum iure rogavit, populusque iure scivit.* Eodem accedit auctoritas antiquorum librorum, qui ad unum omnes sententiae nostrae suffragantur. FERRARIVS.

Isne qui exclusus est] Isne populus eam legem scivit, et suffragio suo comprobavit, qui septis et militum praesidiis sic exclusus est, ut non potuerit ad forum accedere. ABRAM.

quo iure? an eo, quod vi et armis omne sublatum est? Atque ego hoc dico de futuris; quod est amicorum, ante dicere ea, quae vitari possunt; quae si facta non erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis; de quibus est integrum vobis. De-

Quo iure? an eo, quod vi etc.] De oppositione vis et iuris vide Sextianam: *Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate, et illam immanem nihil tam interest quam ius atque vis.* Abram.

Atque ego hoc dico de futuris] Antiquus liber, *atque haec dico de futuris.* Faernus. *Atque ego hoc dico de futuris*] Videtur esse quaedam veluti concessio. Non est, Antoni, quod mihi irascaris: non enim reprehendo praeterita: non accuso te, quod hactenus auspicia et intercessiones neglexeris, quod leges, quae iam perlatae sunt, tuleris per vim, et foro militibus occupato. Haec, inquam, praeterita non reprehendo, ne tibi videar inimicus, si, quod factum est, et infectum esse nequit, obiecerim: sed loquor de futuris, ut obviam eatur: in quo non modo non sum tibi inimicus, sed etiam fungor amici officio, praedicens ea, quae vitari possunt. Loquor de legibus iam promulgatis quidem, sed nondum perlatis, de quibus est integrum vobis. Tu enim et Dolabella potestis populum iure rogare, si intercederetur aut obnuntiabitur, intercessionibus et auspiciis parere, nullam populo Romano vim adhibere. Demonstro, periculum esse, ne vitio ferantur eae leges, neglectis auspiciis et religionibus: vos tollite vitium, et tum auspiciis, tum intercessionibus parete: denuntio futurum, ut dispositis in foro militibus populo Romano vis inferatur: vos arma removete. Id si feceritis, refelletur oratio mea, dicoque in vanum timuisse, aut, cum non timerem, invidiose finxisse. Videsne e duabus lectionibus, *quod est amicorum*, et *quod est augurum*, posteriorem anteferre. Abram. Olivet. et Lallem. *Atque ego haec dico*, quod Barbadorium etiam olim video maluisse. Recte profecto: codices tamen omnes, *ego hoc*, praeter Vatic. qui *haec* habens omittit *ego*, cui Muretus obtemperavit. Garat.

Quod est augurum: ante dicere ea, quae vitari possunt] *Amicorum*, pro *augurum*, o. l. v. caetera eodem modo. Quid hic augures, aut amici, aut omnino omnia haec verba sibi velint, non dispicio: ut valde suspicer, vel dicam pro certo putem, totum hunc locum, quem supra scripsi, interpretationem esse eorum hominum, qui glossas sub omnibus verbis subscribunt. nam quod dixerat, *de futuris*, suggesserunt (credo) elegantes illi interpretes, *quod est*

monstro vitia; tollite! Denuntio vim, arma; removete!

amicorum ante dicere ea, quae vitari possunt. quae verba librariorum imperitia in omnes postea libros irrepserunt. FERRARIVS. *Quod est augurum, ante dicere ea quae vitari possunt*] In antiquo libro pro *possunt, possint* legitur: quod parvi refert. pro *augurum* vero, *amicorum;* quam veram lectionem putamus; hoc sensu, si ego vos de re iam facta accusarem, diceremque, aliquam vos legem per vim tulisse, forte possetis de me queri, quod non benivolo erga vos animo ea dicerem, quae iam infecta esse non possent. nunc vero haec dico de futuris: deque iis, quae vobis integrum est, vel facere vel non; in quo vos ut amicos tracto: amicorum enim est, de iis, ante admonere amicos, quae vitari ab eis possunt. in vestra ergo potestate est, haec vitando quae dixi, refellere orationem meam; et inanem ostendere metum, quem de vobis concepi; quod ita assequemini, non per arma nec vim, ut ego nunc praedico vos esse facturos. FAERNVS. Recte *amicorum* cum Ferrarii MSis et Vatic. etiam cod. Car. Stephani, et cum Grut. Graev. et Lamb. etiam Verb. et Lallem. Redierat Olivet. ad ceterorum editorum lectionem *Augurum*, quam Barb. ambo servant, et Barbadorius quoque improbaverat, nullum hic ei locum esse intelligens. Etiam Barb. uterque *possint*, quod unus ex meis editis Lamb. recepit. GARATON. Etiam Ern. et Schütz. habent lectionem illam.

Denuntio: vim, arma removete] Nos post *denuntio* tollendam distinctionem putamus, ut vox *vim* passive accipiatur, id est quae nobis illatum itur. ut par pari reddatur, demonstro vitia, denuntio vim. quod non ea ratione dictum volumus, quia vis non nisi per arma inferatur, sed quia per arma plerumque. FAERN. *Denuntio vim, arma: removete*] Ita a me est editum septem abhinc annos, in prima iam editione Ciceronis, itaque distinctum atque interpunctum. quod eo scripsi, quia, cum Petrus Victorius, in posterioribus libris Var. lectionum: qui nuper in Galliam perlati sunt, cap. XIII. lib. XXXII. ex hac sola tam levi observatione concinnasset: hoc ipsum, quod, qualecumque est, sive laude dignum est, sive secus, meum est: id tamen mihi ademtum alteri tribuit. Quod miratus sum. neque putaram, in P. Victorio tantam inesse, κακοήθειαν non dicam, non enim convenit huius nominis vis in virum optime moratum: εὐήθειαν multo minus: non quadrat hoc nomen in virum cordatissimum ac prudentissimum: ῥᾳδιουργίαν nihilo magis, qui sit homo diligentissimus et vigilantissimus: sed tamen non putaram, P. Victorium talem esse, ut et, quos laudare vellet, alienis laudibus

ornaret; et, quod praeclare factum confiteretur, suis auctoribus eriperet. Quid enim aliud fecit Petrus Victorius, cum huius loci interpunctionem in illa mea editione, quam a se visam negare non potest, plane exstantem: quam interpunctionem laudat, et vulgatae anteponit, ut debet: cuidam homini iniustissimo, qui alieni laboris fructum praecerpere conatus est, adscribit, quod non debet, cum mea editio aliquot annis ante editionem illam prodierit? Quid ergo? Illine hanc Petri Victorii laudatiunculam, praesertim falsam, invideo? Nihil minus. Sed Petri Victorii ἦθος considero: iniuriam mihi ab utroque factam queror: ab illo, quod opus alienum tractare et interpolare ausus sit, invito domino, nihil ipse novi afferens, praeter nugas, nullisque adiumentis instructus, nullis codicibus antiquis fretus, quibus videri alicui posset novum aliquod opus fecisse: de Victorio, quod rei, iudicio ipsius, laude et sermone dignae, meo, levis et nugatoriae: quae tamen mea, et domi meae nata, et a me profecta est, gratiam, quae mihi debetur, alteri adiudicat. Sed quid hoc leve queror: quod gravius est, taceo? Idem cap. xv. lib. xxxviii. dissentiens a me in eo, quod apud Aristotelem lib. vi. de moribus ad Nicom. locum illum in omnibus codicibus unius litterae adiectione corruptum, eius detractione sic emendarim, ὥστ' εἴη ἂν ἡ σοφία νοῦς καὶ ἐπιστήμη, καὶ ὥσπερ κεφαλὴ, ἔχουσα, ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων, etc. et lectionem vulgatam defendens, ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα, quae lectio ineptissima est, neque ullo modo ferri potest, nisi forte scientia aliqua est ἀκέφαλος, quod dictu ridiculum est: mea autem emendatio recta: volens enim ostendere Aristoteles, sapientiam esse scientiam rerum honoratissimarum, et scientiam omnibus aliis scientiis anteponendam, dicit, illam esse tamquam caput aliarum scientiarum, et capitis rationem ad alias scientias obtinere. quemadmodum igitur caput omnium partium corporis animati pars est praestantissima: ita sapientia omnium scientiarum est praestantissima et honoratissima. Haec Aristotelis sententia est. quod si diceret, ut vult Victorius, sapientiam esse scientiam caput habentem, sive potius, capite praeditam: quam ei laudem tribueret? aut qua eam re ceteris scientiis praestare diceret? si enim hoc significaret, sapientiam scientiam perfectam esse, alias vero imperfectas: quid esset, quod eam tantopere laudaret, si scientiis imperfectis praestaret? sin eam cum scientiis perfectis comparare vellet, et eam diceret caput habere: quo modo ostenderet, eam aliis esse praestantiorem, si aliae quoque perfectae sunt, id est, caput habent? Vides, lector, quam inepta atque absurda sit lectio vulgata, quem vir ille alioqui doctissimus tuetur. In eo igitur loco, ubi hanc scripturam tam ineptam defendit ille, meam autem emendationem oppugnat, ita

XI. Irasci vos quidem mihi, Dolabella, pro re publica dicenti, non oportebit. Quamquam te qui-

dormitavit, ita oscitatus est, ita denique aliud egit, ut scripserit, me sententiam meam Mureti auctoritate confirmasse, cum Mureti in ea disputatione nullam mentionem fecerim, sed Eustratium, auctorem, quod concedat ipse Muretus, aliquanto meliorem, (poteram etiam D. Thomam si adiungere, quem quomodo praeterierim, nescio) meae sententiae adstipulatorem et confirmatorem produxerim. Tanta fuit hominis in iis libris conscribendis, ne quid gravius dicam, ὀλιγωρία καὶ ῥᾳθυμία. Lambinus.

Denuntio vim, arma: removete] De hac distinctione optimus virorum P. Victorius lib. xxxii. c. 23. in quem dum hic invehitur Lambinus Lycambeis armis, ostendit, quam sit animi pusilli, imo nullius. Grut.

Irasci quidem mihi, Dolabella] Sic Gad. *Irasci te quidem mihi, Dolabella.* Lang. et cum eo multi alii, *Irasci vos quidem.* quod magis placet, subiungit enim, *Quanquam quidem te id facturum non arbitror.* Ferrarius. *Irasci te quidem*] Hic locus in antiquo libro recte, ut puto, ita totus legitur: *Irasci quidem vos mihi, Dolabella, pro rep. dicenti non oportebat. quamquam te quidem id facturum non arbitror, novi facilitatem tuam.* Faernus. *Non oportebat* restituerunt ex Vaticano Faërnum secuti Muretus et Lambinus, quos et sequor. Vulgati *oportebit.* Graev. Secutus est cum Faërno, Mureto et Lamb. in omnibus his Vatican. codicem Cl. Lallem. et probo, quod etiam v. *enim* detraxerit, quamvis recte adsit: sed nollem *oportebat.* Incipit enim Tullius hac primum oratione de rep. dicere adversus Consules: et quae hic sequuntur, omnia de futuro dicuntur. Itaque restituendum censeo, *vos quidem* etc. *oportebit.* Sic plane cod. Cat. Steph. ambo Barb. et plerique Ferrarii, sic Ven. Naug. Camer. Grut. Verb. et Oliv. et Gryph. Male Gad. P. Man. C. Steph. et repet. Lamb. *te* pro *vos*, idemque *te* superscriptum vidi in Barb. sec. ex alio certe codice. Neutrum est in Rom. et Ald. ut editum Ferrar. invenit. Immerito etiam Barbadorio placuit, *te quidem* etc. *oportebat.* Solus Vatic. *oportebat*, et ab eo solo abest *enim:* ex eodem solo infra Faërn. Mur. Lamb. Graev. Oliv. et Lallem. *iracundum audio esse factum*, enim in ceteris omnibus *esse* desit, quod ego verius omitti dicerem, nisi meliorem numerum reddere videretur. Nam quod in Graeviana omittatur *audio*, id culpa operarum factum emendavi. Garaton. Consentiunt cum Garatonio Ern. et Schütz. Iidem in textu omiserunt *esse* ante *factum.*

Quanquam quidem te] *Quanquam te quidem*, o. l. v. Ferrarius.

dem id facturum non arbitror. Novi enim facilitatem tuam. Collegam tuum aiunt in hac sua fortuna, quae bona ipsi videtur, — mihi, ne gravius quippiam dicam, avorum et avunculi sui consulatum si imitaretur, fortunatior videretur; — sed eum iracundum audio factum. Video autem, quam sit odiosum habere iratum eundem, et armatum, quum

Facilitatem] Hanc vocem Terentius libenter usurpat, ut Hecyra actu 5, scena 1:

Facilem benevolumque lingua
tua iam tibi me reddidit,

Adelphis actu 5, scen. 4:

— Re ipsa repperi,
Facilitate nihil homini esse
melius, neque clementia.

Vbi Donatus: *Inter facilitatem et clementiam hoc interest: facilis enim, cuius ira cito solvitur: clemens, qui non irascitur.* et alibi frequenter. Abram.

Collegam tuum] M. Antonium, collegam tuum in consulatu, aiunt iracundum esse factum, ex quo Consul factus est, vel potius ex quo post necem Caesaris successit in eius dominatum, et nactus est occasionem habendi circa se praesidium militare. Adverte vero ἀνακολουθίαν orationis: *Collegam tuum aiunt*, etc. *sed eum audio iracundum esse factum.* Idem.

Ne gravius quippiam dicam] Ne dicam, illum esse miserrimum, qui per scelus opprimit reipublicae libertatem, et satius esse in crucem agi, quam ad tyrannidem pervenire. Idem.

Avorum] M. Antonii Oratoris, qui Consul fuit cum A. Postumio Albino anno Vrbis 654. avi paterni. Quis autem maternus avus fuerit, quaerendum. Mater Antonii fuit e Caesarum familia. Caesares duo Consules fuerunt tempore belli Italici, Sext. Iulius Caesar cum L. Marcio Philippo, et L. Iulius Caesar cum P. Rutilio Lupo, Sextus anno Vrbis 662. Luc. anno proxime sequenti. Vt in re dubia, nec ullis, quod sciam, testata veterum monumentis, facilius crediderim, Luc. Caesarem avunculum et Iuliam, matrem Antonii, Lucii Iulii Caesaris liberos fuisse, quod plerumque liberi patrum suorum praenomina retinerent. Idem.

Avunculi] Lucii Caesaris, qui cum C. Marcio Figulo Consul fuit anno 689. id est proxime ante Ciceronem. Nullam C. Antonii, qui Antonii patruus fuit, facit mentionem, quia is ex consulatu damnatus est. Quae sequuntur pleraque sunt perspicua. Idem.

Iratum eundem et armatum] Hoc mihi revocat in memoriam dictum Favorini, de quo Spartianus in Hadriano: *Et Favorinus quidem, cum verbum eius quoddam ab Hadriano reprehensum esset, atque ille cessisset, arguentibus amicis, quod male cederet Hadriano de verbo, quod ido-*

tanta praesertim gladiorum sit impunitas. Sed proponam ius, ut opinor, aequum: quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, si quid in vitam eius, aut in mores eum contumelia dixero, quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. Sin con-

nei auctores usurpassent, risum iucundissimum movit, ait enim: Non recte suadetis, familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones. Idem.

Sed promam ius, ut opinor, aequum] L. Col. *proponam.* Lang. tamen pro impressis stat: atque uterque quidem cum suis tanquam adstipulatoribus atque advocatis. ego Colotianum magis probo: quod is mihi videatur ad consuetudinem loquendi propius accedere. Ferrarius. Barb. ambo *promam*, et ex meis editis Rom. Ven. et Ald. Ceteri omnes *proponam.* Gar.

Contumeliae dixero] Magna varietas in libris antiquis existit: nam partim cum impressis consentiunt, ut Sc. partim *contumeliose*, ut Gad. nonnulli *cum contumelia*, ut Col. et alii nonnulli. qui omnes habent omnino quod sequamur: nam et *dicere contumeliam* recte dicitur. Plaut. *Contumeliam si dices, audies.* et *contumeliose:* Cic. de offic. *Cum studiose de absentibus detrahendi causa aut per ridiculum, aut severe, aut maledice contumelioseque dicitur.* et *cum contumelia*, ut idem in 11 Phil. *Quid est dictum a me cum contumelia?* Ego tamen hoc extremum sequor. Ferrar. *Contumelia*] Ὕβρις. Quid sit autem ὑβρίζειν, definit Aristotelès lib. 2 Rhetor. cap. 2: Ἔϛι γὰρ ὕβρις τὸ πράττειν καὶ λέγειν, ἐφ᾽ οἷς αἰσχύνη ἐϛὶ τῷ πάσχοντι, μὴ ἵνα τι γένηται αὐτῷ τῷ δρῶντι, ἀλλ᾽ ὅπως ἡσθῇ. οἱ γὰρ ἀντιποιοῦντες οὐχ ὑβρίζουσιν, ἀλλὰ τιμωροῦνται. *Est enim contumelia facere et ea dicere, quae pudorem afferunt patienti, non ut qui contumeliam facit aliquid consequatur, sed ut percipiat voluptatem. Etenim referentes non faciunt contumeliam, sed ulciscuntur.* Vides δρᾷν et ἀντιποιεῖν in contumelia: quem loquendi modum usurparat Antonius, ut eius verba 3 Philipp. referuntur: *Nulla est contumelia, quam facit dignus, nec timor, quem denuntiat inimicus.* Quod etsi reprehenditur a Tullio: *Quid est porro facere contumeliam? quis sic loquitur?* habet tamen magnos auctores, ut Plautum Asinaria actu 2, scen. 4:

Tu contumeliam alteri facias,
tibi non dicatur?

Terentius Eunucho actu 5, scen. 2:

— Non te dignum, Chaerea,
Fecisti. Nam si ego digna hac contumelia
Sim maxime, at tu indignus qui faceres tamen. Abram.

Sequitur etiam Ferrarius, Faernus, Muretus, Lambinus, et meus bonus codex. Alii *contumelia*, alii *contumeliae.* *Cum* absorpsit

mulgatae sunt, saltem queri possumus: de iis, quae iam latae dicuntur, ne illud quidem licuit. Illae enim nulla promulgatione latae sunt ante quam scriptae. Quaerunt quidam, quid sit, cur aut ego, aut quisquam vestrum, Patres conscripti, bonis tribunis plebis, leges malas metuat. Paratos habemus, qui intercedant; paratos, qui rem publicam religione defendant; vacui metu esse debemus. „Quas tu

lege illa, quae supra c. 8. tamquam iam lata separatur a duabus nunc promulgatis, ita loquitur. *Num etiam hanc legem populus Rom. accepit? quid? promulgata fuit? quid? nonne ante lata, quam scripta? nonne ante factum vidimus, quam futurum quisquam est suspicatus?* GARATON.

Ne illud quidem licuit] Vatic. *ne quidem licuit*, et recte subauditur *queri*. Sed manus recentior *illud* in optimo cod. superscripsit. Idem statim: *illae enim sine ulla promulgatione*, quod habet Muret. IDEM.

Quaerunt quid sit] Hanc, id est impressam lectionem recentissimus quisque continet liber. antiquus vero et alii, quorum mihi fides probata est, *quaero autem quid sit*. unus, *quaero hoc quid sit*. Mihi, ut verum fatear, nulla harum lectionum sat placet, quamvis omnes sustentari possint. ego in tanta varietate in antiqua acquiescam. FABRNVS. *Quaerunt quidam, quid sit, cur* etc.] Hanc scripturam putavi esse rectam, ex antiquae scripturae vestigiis coniectura facta. LAMB. *Quaerunt quid sit*]. Quaerunt nonnulli, quid sit, cur, cum tam boni Tribuni plebis sint in rep., nos, qui remp. salvam esse volumus, malas leges Antonii metuamus: cum enim Tribuni plebis ament remp., suis intercessionibus et obnuntiationibus poterunt impedire, quo minus malae leges perferantur. ABRAM. Quanta sit scripturae varietas in veteribus libris, vide in variarum lectionum libello. GRAEV. Planissima est vulgata, quam servant codices Barb. et veteres editi. GAR. Ern. sequutus est vulgatam: *quaerunt, quid sit*, at Schützius, nescio cur, praetulit Lambini coniecturam: *quaerunt quidam, quid sit*.

Quas tu mihi] Per dialogismum inducit Antonium irridentem eos, qui vel intercessionibus, vel obnuntiationibus Tribunorum plebis volebant malas leges impedire. ABRAM.

Quas tu mihi intercessiones, inquis, quas religiones] *Quas tu mihi, inquit, intercessiones? quas religiones?* sic Lang. Col. Sc. hoc amplius Gad. *Quas religiones nominas?* ut Plaut. in Cur. *Quas tu mihi tabellas? quos tu mihi luscos libertos? quos summanos somnias?* et in

mihi, inquit, intercessiones, quas religiones?" Eas scilicet, quibus rei publicae salus continetur. „Negligimus ista, et nimis antiqua et stulta ducimus.

Pseud. *Quem Pseudulum? quas tu mihi praedicas fallacias?* Et hic ipse in VI, l. accus. *Quam mihi religionem narras, quam poenam? quem Senatum?* Illa tamen brevitas mihi magis arridet. FERRAR. *Quas religiones? Eas* etc.] Sic Pall. nostri, et Mauric. item P. sine verbo *nominas*, quod iure tolli iussit Ferrarius. GRVT. *Quas religiones?*] Quae auspicia, quae religiose servabantur a maioribus nostris. Sustuli e textu verbum, *nominas*, cum Grutero et Ferrario, et Palatinis codicibus. De auspiciorum religione vide ubi legis Pisonianam: *Bustum legum omnium ac religionum.* Cur autem auspiciorum religionibus et Tribunorum plebis intercessionibus dicat salutem reipublicae contineri, id caussae esse puto, quod legum multitudinem prohibebant, unde et in Pisonem 9. lex Aelia et Fusia *propugnacula murique tranquillitatis atque otii* nominantur. Legum autem multitudine et novitate turbas in republica concitari diximus in Sextianam ad illa verba, *legum multitudinem*, et in Pisonianam: *Centum prope annos legem Aeliam et Fusiam tenueramus.* ABR. Ipsa Ferrarii verba vides, qui non iussit tolli *nominas*, quod in MSS. reperit quibusdam, sed brevitatem magis sibi placere ait. *Nominas* est in omnibus MSS. quae vidi ego. Sed tamen liber Vaticanus omnium optimus et antiquissimus, probante Faërno et Mureto, id respuit. GRAEV. Non dubito, quin ex glossa verbum *nominas* exstiterit in cod. Car. Steph. et in edd. Naug. Gryph. Car. Steph. et in repet. Lamb. Recte omittitur in tribus MSis Ferr. in utroque Barb. et in Vatic. etiam in edd. Rom. Ven. Ald. P. Man. et Lamb. Quibus si addas Gruteri codices, numerum habebis amplissimum suffragiorum. Loco autem illo simillimo IV. in Verr. 39. omnes libri habent verbum *narras:* ut intelligas nihil aliud spectari h. l. oportere, nisi codicum numerum atque praestantiam. GARATON.

Eas scilicet], Responsio ad interrogationem Antonii. Dicit autem, reipublicae salutem his intercessionibus et religionibus contineri, quia obstabatur legum multitudini, quibus respublica facile pessundatur. ABRAM.

Negligimus ista] *Neglegimus*, l. Lang. et alii nonnulli, ut enim *perlego*, sic *intellego*, sic *neglego* dicebatur, ut ex vetustissimis libris intelligere licet. FERRAR. *Negligimus ista*] Vetus liber, *necleqimus*. MVRETVS. *Negligimus ista*] Loquitur Antonius. ABRAM.

Et nimis antiqua et stulta ducimus] Ita et Graeci loquuntur. Lucianus:

Forum sepietur; omnes claudentur aditus, armati in praesidiis multis locis collocabuntur." Quid tum? Quod erit ita gestum, id lex erit; et in aes incidi

Λουκιανὸς τάδ' ἔγραψε, παλαιά τε μῶρά τε εἰδώς.

Eadem ratione *ἀρχαίους* vocant homines simplices et minime malos. Plato in Hippia minore: *καὶ ἡγούμενον ἀρχαῖον εἶναι τὸν Ὀδυσσέα.* ubi parum vidit Ficinus, qui *ἀρχαῖον* interpretatus est *seniorem*. Cicero pro Sex. Roscio: *Homines antiqui, qui ex natura sua ceteros fingerent, crediderunt.* MVRETVS. *Nimis antiqua et stulta*] Frequenter ista coniungunt, ut Seneca de beneficiis lib. 16. cap. 16: *Infrunita et antiqua est, quae nescit matrimonium vocari unius adulterium.* Socrates Aristophanicus in Nebulis: *Καὶ πῶς, ὦ μωρὲ σὺ, καὶ Κρονίων ὄζων, καὶ βεκκεσέληνε.* In quem locum interpres *Κρονίων ὄζων*, Saturnalia redolens, *οἷον ἀρχαϊκῆς εὐηθείας ὀδωδώς. quasi antiquam simplicitatem redolens.* Et post idem Comicus: *Οὐχὶ διδάξεις τοῦτον Κρόνος ὤν; Non hunc docebis Saturnus existens.* quod interpretatur idem Scholiastes, *ἀρχαῖος, λῆρος*, redditque rationem, cur antiqui et stulti *βεκκοσέληνοι* nominentur. ABRAM.

Et in aes incidi iubebitis. cedo illa legitima] Pro *credo*, quod et prius in vulgata erat, et in antiquo atque omnibus aliis, quos nos vidimus, libris est, Ferrarius *cedo* substituit; nos tamen priorem lectionem tuemur, delentes distinctionem post *iubebitis*, et pro, *hoc enim*, emendantes, *hocine*, ex auctoritate antiqui libri: ut totus locus ita legatur: *Quid tum, quod ita gestum erit, id lex erit, et in aes incidi iubebitis, credo, illa legitima:* CONSVLES. POPVLVM. IVRE ROGAVERVNT. *hocine a maioribus accepimus ius rogandi?* POPVLVSQVE. IVRE. SCIVIT. *qui populus?* ut illa verba, *quid tum?* Ciceronis sint, seipsum interrogantis; quae vero sequuntur, eiusdem sibi ipsi respondentis, ad Antonium tamen et Dolabellam sermone directo. cuius quidem sermonis prima pars ironia est, usque ad eum locum, *hocine a maioribus*. nam inde non iam ironia, sed aperta reprehensio est: quod leges per vim contraque ius rogandi acceptum a maioribus ferri parentur. FAERNVS. *Quod erit ita gestum, id lex erit; et in aes incidi videbitis*] Secutus sum Guilielmium, qui istud repererat in fragmento Coloniensi atque libro S. Victoris: neque aliter Pal. sec. vulgo erat, *iubebitis*. minus recte. non enim Senatus id iussurus erat; neque exspectaturus Antonius iussum Senatus. quod ipsum omnino produnt et praecedentia et sequentia. GRVTERVS. Vehementer miror, a sua consuetudine Graevium hic abiisse, qua solet Vaticano codici adhaerere. Non dubito, quin optima et longe

iubebitis credo illa legitima: CONSULES POPULUM IURE ROGAVERUNT hoccine a maioribus accepimus ius rogandi? POPULUSQUE IURE SCIVIT. Qui populus? isne, qui exclusus est?

praestantissima Faërni tota lectio attendenti cuique videatur. Lumen orationi maximum adfert ille codex voce illa *hoccine*, quam solus habet: neque ferri iam vulgata potest, cum comparaveris. Vide Mannt. cui vocem istam in commentario probanti et explicanti filius non paruit. Eamdem Muret. quoque male contemsit. Cetera item egregia firmantur a libris plurimis. Nam *iubebitis* habent omnes Ferrarii, et ipsius Graevii codices, et Barb. sec. atque omnes ante Grut. editi. Ex solita permutatione in MSis Grut. et Barb. pr. factum est perperam *videbitis:* erravitque Gruterus, dum haec ad Senatum, in quo Cicero loquebatur, censuit referenda: spectant enim ad Consules, ut ea, de quibus diximus ad c. 9. Denique *credo* exhibent Barb. ambo, Rom. Ven. Ald. et Hervag. et Gryph. cum Naug. P. Man. Car. Steph. Muret. repet. Lamb. et Grut. *cedo* male praebuerint, omnes ex Ferrario, si Naug. excipias. Aliis locis sollicitatum verbum *credo* defendit Wopkens. II. Lect. Tull. 2. p. 127. Tantum *quae* iam inde a P. Man. iure deletum fuit, Ferr. MSis, Vatic. et aliis auctoribus, quod Barb. uterque pessime retinet. Recentiores maluerunt Gruterum sequi, quam cum Faërno et Lambino recte sentire. GARATONIVS. Graevius habet: *videbitis, cedo illa legitima* C. P. I. R. *hoc enim* etc. Ern. Graev. lect. sequutus est, item Schütz., qui *cedo* tantum mutat in *credo.* At facio cum Garatonio, qui praeoptavit veram lectionem.

Credo illa legitima: quae Consules populum iure rogaverunt] Ita sine controversia corrigendum est: *Cedo illa legitima. Coss. populum iure rogaverunt* (*hoc enim a maioribus accepimus ius rogandi*) *populusque iure scivit.* Hoc autem principium erat legum latarum. id apparet apud Frontinum de aquae ductibus, cuiusdam legis verba subscribentem. *T.* (inquit) *Quintius Crispinus Cos. populum iure rogavit, populusque iure scivit.* Probus quoque has legum notas, P. I. R. P. Q. I. S. sic interpretatur, *Populum iure rogavit, populusque iure scivit.* Eodem accedit auctoritas antiquorum librorum, qui ad unum omnes sententiae nostrae suffragantur. FERRARIVS.

Isne qui exclusus est] Isne populus eam legem scivit, et suffragio suo comprobavit, qui septis et militum praesidiis sic exclusus est, ut non potuerit ad forum accedere. ABRAM.

quo iure? an eo, quod vi et armis omne sublatum est? Atque ego hoc dico de futuris; quod est amicorum, ante dicere ea, quae vitari possunt; quae si facta non erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis; de quibus est integrum vobis. De-

Quo iure? an eo, quod vi etc.] De oppositione vis et iuris vide Sextianam: *Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate, et illam immanem nihil tam interest quam ius atque vis.* Abram.

Atque ego hoc dico de futuris] Antiquus liber, *atque haec dico de futuris.* Faernus. *Atque ego hoc dico de futuris*] Videtur esse quaedam veluti concessio. Non est, Antoni, quod mihi irascaris: non enim reprehendo praeterita: non accuso te, quod hactenus auspicia et intercessiones neglexeris, quod leges, quae iam perlatae sunt, tuleris per vim, et foro militibus occupato. Haec, inquam, praeterita non reprehendo, ne tibi videar inimicus, si, quod factum est, et infectum esse nequit, obiecerim: sed loquor de futuris, ut obviam eatur: in quo non modo non sum tibi inimicus, sed etiam fungor amici officio, praedicens ea, quae vitari possunt. Loquor de legibus iam promulgatis quidem, sed nondum perlatis, de quibus est integrum vobis. Tu enim et Dolabella potestis populum iure rogare, si intercederetur aut obnuntiabitur, intercessionibus et auspiciis parere, nullam populo Romano vim adhibere. Demonstro, periculum esse, ne vitio ferantur eae leges, neglectis auspiciis et religionibus: vos tollite vitium, et tum auspiciis, tum intercessionibus parete: denuntio futurum, ut dispositis in foro militibus populo Romano vis inferatur: vos arma removete. Id si feceritis, refelletur oratio mea, dicoque in vanum timuisse, aut, cum non timerem, invidiose finxisse. Videsne e duabus lectionibus, *quod est amicorum*, et *quod est augurum*, posteriorem anteferre. Abram. Olivet. et Lallem. *Atque ego haec dico*, quod Barbadorium etiam olim video maluisse. Recte profecto: codices tamen omnes, *ego hoc*, praeter Vatic. qui *haec* habens omittit *ego*, cui Muretus obtemperavit. Garat.

Quod est augurum: ante dicere ea, quae vitari possunt] *Amicorum*, pro *augurum*, o. E. v. caetera eodem modo. Quid hic augures, aut amici, aut omnino omnia haec verba sibi velint, non dispicio: ut valde suspicer, vel dicam pro certo putem, totum hunc locum, quem supra scripsi, interpretationem esse eorum hominum, qui glossas sub omnibus verbis subscribunt. nam quod dixerat, *de futuris*, suggesserunt (credo) elegantes illi interpretes, *quod est*

monstro vitia; tollite! Denuntio vim, arma; removete!

amicorum ante dicere ea, quae vitari possunt. quae verba librariorum imperitia in omnes postea libros irrepserunt. FERRARIVS. *Quod est augurum, ante dicere ea quae vitari possunt*] In antiquo libro pro *possunt, possint* legitur: quod parvi refert. pro *augurum* vero, *amicorum;* quam veram lectionem putamus; hoc sensu, si ego vos de re iam facta accusarem, diceremque, aliquam vos legem per vim tulisse, forte possetis de me queri, quod non benivolo erga vos animo ea dicerem, quae iam infecta esse non possent. nunc vero haec dico de futuris: deque iis, quae vobis integrum est, vel facere vel non; in quo vos ut amicos tracto: amicorum enim est, de iis, ante admonere amicos, quae vitari ab eis possunt. in vestra ergo potestate est, haec vitando quae dixi, refellere orationem meam; et inanem ostendere metum, quem de vobis concepi; quod ita assequemini, non per arma nec vim, ut ego nunc praedico vos esse facturos. FAERNVS. Recte *amicorum* cum Ferrarii MSis et Vatic. etiam cod. Car. Stephani, et cum Grut. Graev. et Lamb. etiam Verb. et Lallem. Redierat Olivet. ad ceterorum editorum lectionem *Augurum*, quam Barb. ambo servant, et Barbadorius quoque improbaverat, nullum hic ei locum esse intelligens. Etiam Barb. uterque *possint*, quod unus ex meis editis Lamb. recepit. GARATON. Etiam Ern. et Schütz. habent lectionem illam.

Denuntio: vim, arma removete] Nos post *denuntio* tollendam distinctionem putamus, ut vox *vim* passive accipiatur, id est quae nobis illatum itur. ut par pari reddatur, demonstro vitia, denuntio vim. quod non ea ratione dictum volumus, quia vis non nisi per arma inferatur, sed quia per arma plerumque. FAERN. *Denuntio vim, arma: removete*] Ita a me est editum septem abhinc annos, in prima iam editione Ciceronis, itaque distinctum atque interpunctum. quod eo scripsi, quia, cum Petrus Victorius, in posterioribus libris Var. lectionum: qui nuper in Galliam perlati sunt, cap. XIII. lib. XXXII. ex hac sola tam levi observatione concinnasset: hoc ipsum, quod, qualecumque est, sive laude dignum est, sive secus, meum est: id tamen mihi ademtum alteri tribuit. Quod miratus sum. neque putaram, in P. Victorio tantam inesse, κακοήθειαν non dicam, non enim convenit huius nominis vis in virum optime moratum: εὐήθειαν multo minus: non quadrat hoc nomen in virum cordatissimum ac prudentissimum: ῥᾳδιουργίαν nihilo magis, qui sit homo diligentissimus et vigilantissimus: sed tamen non putaram, P. Victorium talem esse, ut et, quos laudare vellet, alienis laudibus

ornaret; et, quod praeclare factum confiteretur, suis auctoribus eriperet. Quid enim aliud fecit Petrus Victorius, cum huius loci interpunctionem in illa mea editione, quam a se visam negare non potest, plane exstantem: quam interpunctionem laudat, et vulgatae anteponit, ut debet: cuidam homini iniustissimo, qui alieni laboris fructum praecerpere conatus est, adscribit, quod non debet, cum mea editio aliquot annis ante editionem illam prodierit? Quid ergo? Illine hanc Petri Victorii laudatiunculam, praesertim falsam, invideo? Nihil minus. Sed Petri Victorii ἦθος considero: iniuriam mihi ab utroque factam queror: ab illo, quod opus alienum tractare et interpolare ausus sit, invito domino, nihil ipse novi afferens, praeter nugas, nullisque adiumentis instructus, nullis codicibus antiquis fretus, quibus videri alicui posset novum aliquod opus fecisse: de Victorio, quod rei, iudicio ipsius, laude et sermone dignae, meo, levis et nugatoriae: quae tamen mea, et domi meae nata, et a me profecta est, gratiam, quae mihi debetur, alteri adiudicat. Sed quid hoc leve queror: quod gravius est, taceo? Idem cap. xv. lib. xxxviii. dissentiens a me in eo, quod apud Aristotelem lib. vi. de moribus ad Nicom. locum illum in omnibus codicibus unius litterae adiectione corruptum, eius detractione sic emendarim, ὥστ' εἴη ἂν ἡ σοφία νοῦς καὶ ἐπιστήμη, καὶ ὥσπερ κεφαλὴ, ἔχουσα, ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων, etc. et lectionem vulgatam defendens, ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα, quae lectio ineptissima est, neque ullo modo ferri potest, nisi forte scientia aliqua est ἀκέφαλος, quod dictu ridiculum est: mea autem emendatio recta: volens enim ostendere Aristoteles, sapientiam esse scientiam rerum honoratissimarum, et scientiam omnibus aliis scientiis anteponendam, dicit, illam esse tamquam caput aliarum scientiarum, et capitis rationem ad alias scientias obtinere. quemadmodum igitur caput omnium partium corporis animati pars est praestantissima: ita sapientia omnium scientiarum est praestantissima et honoratissima. Haec Aristotelis sententia est. quod si diceret, ut vult Victorius, sapientiam esse scientiam caput habentem, sive potius, capite praeditam: quam ei laudem tribueret? aut qua eam re ceteris scientiis praestare diceret? si enim hoc significaret, sapientiam scientiam perfectam esse, alias vero imperfectas: quid esset, quod eam tantopere laudaret, si scientiis imperfectis praestaret? sin eam cum scientiis perfectis comparare vellet, et eam diceret caput habere: quo modo ostenderet, eam aliis esse praestantiorem, si aliae quoque perfectae sunt, id est, caput habent? Vides, lector, quam inepta atque absurda sit lectio vulgata, quem vir ille alioqui doctissimus tuetur. In eo igitur loco, ubi hanc scripturam tam ineptam defendit ille, meam autem emendationem oppugnat, ita

XI. Irasci vos quidem mihi, Dolabella, pro re publica dicenti, non oportebit. Quamquam te qui-

dormitavit, ita oscitatus est, ita denique aliud egit, ut scripserit, me sententiam meam Mureti auctoritate confirmasse, cum Mureti in ea disputatione nullam mentionem fecerim, sed Eustratium, auctorem, quod concedat ipse Muretus, aliquanto meliorem, (poteram etiam D. Thomam ei adiungere, quem quomodo praetericrim, nescio) meae sententiae adstipulatorem et confirmatorem produxerim. Tanta fuit hominis in iis libris conscribendis, ne quid gravius dicam, ὀλιγωρία καὶ ῥᾳθυμία. Lambinus.

Denuntio vim, arma: removete] De hac distinctione optimus virorum P. Victorius lib. xxxii. c. 23. in quem dum hic invehitur Lambinus Lycambeis armis, ostendit, quam sit animi pusilli, imo nullius. Grut.

Irasci quidem mihi, Dolabella] Sic Gad. *Irasci te quidem mihi, Dolabella.* Lang. et cum eo multi alii, *Irasci vos quidem.* quod magis placet, subiungit enim, *Quanquam quidem te id facturum non arbitror.* Ferrarius. *Irasci te quidem*] Hic locus in antiquo libro recte, ut puto, ita totus legitur: *Irasci quidem vos mihi, Dolabella, pro rep. dicenti non oportebat. quamquam te quidem id facturum non arbitror, novi facilitatem tuam.* Faernus. *Non oportebat* restituerunt ex Vaticano Faërnum secuti Muretus et Lambinus, quos et sequor. Vulgati *oportebit.* Graev. Secutus est cum Faërno, Mureto et Lamb. in omnibus his Vatican. codicem Cl. Lallem. et probo, quod etiam v. *enim* detraxerit, quamvis recte adsit: sed nollem *oportebat.* Incipit enim Tullius hac primum oratione de rep. dicere adversus Consules: et quae hic sequuntur, omnia de futuro dicuntur. Itaque restituendum censeo, *vos quidem* etc. *oportebit.* Sic plane cod. Car. Steph. ambo Barb. et plerique Ferrarii, sic Ven. Naug. Camer. Grut. Verb. et Oliv. et Gryph. Male Gad. P. Man. C. Steph. et repet. Lamb. *te* pro *vos*, idemque *te* superscriptum vidi in Barb. sec. ex alio certe codice. Neutrum est in Rom. et Ald. ut editum Ferrar. invenit. Immerito etiam Barbadorio placuit, *te quidem* etc. *oportebat.* Solus Vatic. *oportebat*, et ab eo solo abest *enim:* ex eodem solo infra Faërn. Mur. Lamb. Graev. Oliv. et Lallem. *iracundum audio esse factum*, cum in ceteris omnibus *esse* desit, quod ego verius omitti dicerem, nisi meliorem numerum reddere videretur. Nam quod in Graeviana omittatur *audio*, id culpa operarum factum emendavi. Garaton. Consentiunt cum Garatonio Ern. et Schütz. Iidem in textu omiserunt *esse* ante *factum.*

Quanquam quidem te] *Quanquam te quidem,* o. L. v. Ferrarius.

dem id facturum non arbitror. Novi enim facilitatem tuam. Collegam tuum aiunt in hac sua fortuna, quae bona ipsi videtur, — mihi, ne gravius quippiam dicam, avorum et avunculi sui consulatum si imitaretur, fortunatior videretur; — sed eum iracundum audio factum. Video autem, quam sit odiosum habere iratum eundem, et armatum, quum

Facilitatem] Hanc vocem Terentius libenter usurpat, ut Hecyra actu 5, scena 1:

Facilem benevolumque lingua tua iam tibi me reddidit.

Adelphis actu 5, scen. 4:

— *Re ipsa repperi,*
Facilitate nihil homini esse melius, neque clementia.

Vbi Donatus: *Inter facilitatem et clementiam hoc interest: facilis enim, cuius ira cito solvitur: clemens, qui non irascitur.* et alibi frequenter. Abram.

Collegam tuum] M. Antonium, collegam tuum in consulatu, aiunt iracundum esse factum, ex quo Consul factus est, vel potius ex quo post necem Caesaris successit in eius dominatum, et nactus est occasionem habendi circa se praesidium militare. Adverte vero ἀνακολουθίαν orationis: *Collegam tuum aiunt*, etc. *sed eum audio iracundum esse factum.* Idem.

Ne gravius quippiam dicam] Ne dicam, illum esse miserrimum, qui per scelus opprimit reipublicae libertatem, et satius esse in crucem agi, quam ad tyrannidem pervenire. Idem.

Avorum] M. Antonii Oratoris, qui Consul fuit cum A. Postumio Albino anno Vrbis 654. avi paterni. Quis autem maternus avus fuerit, quaerendum. Mater Antonii fuit e Caesarum familia. Caesares duo Consules fuerunt tempore belli Italici, Sext. Iulius Caesar cum L. Marcio Philippo, et L. Iulius Caesar cum P. Rutilio Lupo, Sextus anno Vrbis 662. Luc. anno proxime sequenti. Vt in re dubia, nec ullis, quod sciam, testata veterum monumentis, facilius crediderim, Luc. Caesarem avunculum et Iuliam, matrem Antonii, Lucii Iulii Caesaris liberos fuisse, quod plerumque liberi patrum suorum praenomina retinerent. Idem.

Avunculi] Lucii Caesaris, qui cum C. Marcio Figulo Consul fuit anno 689. id est proxime ante Ciceronem. Nullam C. Antonii, qui Antonii patruus fuit, facit mentionem, quia is ex consulatu damnatus est. Quae sequuntur pleraque sunt perspicua. Idem.

Iratum eundem et armatum] Hoc mihi revocat in memoriam dictum Favorini, de quo Spartianus in Hadriano: *Et Favorinus quidem, cum verbum eius quoddam ab Hadriano reprehensum esset, atque ille cessisset, arguentibus amicis, quod male cederet Hadriano de verbo, quod ido-

tentia praesertim gladiorum sit impunitas. Sed proponam ius, ut opinor, aequum: quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, si quid in vitam eius, aut in mores cum contumelia dixero, quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. Sin con-

nei auctores usurpassent, risum iucundissimum movit, ait enim: Non recte suadetis, familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones. Idem.

Sed promam ius, ut opinor, aequum] L. Gol. *proponam*. Lang. tamen pro impressis stat: atque uterque quidem cum suis tanquam adstipulatoribus atque advocatis. ego Colotianum magis probo: quod is mihi videatur ad consuetudinem loquendi propius accedere. Ferrarius. Barb. ambo *promam*, et ex meis editis Rom. Ven. et Ald. Ceteri omnes *proponam*. Gar.

Contumeliae dixero] Magna varietas in libris antiquis exstitit: nam partim cum impressis consentiunt, ut Sc. partim *contumeliose*, ut Gad. nonnulli *cum contumelia*, ut Col. et alii nonnulli. qui omnes habent omnino quod sequamur: nam et *dicere contumeliam* recte dicitur. Plaut. *Contumeliam si dices, audies.* et *contumeliose:* Cic. de offic. *Cum studiose de absentibus detrahendi causa aut per ridiculum, aut severe, aut maledice contumelioseque dicitur.* et *cum contumelia*, ut hic idem in 11 Phil. *Quid est dictum a me cum contumelia?* Ego tamen hoc extremum sequor. Ferrar. *Contumeliae*] Ὕβρις. Quid sit autem ὑβρίζειν, definit Aristotelès lib. 2 Rhetor. cap. 2: Ἔςι γὰρ ὕβρις τὸ πράττειν καὶ λέγειν, ἐφ᾽ οἷς αἰσχύνη ἐςὶ τῷ πάσχοντι, μὴ ἵνα τι γένηται αὐτῷ τῷ δρῶντι, ἀλλ᾽ ὅπως ἡσθῇ. οἱ γὰρ ἀντιποιοῦντες οὐχ ὑβρίζουσιν, ἀλλὰ τιμωροῦνται. *Est enim contumelia facere et ea dicere, quae pudorem afferunt patienti, non ut qui contumeliam facit aliquid consequatur, sed ut percipiat voluptatem. Etenim referentes non faciunt contumeliam, sed ulciscuntur.* Vides δρᾷν et ἀντιποιεῖν in contumelia: quem loquendi modum usurparat Antonius, ut eius verba 3 Philipp. referuntur: *Nulla est contumelia, quam facit dignus, nec timor, quem denuntiat inimicus.* Quod etsi reprehenditur a Tullio: *Quid est porro facere contumeliam? quis sic loquitur?* habet tamen magnos auctores, ut Plautum Asinaria actu 2, scen. 4:

Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?

Terentius Eunucho actu 5, scen. 2:

— Non te dignum, Chaerea,
Fecisti. Nam si ego digna hac contumelia
Sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen. Abram.

Sequitur etiam Ferrarius, Faërnus, Muretus, Lambinus, et meus bonus codex. Alii *contumelia*, alii *contumeliae.* Cum absorpsit

suetudinem meam, quam in rep. semper habui, tenuero, id est, si libere, quae sentiam, de re publica dixero: primum deprecor, ne irascatur; deinde, si hoc non impetro, peto, ut sic irascatur, ut civi. Armis utatur, si ita necesse est, ut dicit,

sequens *con*. Inde natum *contumeliose*. GRAEVIUS. *Cum contumelia*] Vulgo, *contumeliose*. Correxit Graevius, et firmant codices Regii. LALLEM. Barb. uterque, Rom. Ven. et Ald. *contumeliae*. Naug. Cam. repet. Lamb. Grut. Verb. et Olivet. *contumeliose*. Sed etiam Lamb. codices, P. Manutii et Car. Stephani editiones Graevio adstipulantur: item Vatic. et editio Mureti. GAR. Eandem lectionem servarunt Ern. et Schütz. Guelf. Tegg. et φ. eam exhibent. Erlang. autem et ψ. *contumeliae*.

Quam semper in rep. habui] *Quam in rep. semper habui*, e. t. v. et verborum constructio lenior. FERRAR.

Quam in rep. semper habui] Haec verba absunt ab antiquo libro, nec sane necessaria sunt, sufficit enim dicere, *sin consuetudinem meam tenuero*. FAERNUS. Adstipulor Faërno et Lambino, qui auctoritate vetustissimi codicis has voces deleverunt, quae redolent inepti hominis explicationem margini adscriptam, quae in contextum irrepsit. Non leguntur etiam in aliis duobus codicibus, teste Lambino. GRAEVIUS. Ego vero ista verba, quae Faërnus a Vaticano abesse testatur, in eo codice inter lineas addita eadem manu conspexi. Cur autem repudiantur? Latina enim sunt, nec Tullio indigna. Additionis vero huiusmodi causa qui constat? quod si omnia, quae necessaria non sunt, expungere volumus, laboris multi merces ludibrium erit. Quamvis ergo ea Barbadorius quoque tollenda censuerit, recte a Mureto retenta, et a recentioribus revocata fuisse arbitror, omnibus libris volentibus. A Vat. est *sin*: omnes alii *si*. GARATON. Ern. servat verba ista, quamvis non deprehendantur in Vat. quod aequalitas sermonis propter sequentia: *quae sentiam de rep.* tollatur. At Garat. docet, esse in Vat. quanquam superscriptum, quibus tamen scriptionibus alius manus, non minus veteris, magna fides est; aequalitatem sermonis nullam usquam deprehendo, Garatonio lubens adsentior.

Deinde si hoc non impetro] Si non impetro ab Antonio, ut mihi pro republica libere quae sentiam dicenti non irascatur, peto, ut iis armis non utatur ad me interficiendum, quae ad sui corporis custodiam accepisse se dicit. ABRAM.

Peto, ut sic irascatur, ut quibus armis utatur] Nonnulli libri, inter quos et hic antiquissimus, pro *ut quibus* habent *ut civi*, quae et vera est lectio: ita

sui defendendi causa: iis, qui pro re publica, quae ipsis visa erunt, dixerint, ista arma ne noceant. Quid hac postulatione dici potest aequius? Quod si, ut a quibusdam mihi eius familiaribus dictum est, omnis eum, quae habetur contra voluntatem eius, oratio gra-

ut post civi distinguatur. FABRICIVS.

Vt sic irascatur, ut civi] Si omnes etiam minimas mutationes minutatim persequi, et in earum ratione reddenda immorari velim, liber conscribendus fuerit iis ipsis, quas emendavi, orationibus maior. mihi autem cum per se molestum est ea scribere, quae lectorem neque magnopere doceant, neque ulla voluptate permulceant: tum, ut in tribuendis beneficiis, ita in his quoque rebus videtur diligens illa et accurata subductio angusti et exilis animi esse. Odiosus sit etiam amicus, qui amico neque dare nisi ad calculum, et quicquid dederit, referre in libros rationum velit. Insigniores igitur modo locos notare animus est: qualem hunc esse ita confidimus, ut neminem nos iniquum industriae nostrae iudicem eluraturos profiteamur. MVRETVS. Huius lectionis veritas Gruteri adsensum extorsit, qui contra morem unum Lambinum hic est secutus sine admonitione. Sed *civi* est etiam in Colon. apud Graev. in V. L. et in Barb. pr. Ex ea voce Barb. sec. fecit *civitas*, Rom. et Car. Steph. *qui*, facillimo errore, unde vulgatum *quibus*. GARATON.

Sui defendendi caussa] Hoc praetextu praesidium a Senatu impetravit, ut secunda Philipp. dicemus ad illa, *arma ipse ceperis*. Sic Pisistratus tyrannidem occupaturus, τρωματίσας ἑωυτὸν, *cum se vulnerasset*, inquit Herodotus lib. 1, ἐδέετο τοῦ δήμου φυλακῆς τινος πρὸς αὐτοῦ κυρῆσαι. *Populum rogabat, ut aliquod praesidium obtineret.* Et stipatores, quos impetraverat, συνεπαναστάντες ἅμα Πεισιστράτῳ ἔσχον τὴν ἀκρόπολιν. *Simul insurgentes cum Pisistrato arcem occuparunt.* Sic et Dionysius, ut scribit Polyaenus lib. 5. Strateg., ὡς ἐπιβουλευόμενος, *tanquam insidiis appetitus*, φυλακὴν τοῦ σώματος αἰτήσας, καὶ παρὰ τοῦ δήμου λαβὼν, τύραννος ἐγένετο Συρακουσίων μέγιστος. *Praesidium corporis a populo petiit: quod cum impetrasset, tyrannus Syracusanorum maximus evasit.* ABRAM.

Postulatione] Commode. Donatus in Andriam: *Petimus precario, poscimus imperiose, postulamus iure.* Agroetius: *Postulatur aliquid honeste, poscitur improbe.* ID.

Vt a quibusdam mihi] *Vt mihi a quibusdam*, o. l. v. quod quidem magis implet aures meas. FERRARIVS. Ego improbavit ordinem a Ferrario constitutum, quod Cic. inter adiectiva et subst. aliquid numeri caussa inserere soleat. Schützius cum sequutus est, Teeg. Erlang. *ut mihi a quibusd.*

viter offendit, etiamsi nulla inest contumelia: feremus amici naturam. Sed iidem illi ita mecum: Non idem tibi, adversario Caesaris, licebit, quod Pisoni socero: et simul admonent quiddam, quod cavebimus; nec erit iustior, Patres conscripti, in senatum non veniendi morbi causa, quam mortis.

XII. Sed per deos immortales! te enim intuens,

Sed iidem illi ita mecum] *Idem illi*, l. o. v. ut in substructione aquae Martiae ductus, P. CORNELIVS. P. F. DOLABELLA. C. IVNIVS. C. F. SILANVS. FLAMEN. MARTIAL. COSS. EX. S. C. FACIENDVM. CVRAVERVNT. IDEMQVE. PROBAVERVNT. IDEM. *Ita mecum*] Post haec verba in antiquo libro sequitur vox, *loquuntur*, sine qua tamen optime hic locus. FAERNVS. *Sed iidem illi ita mecum*] Vetus liber, *ita mecum locuntur*. Sed verbum id ab alio potius quopiam suppositum, quam a Cicerone positum crediderim. MVRETVS. *Sed iidem illi ita mecum*] Familiares Antonii ita mecum loquuntur. Non est quod tibi persuadeas, M. Tulli, te impune laturum, si libere animi tui sensus exprompseris, conquestusque fueris de republica, ex eo, quod L. Piso Kalendis Sextilibus impune de Antonio conquestus est: non enim tibi (qui bello civili secutus es Pompeium contra Caesarem) idem licebit, quod Pisoni, qui Caesaris socer fuit. Sic, inquam, mecum loquuntur Antonii familiares, simulque admonent, ut caveam, ne, si liberius locutus fuero, mihi nex inferatur. Quod cavebimus, et, si propter morbum licet abesse a Senatu, non minus ob mortis periculum domi me continebo. ABRAM. Quamquam Cicero verbum hoc addit alibi, ut I. in Catil. 11. etc. idemque alii auctores optimi faciunt: tamen optimi libri naevum hic malo cum viris doctis agnoscere. Sic autem in eo scribitur: *sed idem illi ita mecum locuntur*. Mox ab eodem libro abest vocativus, *Patres Conscripti*, ut supra c. 6. omissusque a Mureto fuit. GARATON.

Morbi causa, quam mortis] Lang. *morbus*. quod si non contemnimus, *mors* pro *mortis* erit reponendum. Eodem quidem modo loquitur ille, qui scribit ad Heren. *Cui morbus causa est, cognitorem det*. Et Liv. lib. XXXIV. *Quibus aut emerita stipendia, aut morbus causae essent*. et lib. XXIV. *Nisi quibus morbus causa erit*. Et paulo infra, *Quibus neque vacatio iusta militiae, neque morbus causa fuisset*. Iudicium tamen aurium funditus repudiat ac respuit: cui standum censeo. FERRARIVS.

Sed per deos immortales] Exclamatio ex intimo animi dolore erumpens. Res autem a Consulibus contra rempublicam gestas

Dolabella, qui es mihi carissimus, non possum de utriusque vestrum errore reticere. Credo enim vos, homines nobiles, magna quaedam spectantes,

errori tribuit, ut eas excuset, qui cum magna quaedam spectarent, ut erant nobiles et generosi, gloriamque expeterent, per praecipitia et abrupta potius, quam virtutis recto tramite pervenire voluerunt. Abram.

Qui es mihi carissimus] Haec verba non sunt in contextu antiqui libri. Sed deinde alia manu addita. Faernus. Imo vero eadem, ut illa superiora, *quam in rep. semper habui*. Cur non haec quoque Faernus eiecit? Sed haec Librarii omissio a semetipso sarcita idem supra contigisse confirmat. Scribit autem Vat. *immortalis* paullo ante, et infra *spectantis*. Gar.

Credo enim vos nobiles homines] Quidam homo eruditus, in libro quem inscripsit Lexicon Iuris Civilis, affirmavit, nobilem a veteribus vocatum esse neminem, nisi plebeiam: in quo valde fallitur. Nullo enim discrimine et patricii et plebeii, quorum patres, avi, maiores clari atque honorati fuissent, nobiles vocabantur. Nam locus Asconii, ex quo id aperte colligi dicit, nullo plane modo ipsius sententiam adiuvat. Sed ne quis scrupulus relinquatur, proferam locos aliquot, qui manifesto doceant, nobiles etiam patricios dici. primum igitur, ne longius abeam, videmus hic P. Cornelium Dolabellam nobilem vocari. In Miloniana ita de Clodio scriptum est: *Homo enim nobilis in suis monumentis equitem Rom. occiderat.* ac ne quis cavilletur eum adoptione plebeium factum: Clodia certe, ipsius soror, ad plebem non transierat: quae in M. Caelii defensione nobilis appellatur. totum locum describam, ut emendetur: nam in vulgatis libris depravatus est: *Vicinum adolescentulum aspexisti, candor huius te, et proceritas, vultus, oculique perculerunt. saepius videre voluisti: non numquam in iisdem hortis; vis, o nobilis mulier, illum filiumfamilias, patre parco ac tenaci, habere tuis copiis devinctum? non potes.* et in eadem oratione: *Res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili, sed etiam nota.* Sic in epistola ad Ap. Claudium: *Liberalitas tua, ut hominis nobilissimi, latius in provincia patuit.* et ad Lentulum: *In te enim, homine omnium nobilissimo, similia invidorum vitia perspexi.* Et Sallustius in Iugurtha: *Sulla patriciae gentis nobilis fuit.* Ad haec argumenta si responderit is, qui patricios a nobilium numero excludere voluit, cedam. Muretus.

Homines nobiles] *Nobiles homines*, o. l. v. Ferrarius. Hunc ordinem soli ex meis editis Muret. Lamb. et Graev. adoptarunt, Barb. etiam utroque repugnante. Et sane pro Quinct. 8. *quemad-*

non pecuniam, ut quidam nimis creduli suspicantur, quae semper ab amplissimo quoque clarissimoque contempta est, non opes violentas, et populo Romano minime ferendam potentiam, sed caritatem civium, et gloriam concupisse. Ea est autem gloria, laus recte factorum,

modum solent homines nobiles. Sed nihil interest. Gar.

Non pecuniam] Non absimilis locus Sallustii bello Catilinario: *Sed primo magis ambitio, quam avaritia animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus, ignavus, aeque sibi exoptant: sed ille vera via nititur: hic, quia bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit. Ea quasi venenis malis impura, corpus animumque virilem effoeminat: semper infinita, insatiabilis est, neque copia, neque inopia minuitur.* Abram.

Non opes violentas] Non tyrannidem, ut fecit Caesar. Abram.

Ea autem est gloria, et laus] *Ea* a nonnullis v. l. abest. quam probem, hinc poteris existimare, quod id coniectura sustuleram. Ferrar. *Ea autem est gloria*] Antiquus liber, *est autem gloria.* Faern. *Gloria*] Vide dicta pro Marcello: *Gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum, vel in suos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.* Abram. Pronomen *ea* nemo ante Lamb. sustulit, ne Muretus quidem; et merito. Non modo id in utroque Barb. exstat, qui vulgatam veterem a Ferrario relatam praebent, verum etiam in Vaticano ita reperi: *Ea est autem gloria, laus* etc. quod restituo. Est ibi quidem conscriptum *ea* litteris exilioribus ad initium versiculi, sed eodem plane, quo omnia, atramento, et manu: nec vero id se deletum velle indicat ipse Faernus. Vocem *autem* retraxerant, qui tertio loco poni nolebant, quod refutavimus ad c. 2. pro Coel. Sic pronomen adhibetur a Plauto Trin. III. 2. 71. et alibi ab ipso Tullio, sive pleonasmum dicas, cuius trita est observatio, sive appositionem, sive demonstrationem. E converso Sallustius Catil. XXXVII. 4. *Sed urbana plebes, ea vero praeceps ierat multis de causis.* Cortium ibi consule. Nec facere possum, quin ad eam rationem revocandum moneam varietatibus et glossis insignem locum in Lael. 19. quem ex optimo codice Pithoeano ita constituo: *maxima est enim vis vetustatis et consuetudinis. Quin ipso equo, cuius modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo.* Hunc ἰδιωτισμὸν et per se nitidum atque urbanum, et ab analogia firmum atque rectum non per-

magnorumque in rem publicam fama meritorum, quae quum optimi cuiusque, tam etiam multitudinis testimonio comprobatur. Dicerem, Dolabella, qui recte factorum fructus esset, nisi te praeter ceteros paullisper esse expertum viderem. Quem potes recordari in vita illuxisse tibi diem laetiorem, quam quum,

speait Graevius, qui ex antiquissima illa lectione ab se probata emendabat, *quin in ipso equo*. Editur magno consensu, *atqui in ipso equo*, Rogerio et Langio tacentibus, ut etiam in cod. Barb. n. 2607. In sex Manusc. quatuor Palat. et Barb. n. 1412. *ut inipso equo*: in alio Barb. n. 861. *quod pates in ipso equo*. Quartus vero Barb. n. 1413. *quomodo in ipso equo*, et, *Nemo enim est*. Emendatorum tentamina, eorumque causa, ipsa denique Tullii manus manifesto se prodit, ut fert mea quidem opinio. Garatonivs. Ern. et Schütz. *Est autem gloria*; at accurate defendit Garat. Vat. lectionem: *ea autem est gloria*. Teeg. et Erlang. sequuntur Vat.

Magnorumque in remp. meritorum] Ita quidem habet et antiquus liber; sed lectio, quae est in quodam meo sane vetusto, una voce locupletior, pleniorem et sonantiorem numerum efficit, *fama meritorum*. Faernvs. Sequitur hunc codicem Lambinus et Manutius, et merito. Graev. Firmat vocem *fama* in illo uno Faërni cod. inventam similis locus pro Marc. 8. quem attulit modo Abramius: item II. de Invent. 55. *gloria est frequens de aliquo fama cum laude*: et III. Tuscul. 2. *est enim gloria*... *consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene indicantium de excellenti virtute*. Incorruptae illi voci fama subest. Accedit locus pro Sext. 66. *qui autem bonam famam bonorum, quae sola vere gloria nominari potest, expetunt*, etc. Accedit denique imitatio Boethii II. Consol. pr. 7. *optimorum in rempublicam fama meritorum*. Isidorus II. Orig. 30. citat ex h. l. *gloria est laus recte factorum*, quod iam notavit Schottus I. Nod. Cic. 14. Garaton.

Expertum videremus] *Viderem*, o. l. v. Ferrarivs. *Nisi te paulisper esse expertum viderem*] Interpone ex antiquo libro duas has voces, *praeter ceteros*, in hunc modum, *nisi te praeter ceteros paulisper esse expertum viderem*. Faernvs. *Nisi te paulisper esse expertum viderem*] Lambinus et Manutius alia interponunt; sed ita nulli mss. nostri, ita nulli vetustius impressi. Grvt. Si Gruterus vidisset animadversiones Faërni, non haec effudisset. Cognosset enim, *praeter ceteros* inveniri in Vaticano codice, qui antiquitate et bonitate ceteros omnes superat, in quibus hae orationes leguntur, quem merito Faernus et Lambinus sunt secuti. Graevivs.

expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris poena affectis, urbe incendii et caedis metu liberata, te domum recepisti? Cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunae studia tum

Viderem iam inde a Naug. recipitur; quae lectio vincit numero et pondere suffragiorum. Rectum tamen erat, *videremus*, ut est in Romana, Ven. Ald. et utroque Barb. In horum secundo Politianus emendavit, *nisi te paullo ante expertum esse videremus.* Omiserant *praeter ceteros* post Graev. denuo Verb. et Olivet. revocavit Lallem. et a solo Vatic. est, ipso contemnente Mureto. Mox autem Vatic. *inluxisse tibi*, ut Muret. et cum nota MSorum Lambinus, nuper etiam Olivet. ac Lallem. quem ordinem ego quoque praefero. GARATON. Ern. et Schütz. omiserunt ante verba: *esse expertum*, vocem *paullisper*, quod in Vat. desideretur, et Muret. Manut. denique Graevius eam omiserint, quum tamen et sit in Vat. teste Faerno; et reliqui editores, ipse Graevius eam vocem servaverint. Tegg. et Erlang. omittunt *paullisper.*

Expiato foro] Eversione illius execratae columnae, quam infima multitudo in busto Caesaris excitarat, et *dissipato concursu* illorum *impiorum*, qui divinos honores mortuo tribuebant, *principibus* et auctoribus illius *sceleris* sive factionis ea *poena affectis*, ut liberi deiicerentur de saxo Tarpeio, servi vero in crucem agerentur, domum rediisti. Vide Pisonianam: *A me quidem etiam poenas expetistis, quibus coniuratorum manes mortuorum expiaretis.* et: *Tua scelera dii immortales in nostros milites expiaverunt.* ABRAM.

Principibus sceleris poena affectis] Post haec verba in margine antiqui libri, eadem manu, vel certe paulo minus vetusta, sunt additae hae voces; *urbe incendio et caedis metu liberata.* hoc autem historiae consonat: eaque, et quod ipsemet Cicero ait ad Atticum libro XIV, *servique, et egentes in tecta nostra cum facibus immissi*, et quod Hirtius ad Ciceronem libro XV. earumdem epistolarum: *noli sinere haec omnia perire, quae funditus medius fidius rapinis, incendiis, caedibus pervertuntur.* FAERNUS. *Urbe incendio et caedis metu liberata*] Haec omnia verba in omnibus libris, qui ante hos editi sunt, desiderabantur. MURETUS. *Urbe incendio et caedis metu liberata*] Ex libro antiquissimo Vaticano Faernus haec verba, quae in vulgatis deerant, restituit; in quibus tamen *incendii* pro *incendio* videtur legendum. F. URSINUS. *Poena adfectis, te domum*] Iidem intertextum habent, *adf. urbe incendio et caedis metu liberata; te domum.* praeter vett. nostros et olim editos. GRUTERUS. Vides et hic Gruterum ignorantia lectionis Vaticani

laudi, et gratulationi tuae se non obtulerunt? Quin mihi etiam, quo auctore te in iis rebus uti arbitrabantur, et gratias boni viri agebant, et tuo nomine gratulabantur. Recordare, quaeso, Dolabella, consensum illum theatri, quum omnes

libri impegisse, ut crebro in his Philippicis orationibus. Illum autem iure Faërnus, Manutius, Muretus, Lambinus expresserunt. GRAEVIVS. Gruterus ignorare non poterat, Lambinum ex Vaticano multa recepisse. Vnde autem potius tot verba receperit, quae requirerentur a nemine? Atque adeo haec notat habere omnes veteres codices, h. e. Vaticano suos accedere. Neque omnino lectionibus Vaticani MSorum testimonium adiungit ullum, nisi ubi a suorum aliquo confirmantur, quod non saepe contigit. In Vatic. autem additionem hanc optimam non eadem fecit, quae codicem conscripsit, manus, sed alia prorsus, atque recentior. Quod imprimis est observandum. Hanc iterum a Verburgio contemtam Oliv. et Lallem. reduxerunt. GAR. Ern. verba ista omisit, quasi a librario addita sint, sed valde vereor, ne talia non a librario addantur; pertinent ea adeo ad rem. Schützius ea recepit. Erl. Teeg. φ. et ψ. omittunt verba.

Gratulationi tuae se non obtulerunt] Liliensis amplius, *tuae defuerunt, et se non obtul.* non male, nisi invenissem in Pal. prim. *gratulationi tuae se non aptarunt.* quod mihi genuinum magis videtur; ut cetera scilicet fuerint ab interprete. GRVTERVS. Non fero mehercule, *se non aptarunt,* quamvis id in Barb. quoque ambobus invenerim. Gronovii cod. *se non apterunt;* quod subindicat, ex veteri scriptura *optulerunt* varietatem hanc profluxisse. Cod. Vatic. edd. Rom. ac Ven. *se non lerunt.* Optime pro tribus illis vocibus una consisteret, *defuerunt,* nisi vis maior in vulgata esset, ut tribui vix possit interpreti. Nihil omnino hac firmius aut melius: miror, qui mutarit, exstitisse. GAR. Erlang. *aptarent.* φ. *aptarunt.* ψ. *aptarent.*

Quin mihi etiam] L. v. partim, *Quin etiam mihi:* partim, *Cum etiam mihi.* FERRARIVS. *Quin mihi*] Extat epistola Ciceronis ad Dolabellam lib. 14. ad Atticum, ubi haec verba: *Neminem convenі, etc. quin omnes cum te summis laudibus ad coelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant. Negant enim se dubitare, quin tu meis praeceptis et consiliis obtemperans praestantissimum te civem et singularem consulem praebeas,* etc. vide plura in hanc sententiam. ABRAM.

Consensum illum theatri] Nonnulli veteres L. *consessum:* quod ego tamen reiicio. nam theatri consensum dixit spectatorum consensionem, qui universi Dolabellae plauserant, atque una voce significaverant, se factum eius comprobavisse. Eiusmodi est il-

earum rerum obliti, propter quas fuerant tibi offensi,"

lud in IV Phil. *Quod vos quoque illum hostem tanto consensu, tantoque clamore approbavistis.* Et pro Sext. *Quae concio fuit per hos annos, quae quidem non esset conducta, sed vera, in qua populi Romani consensus perspici posset.* Et in II lib. epist. ad Attic. *Totius theatri clamore dixit.* Ferrar. *Consensum illum theatri*] Recordare, quanto consensu spectatores, qui ad theatrum convenerant, tibi venienti applauserint, suumque erga te amorem declararint. Abram.

Earum rerum obliti] De his rebus fuse Dio libro 42. Summa delibo. Dolabella cum graviter obaeratus esset, exemplo P. Clodii transivit ad plebeios, factusque Tribunus plebis statuit novas tabulas proponere, ut hoc pacto seipsum quoque nominibus expediret. Obsistebat eius conatibus Luc. Trebellius Tribunus plebis; hinc seditio gravis exorta: *Hinc tumultus ingens existebat, armaque omnibus locis frequentia conspiciebantur.* Gliscente discordia, Antonius magister equitum post pugnam Pharsalicam in Italiam remissus, contra utrumque conflavit tertiam factionem. Paulo post tamen adiunxit se Dolabellae, deinde ab eo descivit, et clam fovit Trebellium: *Illi vero pugnabant, ac loca Vrbis opportunissima alter alterius profligandi caussa occupabant. Inde caedibus ac incendiis eo modo grassatum est, ut sacra aliquando a Vestalibus efferrentur.* Quibus incommodis permotus Senatus iterum Antonio custodiam Vrbis, idque accuratius quam ante, mandavit. Cum iam tota fere Vrbs militibus esset referta, non tamen hi motus conciderunt: *Dolabella enim desperatione veniae a Caesare impetrandae adductus id iam agebat, ut magno quodam facinore exhibito periret, ex quo sempiternam nominis sui memoriam relinqueret. quippe reperti sunt nonnulli, qui famae cupiditate pessimas res agere animum inducerent.* Quid plura? cum legem de novis tabulis ferre obstinatius perienderet, Antonius *Tabulas legum discidit, nonnullosque ne sic quidem tumultuandi finem facientes de Capitolio praecipitavit. Neque tamen ita seditionibus modus factus est: sed quo plures ex seditiosis peribant, tanto plura reliqui miscebant.* Haec dum in Vrbe gererentur, ex improviso Caesar accessit, seditionem sedavit, praeteritis ignovit, ipsum Dolabellam non solum in familiaritatem recepit, sed etiam postea profecturus ad bellum Parthicum, Consulem suo loco destinavit. Atque haec illa sunt, ob quae optimus quisque graviter offensus fuerat Dolabellae. Omnes tamen earum rerum obliti, significaverunt se novo beneficio, id est arae eversione et expiatione fori, memoriam veteris doloris abiecisse. Abram.

Propter quas tibi fuerant] Hic totus locus in antiquo libro

significarent, beneficio novo memoriam veteris doloris abiecisse. Hanc tu, Dolabella, (magno loquor cum dolore,) hanc tu, inquam, animo aequo potuisti tantam dignitatem deponere?

ita legitur: *propter quas fuerunt tibi offensi, significarent, beneficio novo memoriam veteris doloris abiecisse.* ego pro *abiecisse* legendum puto *obiisse*: non tamen muto. FAERNUS. *Tibi fuerant offensi*] Ita mss. nostri quattuor et vetus editio. postea vulgati *infensi*. GRUT.

Significant] Ita in Graeviana editum fuit perabsurde, certissimo typorum errore. Nos reponendum duximus *significarunt*, quia ex V. L. manifestum est, ita Graevium edere voluisse. In meis omnibus *significaverunt*, quod perinde est: sed illud paullo melius. Nemo, quod sciam, codici Vatic. paruit exhibenti; *significarent*; idque si non probatur, ut Barbadorius olim probabat, lectionem Graevianam mirifice confirmabit: cui postea vidi praeivisse Muretum: is enim unus dederat *significarunt*. Sed alia sunt, quae praefero ex optimo codice. Primum ordinem illum, *fuerant tibi offensi*, quem in utroque Barb. etiam inveni. Naug. Cam. Gryph. et Lamb. *infensi*, et in sec. Barb. manus posterior: pauci nimirum, et certe hic non audiendi. Deinde pronomen *se* delendum censeo, cuius omissionem vix ferebat ipse Faernus! nos eam saepe commendavimus, praecipue ad c. 24. pro Mil. In sequentibus ordinem ipsum Vaticani reperi in Hervag. et Gryph. sed vulgatum non muto, quem Barbador. etiam praeferebat. Barb. ambo, Rom. Ven. Ald. et Naugeri. eum habent, quem cum Ferratio Manutius sustulit. GARATON. Ern. et Schütz. habent: *significaverunt, se novo beneficio* etc. Scribendum est: *significarent*, atque omittendum *se*.

Beneficio novo memoriam doloris veteris abiecisse] *Novo beneficio memoriam veteris doloris abiecisse*, in l. scripti. et numerus plenior. FERRARIUS.

Hanc tu potuisti, Dolabella] Pro *potuisti* notam praenominis Dolabellae, *P.* scilicet, o. l. scripti. etiam in his, quae sequuntur, immutant ordinem, hoc modo, *Hanc tu inquam potuisti aequo animo*. c. IDEM. Sic in suis quoque codd. et editionibus Faernus, Muretus, Lambinus, Manutius, quos non debebant negligere recentiores editiones. GRAEV. Non erat absurdum, *Hanc tu potuisti, Dolabella*, tribus positus verbis, quae mox repetuntur. Sed infirma lectio erat, quae ab Aldo seniore initium ducit, et libris plurimis atque melioribus concedat, oportet, quibuscum Barb. ambo et edd. Rom. ac Ven. veteres habent, *Hanc tu, P. Dolabella*. Eadem ratio est Gruterianae lectionis, quam Verb. sequitur, *Hanc tu, Dolabella;* imo nescio, quibus

XIII. Tu autem, M. Antoni, (absentem appello) unum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, non omnibus iis mensibus, quibus te quidam, multum a me dissentientes, beatum putant, anteponis? quae fuit oratio de concordia? quanto metu, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est?

in libris ita esset, quamvis Dolabella saepe in h. orat. sine praenomine appelletur. Etiam Car. Steph. cum B. Man. Graev. etc. consentit. Lamb. infra, *hanc, inquam*, non repetito *tu*, atque ita etiam Berb. primus: quod non probo, cum repeti utrumque, quod praecessit, melius videatur. Garaton.

Te autem, M. Antoni, absentem appello] Duabus hic vocibus variat antiquus liber ab omnibus aliis et scriptis et impressis, nam et pro *te* habet *tu*, quemadmodum nos legendum conieceramus, et illis verbis, *absentem appello*, interponit dictionem *enim*. ut sit, *Tu autem, M. Antoni, absentem enim appello*. Faern. *Tu autem, M. Antoni etc.*] Hactenus allocutus sum Dolabellam praesentem: nunc ad *te*, M. Antoni, quamvis ad Senatum non venisti, converto orationem meam. Abram. Procul dubio lectio codicis Vaticani ceteris omnibus est anteferenda. *Tu anteponis* est *tune anteponis*. Exigent haec, si *Te* legas et omittas *enim* cum vulgatis. *Tu*, ut in praecedentibus verbis: *Hanc tu, P. Dolabella*. Graevius.

Vnum illum diem] Tertio post necem C. Caesaris die Consul Antonius Senatum in aedem Telluris convocavit, ibique, praeclare consuluit concordiae civium. Abram.

Omnibus iis mensibus] Aprili, Maio, Iunio, Quintili, Sextili, quibus tu mensibus impune lacerasti remp. Idem.

Quanto metu veterani] qui metuebant, ne iterum abriperentur in nova bella civilia. Idem. Nihil ad hunc locum veteranorum metus, si quis unquam fuit. Nam illi optabant potius bellum, et desiderabant vindictam caedis Caesaris. Itaque Manutius censet hanc vocem delendam. In Francii et meo MS. est, *quanto metu veteri, quanta sollicitudine civitas*. In Amsterd. *metu vetere*. Sed non antepono vulgatae hanc scripturam. Nam cur vetus dicatur, quo correpti tenebantur Romani post tyrannicidium, non video. Forte *quanto metu ceteri*, scilicet qui non erant cives Romani, sed socii et foederati. Aut, si retinendum *veterani*, subaudiendum *militis*, pro quanto metu veteranorum, qui caedem civium et direptionem Vrbis propter Caesaris necem credebantur moliri, est liberata civitas. *Veteranus* pro *veterani*, ut eques, pedes, miles, saepe pro equestribus, pedestribus, copiis, militibus. at

Tuum collegam, depositis inimicitiis, oblitus auspicia a te ipso augure nuntiata, illo primum die collegam

est hoc durius. Cogitent de his acutiores. GRAEVIUS. Etiam uterque Barb. veteri; sed recte in eorum secundo emendatum est veterani, ut habent Msi meliores et omnes editi. Distinguenda sunt tempora. Post Kal. Iunias id contigit, quod narratur c. 2. Veterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentissime caverat, non ad conservationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem novarum praedarum incitabantur. Tunc veterani ad remp. evertendam sollicitari coepti sunt maxime. Sed ex eo loco, quid antea eorum causa factum fuerit, intelligitur. Senatus omni cautione bona et praemia muniverat, quae veterani erant consecuti. Haec ne amitterent, cum Caesaris nece conversus orbis reip. videretur, tunc metuebant; eoque metu per Antonium Cos. a Senatu liberati sunt. Horum autem ipsorum metus civitatem sollicitam efficiebat, ne quid novi molirentur, seseque cum perditis hominibus, qui turbas non mediocres dabant, irati armatique coniungerent. Id Senatus decrevit in aede Telluris paullo post Idus Martias, cum acta etiam Caesaris omnia confirmata sunt, eodem die, qui c. 1. et XVI. ad Att. 14. et hic, tamquam insignis, commemoratur, etiam denique II. Phil. 35. ubi tertius ab idibus Martiis fuisse dicitur, in quem Liberalia incidebant. Iam XIV. ad Att. 14. haec leguntur. *Nam Liberalibus quis potuit in Senatum non venire? fac id potuisse aliquo modo: num etiam, cum venissemus, libere potuimus sententiam dicere? nonne omni ratione veterani, qui armati aderant, cum praesidii nos nihil haberemus, defendendi fuerunt?* Quamvis igitur sic se res habuit: tamen, quia veterani potentissimi erant, et in plura dispertiti genera, ut ex XI. Phil. 14. et 15. cognoscimus, inter quos quieti plurimi, et mentis erant egregiae; tum quia causa ista est de Antonio, et non inimica oratio; idcirco metu liberati veterani dicuntur, quem pars eorum etiam intulerat, eaque laus Antonio tribuitur, qui eos complectebatur et defendebat, concordiaeque causa eorum commodia a Senatu consulendum curaverat. Metum veteranorum confirmat ipsius Antonii metus, de quo II. 35. et 36. quem iam Kal. Iuniis exuerat: neque dubito, quin exstiterit. GARATONIVS. Ern. scripsit quidem in textu *veterani*, at temere suspicatur, *senatus* esse legendum. Schütz omisit eam vocem. Male. Tegg. *veterani*. Erl. *vetere.* et cetera.

Cum tuum collegam, depositis inimicitiis, oblitis auspiciorum, auguria te ipso augure nuntiante illo primo die. c.] *Cum* ab o. l. v. abest. caetera sic,

Tuum collegam depositis inimicitiis, oblitus auspicia te ipso augure nuntiante illo primo die. c. Ego sic arbitror emendandum, *Oblitus auspicia a te ipso augure nuntiata.* c. Id enim hoc loco mihi significare videtur, quod in consequenti oratione declarat, *Confecto negotio bonus augur, Laelium diceres, alio die inquit.* Et paulo infra, *Augur auguri, Consul consuli nuntiavisti.* Et alio loco, *Quamdiu tu voles, vitiosus Cos. Dolabella: rursus, cum voles, salvis auspiciis creatus.* Et ibidem, *Si nihil est, cum augur his verbis nuntiat, quibus nuntiasti.* Et in v. orat. *Quid, quod cum eo collega tulit, quem ipse fecit sua nuntiatione vitiosum?* Cum igitur sentiat Cicero, M. Antonium, depositis simultatibus, oblitum auspicia, quae augur ipse nuntiarat, quorum nuntiatione Dolabellam Cos. vitiosum fecerat, illo primo die, quo Senatus in aede Telluris fuit, suum collegam pro collega habuisse: hanc rem librorum verba mihi declarare non videntur. sed nihil affirmo. tantum sententiam meam testificor, quam tum affirmabo, cum unum aliquem librum huius adstipulatorem nactus ero. illud quidem pro certo dixerim, non post mortem Caesaris Antonium Dolabellae nuntiasse, sed tum, cum Dolabella iussu Caesaris Consul renuntiatus est. id quod Appianus et Dion apertissime ostendunt, qui quidem memoriae prodant, Dolabellam, simul ac de interitu Caesaris certior factus sit, statim sua sponte susceptis Consularibus insignibus in publicum prodiisse, habitaque ad populum oratione temporibus non aliena, in Capitolium ad coniuratos ascendisse. Haec autem de auspiciis disputatio me loci illius pro Cluentio commonuit, *Nubit genero socrus nullis auspiciis, nullis auctoribus.* In quo tu vide ne pro *auspiciis auspicibus* sit reponendum: siquidem non auspicia in nuptiis, sed auspices adhibebantur. hic ipse declarat lib. I. de Divin. *Nihil fere* (inquit) *quondam maioris rei nisi auspicato, ne privatim quidem gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant: qui rei omissa nomen tantum tenent.* Idem Valer. Maxim. tradit. de his Plaut. *Vltro ibit nuptum: non manebit auspices.* Ferrarius. *Oblitus auspicia te ipso augure nuntiante*] Antiquus liber ita habet, *oblitus auspiciorum a te ipso augure pronuntiate.* nos pro *pronuntiate* ita legimus, *P. Ro. nuntiatorum.* ut hae duae notae sint vel genitivi casus, et pendeant a voce augure, ut sit, a te ipso augure populi Romani, vel dativi, et regantur a dictione nuntiatorum, ut sit populo Rom. nuntiatorum. Si quis tamen vellet legere *pronuntiatorum*, non repugnarem. Faernus. Cur Gruterus retinuerit ex editionibus prioribus *auguria*, eumque qui post Ciceronem ediderunt sequantur, sic enim legit, *depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum, auguria te ipso augure nuntiante,* caussam nulla

iam video, cum id nec in Manutii, Lambini, Faërni et Mureti editionibus, nec in Colon. Franc. Graev. Amsterdam. MSS. compareat. Cum praecesserit *auspicia*, sic enim legitur in plerisque libris melioribus, inepte adderetur *auguria*, quam vocem credo interpretationem esse τοῦ *auspicia*, et ex margine irrepsisse in contextum, quam male retinuerunt Gruterus et alii. Longe melius etiam Coloniensis: *Tu collegam, depositis.* Scripsisse Ciceronem existimo: *Tu tuum collegam, depositis inimicitiis, oblitus auspicia, te ipso augure nuntiante.* immemor auspiciorum, quae tu ipse, cum augur illa captasses, populo Romano nunciasti. GRAEVIUS. *Oblitus auspicia, te ipso Augure nuntiante*] Ita sex Regii codices, et sic edidere Faërn. Muret. et Graev. Vide II. Phil. 32. Inepte Grut. *oblitus auspiciorum, auguria etc.* LALLEM. Fuit una vox lecta tripliciter: alii *auguria* legerunt, alii *auspicia*, alii *auspiciorum*. Nam Barb. ambo, *auguria, te ipso etc.* in eorum sec. supra syllabas *guria* ponuntur aliae *spicia*, ex cod. *auspicia* cum plerisque habente: Rom. et Ven. *auspiciorum, te ipso.* Ad illud exemplum forte in alio cod. pro litteris *orum* una notabatur *a* reponenda, quae in Vatic. fuit subiuncta delendis. Atque is fuit omnino mos optimi codicis, quem observavimus, ut aut integram vocem, in qua variatur, utroque modo exhiberet, aut litteris, ut hic, continenter adiunctis, dupliciter legi significaret: quo de more vide Cort. ad Sallust. Catil. XLII. 2. Postremo in edd. Ald. Naug. Cam. et in utraque Gryph. quas Grut. et Verb. sequuntur, duae lectiones perperam coniunctae fuerunt, *auspiciorum, auguria.* Vtrum igitur cum Graevio legas, an cum Oliveto, qui retinuit *auspiciorum*, delevit *auguria*, ut edd. vetustissimae fecerant, nihil interest. Vtramque lectionem continet Vaticanus: cuius quidem voci *pronuntiate* manus recentior N. superposuit, quam litteram Faërnus neglexit: in eaque voce omnino latet *P. Ro. nuntiante*, Faërnumque litteras dividentem tuentur veteres inscriptiones, velut quae a Brissonio I. de Form. 210. adfertur, AVGVRI. PVBLICO. POPVLI. ROM. QVIRITIVM. Confer etiam notas ad II. 17. Requirit autem *nuntiante* formula notissima, de qua etiam Menckenius in Observ. L. L. p. 665. et seqq. Male porro Lamb. hoc membrum sic adtexuit superiori, *liberata est: cum collegam tuum etc.* Quae lectio a Vaticano est, et sic fere cod. in V. L. *cum coll. tu*, et Ald. Naug. Cam. *cum tuum coll.* quomodo in Barb. sec. emendatur: nam ipse cod. *tum coll.* eoque refer illud Colon. *tu coll.* Rom. et Ven. *tum tuum coll.* Barb. prim. cum MSis Ferrar. et vulgatis iam inde a P. Man. consentit, a quibus non discedo. Muret. *cum collegam tuum depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum, te ipso augure pronuntiante:* in illa vero interpunctione Lambino praeivit. GA-

tibi esse voluisti; tuus parvulus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit. Quo senatus die laetior? quo populus Romanus? qui quidem nulla in concione umquam frequentior fuit. Tum denique liberati per viros fortissimos videbamur; quia, ut illi voluerant, libertatem pax sequebatur. Proximo, altero, tertio, reliquis consecutis diebus, non intermittebas quasi donum aliquod quotidie afferre rei publicae.

RATONIVS. Ern. coniecit: *auspicia a te augure nuntiata*, atque sic imprimi curavit; eandem lectionem Schütz. recepit; at ea coniectura non opus est. Teeg. *oblitus auspicia te ipso augure nuntiante.*

Reip. tuus parvus filius] Sic l. Lang. *R. tuus parvulus filius.* Scalae *K.* nonnulli *Carissimus.* plures *R. P.* ut impressi. quos ut probem, locus ille facit in Catilinam, quem infra scripsi: *Nec meam mentem non domum saepe revocat exanimata uxor, confecta metu filia, et parvulus filius: quem mihi videtur amplecti respublica tanquam obsidem Consulatus mei.* Iam si *parvulus* pro *parvus* reposueris, magis placebit. FERRARIVS. *Reipub. tuus parvulus filius*] *Reipub.* non est in aliquibus libris, inter quos est noster antiquus. nec sane ea vox quicquam momenti habet, sufficit enim *pacis obses fuit.* FAERNVS. Faërni sententiam et auctoritatem Vaticani codicis secutus est Muretus, qui *reip.* delevit: quos et ego sequor, et ratione Faërni, quamvis *reipublicae* possit ferri, et meorum codicum et veterum editionum fide, in quibus haec vox non legitur, permotus. Coloniensis, Francii, et edit. Iunt. Argentorat. aliaeque: *carissimus tuus parvus filius.* Amst. *tuus parvus filius.* Meus: *R. tuus parvulus filius.* GRAEVIVS. Barb. ambo retinent, R. P. *tuus parvus*, Cod. Gronov. K. *tuus parvus*, Naug. *carissimus tuus etc.* Sed Rom. Ven. et codices Lallem. cum Vaticano consentiunt: nisi quod in Vat. est *parvus.* Quatuor codices Graev. duo Barb. et Gronovianus, *in Capitolio.* Infra Vatic. *libertatem pax consequebatur.* GAR.

Qui quidem nulla in concione] *Nullus* pro *nulla* lib. Lang. ut fortasse corrigendum sit, *nullius* res minuta. FERRARIVS.

Liberati per viros fortissimos] Brutos, Cassium, et caeteros coniuratos, qui Caesari necem intulerunt. ABRAM.

Proximo, altero, tertio] Tollendus est (meo quidem iudicio) librarii interductus is, qui *proximo* distinguit ab *altero*, scribendumque *proximo altero*, pro *postero die.* dixit autem *alterum diem proximum*, ut Terentius, *Proximum vicinum:* et Cicero, *Pedem superiorem pro-*

ximum: ut Varro, *Proxima superiora loca.* nam siquis alterum esse tertium diceret, id quod interpres Terentianus docet (ego, quid sentiam, videro), eius interpretatio esset indigna responsione. sequitur enim *tertio.* et quoniam agitur de *altero:* illud in II. l. de Or. pag. CXXXII, *Alterum minime est liberale,* depravatum est. *Aliter* enim pro *alterum* reponendum est: supra enim dicit, *Alterum genus est imitatione admodum ridiculum: sed nobis tantum licet furtim, siquando et cursim.* deinde subiicit rationem, *Aliter enim minime est liberale.* sed ad rem. quod sequitur, *Denique reliquis consecutis diebus, denique* in l. v. non est. FERRARIUS. Non addiendus Ferrarius. *Proximus alter* nemo dixit. Tullius hoc expressisset aut sola voce *proximus* aut τῷ *alter.* Proximus dies est, qui pridianum, alter, qui proximum, tertius, qui alterum excipit, et a proximo est tertius, a primo quartus. Idem est loquendi genus, quod apud Virgilium in Ecloga 8. legimus:

Alter ab undecimo iam tum me ceperat annus.

hoc est, tertius decimus. *Alter* enim est secundus. vide ad orationis pro Caecina cap. 9. GRAEVIUS. Dies ille, qui supra dicitur tam gloriosus Antonio fuisse, XVI. Kal. April. fuit, quo die Liberalia celebrabantur. Posterus Liberalium dies est, qui *proximus* hic vocatur. Sequitur *alter,* in quo mihi Graevius non satisfacit. Si enim ita ponitur, ut apud Virgil. cum Servio et Donato positum is existimat, *tertius,* qui adiungitur, rem conturbabit. Cum etenim *alter* eo modo unum diem interiici postulet ab eo die, ad quem refertur, et cuius respectu *alter* dicitur, ut unus est medius annus inter XI. et XIII. idem hic erit dies, qui etiam Romano more *tertius* appellatur, si diem eundem, ut aequum est, ex praeteritis uterque respiciat, ne in errorem incidamus, quem refellit in aliis Heusing. ad II. 55. Quod si a diverso die hos computemus, ut nempe *alter* dicatur a Liberalibus, *tertius* a proximo, qui fuit postridie Liberalia, neminem hoc arbitror esse laturum. Restat igitur, ut *alterum* existimemus, qui proximum continuo sequitur, *tertium,* qui continuo alterum, initio computandi non iam a Liberalibus, sed a postero die facto. Ita plane removetur Virgilii locus, ad quem Muson. v. 39. aliique plurimi in criticis operibus contra veteres Grammaticos, eorumque adseclas profecto stant, deque anno XII. Virgilium loqui putant. Praecipue Perizonius Anim. Hist. c. VII. p. 283. locum Terentii I. Andr. 1. 50. contra Donatum explicavit egregie. Nihilominus de Virgiliano lis magna remanet, quae nulla certa ratione dirimi potest: neque is locus, si de XII. anno explicetur, huic nostro quidquam commodat, ubi sequitur *tertio.* Burmannus ad Petron. c. CVIII. a Graevio hic ostendi putat, locutionem *unus et alter* indefinitam esse, eaque

Maximum autem illud, quod dictaturae nomen sustulisti.

plures significari. Res ipsa vera est, quam deinceps bonis exemplis ipse confirmat, et in eodem loco Terentii, quem ibi tractat, Perizon. l. c. perspexerat. Sed nihil hic simile. Formula est accuratior, qua certorum dierum summa per partes exprimitur, ut apud Plin. I. Epist. 12. 9. *iam dies alter, tertius, quartus: abstinebat cibo.* Sic pro Cluent. 64. *unum, alterum, tertium annum Sassia quiescebat.* Cum autem alii dies superessent, ne putida et molesta longitudine fieret numeratio, indefiniti relinquuntur, ut loco eo, quem imitatus est Plinius, IV. in Verr. 29. *dies unus, alter, plures: non referri.* Simillime II. in Verr. 76. ubi, litura nominum in tabulis publicanorum commemorata, quam in uno primum inspectam oportuit, subditur, *alterum, tertium, quartum, plura erant eiusdemmodi nomina.* Nullum est dubium, quin alter dies unum antecessisse supponat: cum autem hic duo antecesserint, Graevius a proximo initium facit, superiorem illum, in quo rei caput est, plane secludit. Sed tum ipse parum sibi constat, ut vidimus, tum mihi parum est verisimile, non omnia hic, ut II. in Verr. 76. ad unum rei principium referri debere, quod erat tum numerationis ordine, tum praestantia sua, quae pluribus fuit modo commendata verbis, maxime respiciendum. Differt locus Plinii IX. Epist. 33. 5. ubi, *Postero die obsident litus:* deinde, multis interiectis, sequitur, *Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus.* Magis profecto Tullianum fuerit vel *proximo*, vel *altero* praetermittere: utrumvis facile potuit addi ab interpretibus. Sed commodior est ratio Ferrarii, qua MSi defenduntur: neque pleonasmus ille, quo unus dies postridie Liberalia designaretur, *proximo altero*, etiamsi novi aliquid verba prae se ferant, alienus est ab eo genere, quod saepe in Latinis agnoscitur et probatur. Vatic. Barb. ambo, Rom. et Ven. *proximo altero tertio* sine ullo interductu exhibent. Hervag. anno MDXL. iam distinxerat, ut voluit Ferrar. deinde P. Man. anno seq. et Car. Steph. ei sunt obsecuti. In utroque Barb. omittitur *denique*, ut in Ferrarii MSis: verum non modo adest in edd. veteribus, sed etiam in cod. Vaticano. GARATONIUS. Ern. putat temere, *proximo* de genere capi, *altero* de postridiano sumendum esse, quod vix defendi possit. Recte Garatonius.

Quod dictaturae nomen sustulisti] Caesar interfecto Pompeio dictaturam perpetuam invaserat, eoque nomine solus universam rempublicam obtinebat. Post eius necem, ne quis in posterum magistratus illius praetextu tyrannidem occuparet, M. Antonius legem tulit, ne quis Dictator amplius crearetur, et ut illud nomen penitus e republica

Haec inusta est a te, a te, inquam, mortuo Caesari nota ad ignominiam sempiternam. Ut enim propter unius M. Manlii scelus, decreto gentis Manliae, neminem patricium Manlium Marcum vocari licet: sic tu, propter unius dictatoris odium, nomen dictatoris funditus sustulisti. Num huiusce, quum pro salute rei publicae tanta gessisses, fortunae te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriae poenitebat?

tolleretur. Quod Caesaris demortui memoriae ignominiosum fuisse dicit Orator. ABRAM.

Haec iniusta est] *Inusta*, l. v. res facilis. FERRARIVS.

Vnius M. Manlii scelus] Qui, cum reipublicae dominatum invadere conaretur, de saxo Tarpeio deiectus est, eaque notatus ignominia, ut in odium illius sceleris nemo de patricia Manliorum gente Marci praenomen in posterum obtineret. Eadem ignominia notatus est ipse M. Antonius, siquidem post pugnam Actiacam *dies eius natalis nefastus iudicatus, et edicto cautum, nequis ex ea familia Marci praenomen ferret*, inquit Dio libro 51. ABRAM.

Vt enim propter unius M. Manlii scelus, decreto gentis Manliae neminem patricium. c.] Libri a verbis sine mendo sunt, ab interpunctionibus mendosi. sic enim distinguendum est, *Vt enim propter unius M. Manlii scelus, decreto gentis Manliae, neminem.* et quae sequuntur. Hoc docet Livius lib. VI. *Adiectae* (inquit) *mortuo notae sunt, publica una, quod, cum domus eius fuisset, ubi nunc aedes atque officina Monetae est, latum ad populum est, nequis patricius in arce aut Capitolio habitaret: gentilitia altera, quod gentis Manliae decreto cautum est, nequis deinde M. Manlius vocaretur.* Quod autem sequitur, *M. Manlium vocari licet:* nulli omnino l. scripti *M.* retinent, ut verear, ne *M.* quae Marcum significat, abierit in Manlium. FERR. *Neminem patricium M. Manlium vocari licet*] Delet Ferrarius *Manlium.* Guilielmius transponit solummodo, *neminem patricium Manlium Marcum vocari licet.* GRVTERVS. Rom. et Ven. *licet M. Manlium vocari.* Etiam in Vat. praenomen M. maxime necessarium deest. GAR. Ern. sine causa *patricium* delevit, cum habeant hanc vocem omnes Codd. Schütz. eum sequutus est.

Num te, cum haec pro salute reip. tanta gessisses, fortunae tuae, num amplitudinis etc.] Ita legitur hic locus in libro Vaticano. F. VRSINVS. Idem inveni in ed. Romana, et praeferendum videtur, ut Muret. iam praetulerat. Idem etiam sibi vult Barb. primus, quamvis *haec te, cum* etc. exhibeat. Alia codicum vestigia vide in V. L. Gronovia-

Unde igitur subito tanta ista mutatio? Non possum adduci, ut suspicer, te pecunia captum. Licet, quod cuique libet, loquatur. Credere non est necesse. Nihil enim umquam in te sordidum, nihil humile cognovi. Quamquam solent domestici depravare nonnumquam: sed novi firmitatem tuam. Atque utinam, ut culpam, sic etiam suspicionem vitare potuisses!

nus, *num haec te, cum* etc. *fortunae, num* etc. Gar.

Vnde igitur] Quaerit rationem, cur ita mutatus fuerit Antonius, adeoque a pristina mente desciverit. Cumque duae potissimum mutationis huius caussae videri possint, avaritia et ambitio, sive potius studium gloriae: priorem illam caussam, quae abiectiorem animum ostendit, miro artificio tractat Orator, aiens id quidem a multis iactari, verisimile tamen id non esse, nec avaritiam, sordidum et abiectum vitium, Antonii moribus convenire. Posteriorem causam ait sibi credibiliorem, magisque Antonii naturae congruentem videri: in eo tamen illum errare dicit, quod, cum gloriae studio teneatur, pro vera germanaque gloria tyrannicam quandam potestatem, et fucatum gloriae simulacrum, inanemque dignitatis umbram aucupetur. Abram.

Nihil enim unquam in te sordidum] Quam non fuerit Antonius sordidus, sed potius liberalis, liquet e Plutarcho in eius vita. unum aut alterum exemplum referemus. Iuvenis adhuc, etiamsi praetextatus decoxerat, et grande aes alienum conflaverat, tamen *Amico cuipiam decies H-S. iusserat dari. obstupescente dispensatore, et, quo summae magnitudinem ei ostenderet, argentum in medio proponente, transiens, quid hoc esset, rogavit. Vbi respondit dispensator, id quod donari iusserat, malignitatem eius coniiciens Antonius, Ego vero, maiorem summam, inquit, esse decies putavi. hoc exiguum est. Itaque alterum tantum adiice.* Multa alia eius liberalitatis exempla invenire poterunt, qui magis erunt curiosi. Idem iam rerum potitus, *Hominis Magnesii domum dedit coquo, ut aiunt, quod unius coenae apparatu placuisset.* Sic Henricus VIII. Angliae Rex coquum ad summos honores evexit, quod nefrendem bene coxisset: liberalius sane quam Venceslaus Rex Boëmiae, qui coquum veru transfixum torreri iussit, quod non satis ad ipsius palatum prandium parasset, ut narrat Florimondus Remondus de haeresi lib. 4, c. 3. Abram.

Quanquam solent domestici depravare nonnumquam] In aliis, *Quanquam nihil est tam sanctum, quod non soleant domestici depravare nonnumquam.* quae tam multa verba unde flu-

XIV. Illud magis vereor, ne ignorans verum iter gloriae, gloriosum putes, plus te unum posse, quam

xerint, satis admirari non queo. neque vero video, quid hic loci sanctitas habeat: et violandi, non depravandi verbo in iis, quae sancta sunt, utendum putarem. Denique ego veterem scripturam fideliter expressi. MVRET. Hanc veterum codicum scripturam expresserunt in suis praeter Muretum Faërnus, Lambinus, Manutius, sed etiam tam Caroli quam Roberti Stephani minor 1543, et antiqua Mediolanensis, imo omnes ante Victorianam, ut et MSS. Colon. et Graev. sed recentiores Francii et Amsterdamenses, et ed. Roberti Stephani maior 1539, illa verba retinent Ego veteriori bus subscribo, et Mureti rationibus. GRAEVIVS. Valde peccavit Gruterus, qui lectionem illam merito explosam retinuit ex repetitionibus Lambinianis, quibus soli auctores erant Naug. et Camer. et si qui alii Naugerianam descripserant, quorum unus mihi ad manus est Gryphius. Nam vera lectio ad earum repet. marg. notabatur, addito testimonio codicum Lamb. omnium: quibus cum reliquis editis accedit Barb. sec. ut quidem alio ex MSo suppletur. Nam erat a primo lacuna eadem, quae in Barb. priore: *nihil enim umquam solent domestici etc.* quam etiam in suis duobus Graev. invenit. Orta est a similitudine vocum *umquam*, et *quamquam:* eamque, ut fontem depravationis intelligas, supplevit pro ingenio aliquis, ut ex cod. Car. Steph. et Franc. discimus, in quibus est: *nihil enim umquam tam sanctum est, quod non soleant etc.* In cod. Steph. deest etiam *umquam.* Postea, quae vere deerant, inventis, alii magnum se fecisse arbitrati sunt, cum additionem falsam post *quamquam* collocaverint. Ferrarii codices erant procul dubio sani, ut Aldina exemplaria, quibus ille utebatur. GARATON.

Ne ignorans verum iter gloriae] Initio 3 Tusculanae queritur, plerosque consectari *Nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae. Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata. Est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute, ea virtuti resonat, tamquam imago gloriae. quae quia recte factorum plerumque comes est, non est a bonis viris repudianda. Illa autem, quae se eius imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata, et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix fama popularis, simulatione honestatis formam eius, pulchritudinemque corrumpit. qua caecitate homines, cum quaedam praeclara etiam cuperent, eaque nescirent nec ubi, nec qualia essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi occiderunt: atque hi quidem optima petentes, non tam volunta-*

omnes, et metui a civibus tuis, quam diligi malis. Quod si ita putas, totam ignoras viam gloriae. Carum esse civem, bene de re publica mereri, laudari, coli, diligi, gloriosum est. Metui vero, et in odio esse, invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Quod videmus, etiam in fabula, ipsi illi, qui „*Oderint, dum*

te, quam cursus errore falluntur. Abram.

Et metui a civibus tuis] In aliis hoc amplius, *quam diligi malis.* quae verba cum abessent ab optimo libro, putavi adiecta esse ab aliquo, qui non animadverteret, hanc quoque particulam pendere ex illo quod antecessit, *gloriosum putes.* Mvret. *Et metui a civibus tuis, quam diligi malis*] Hoc totum, *quam diligi malis,* testificatur Muretus abesse a libris veter. quod tamen retinet Faërnus. Lamb. Sic II. de Offic. 8. *dum metui, quam cari esse, et diligi maluimus.* Cornel. Nep. in Timol. III. 4. *Quum tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset; tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, ut, nullo recusante, regnum obtineret; maluit se diligi, quam metui.* Gar.

Quod videmus etiam in fabulis, ipsis illis] *Ipsi illi,* o. l. v. et certe unus Atreus apud Actium haec verba tyrannica ac detestabilia usurpat. quorum auctoritatem si sequimur, *dixerit,* non *dixerint,* scribendum est. Ferrarivs. *Etiam in fabulis*] Liber antiquissimus *fabula.* quod placet, nam in una tantum fabula hoc dictum est. Faernvs. Codici huic cum Mureto et Faerno parui. Graevivs. Ern. putavit, quod haud dubie plures Graeci et Latini scriptores de Atreo fabulam tractarint, scribendum esse, *in fabulis, ipsis illis, — dixerint;* at restituenda est Vat. lectio. Teeg. *dixerit* habet, et *ipsis illis.* Erlang. *ipsi illi,* et *in fabula,* item Codd. Anglicani.

Illi ipsi] Primo de officiis: *Sed tum servare illud poëtas dicimus, quod deceat, cum id, quod quaque persona dignum est, et fit et dicitur, ut si Aeacus aut Minos diceret:* Oderint, dum metuant, *aut:* Natis sepulchrum est ipse parens, *indecorum videretur, quod eos fuisse iustos accepimus. At Atreo dicente plausus excitantur. Est enim digna persona oratio.* Seneca de Ira libro primo sub finem: *Quid ergo? non aliquae voces ab iratis emittuntur, quae magno emissae videantur animo veram ignorantibus magnitudinem? qualis illa dira, et abominanda:* Oderint. dvm. metvant. *Sullano scias seculo scriptam.* E quibus intelligas, non ab Ennio, ut olim putavi, sed ab alio poëta, Accio fortasse, qui Sullanis temporibus florebat, scriptam fuisse. Pergit Seneca: *Nescio, utrum sibi peius optaverit, ut odio esset, an ut timori. occur-*

metuant", dixerit, perniciosum fuisse. Utinam, Antoni, avum tuum meminisses! de quo tamen multa audisti ex me saepissime. Putasne illum immortalitatem mereri vo-

rit illi futurum, ut execrentur, insidientur, opprimant. *Quid adiicit?* *Dii illi malefaciant, adeo reperit dignum odio remedium.* ODERINT. *Quid? dum pareant? non. dum probent? non.* *Quid ergo?* DVM TIMEANT. *Sic nec amari quidem vellem. Magno hoc dictum spiritu putas? falleris, nec enim magnitudo ista est, sed immanitas. Non est quod credas irascentium verbis: quorum strepitus magni minaces sunt: intus mens pavidissima.* ABRAM. Vat. *illi ipsi*, et ita Muret. GAR.

Vtinam, Antoni] Hactenus ostendit errorem Antonii, qui pro vera gloria falsam et tyrannicam amplectitur: nunc eundem hortaturus, ut solidam sectetur gloriam, adducit domesticum exemplum avi ipsius M. Antonii Oratoris. ABRAM.

De quo tamen multa audisti ex me saepissime] Antiquus liber, *audisti multa ex me aque saepissime;* nos ita, *de quo tamen audisti multa ex me, atque saepissime.* Guidoni Lolgio placet *eaque saepissime:* cuius sententiae accedo. FABRICIVS. Muretus edidit *quam saepissime.* GRAEV. *Audisti ex me*] Videtur hoc loco id innui, quod Antonius paulo post Ciceroni obiecit 2 Philipp. *At enim te in disciplinam meam tradideras (nam ita dixisti), domum meam ventitaras. Nae tu si id fecisses, melius famae, melius pudicitiae tuae consuluisses.* ubi vide Notas, et in Coelianam cap. 1: *Hoc dicam, hunc a patre continuo ad me esse deductum.* ABRAM. In Vat. est, *ex meaquae*, etc. GAR.

Putasne illum immortalitatem mereri voluisse] Haec verba in quinque libris vetustissimis, in quibus est Lang., desunt: desunt inquam, non absunt. sic enim sentio. nam et ea Col. et multi alii scripti libri conservant: nec eiusmodi sunt, ut a quovis suggeri potuerint. etenim nec ita valde aperta sunt, nec ab ullo alio (quod quidem sciam) praeterquam Cic. et Plauto usurpata. ut igitur haec dilucida faciamus, horum scriptorum loca subiiciemus. Plaut. in Bac. *Quem quidem ego ut non excruciem, alterum tantum auri non meream.* Et in Men. *Neque hodie ut te perdam, meream deum divitias mihi.* et in Stic. *Neque ille sibi mereat Persarum montes, qui esse aurei perhibentur, ut istuc faciat.* Cic. de nat. Deor. *Quid mereas, ut Epicureus esse desinas?* De fin. bo. et ma. *Quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse?* Et in VI. in Verr. *Quid arbitramini Rheginos mereri velle, ut ab his marmorea Venus illa auferatur? quid Tarentinos, ut Europam in*

luisse, ut propter armorum licentiam metueretur? Illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate esse

equo sedentem amittant? Sic enim hunc locum corrigendum puto. Idem Plaut. in Mostel. immutata loquendi forma, significatione conservata, *Quid merear, quamobrem mentiar?* Ferrar. *Putasne*] Amorem civium suorum tanti faciebat, sic abhorrebat a tyrannica potentia impotentique dominatu, ut immortalis esse nollet, si immortalitati id malum annexum fuisset, ut ipse civibus suis odio esset ac timori, et tum demum se vitam vivere vitalem, prosperisque fortunae flatibus uti putaret, cum se videbat libertate caeteris civibus suis parem, principem et omnium excellentissimum vitae splendore et dignitate. Abram. Soli quinque illi Ferrarii codices haec omittunt, quae ipse iure defendit, et quae agnoscit ac recitat Servius ad IV. Aen. 348. Solus autem Servius *eum* habet pro *illum*. Burmannus ad l. c. Virg. subdubitare videtur, an Servius heic non *mereri* legerit, ut omnes illius, Tulliique libri exhibent, sed *merere*, quod magis convenit cum v. *demeret*, cuius gratia haec proferuntur a Servio. Ego ne quaerendum quidem id sumo, cum nihil intersit, sitque Tullianum utrumque. Moneo tamen, hanc permutationem contigisse loco illo IV. in Verr. 60. quem primus tam vere de coniectura emendavit Ferrarius, ut postea in optimis quibusque codicibus eius lectio reperta sit. Ibi enim codex praestantissimus Car. Stephani, qui cum aliis eiusmodi voculam *ne*, et alteram *sedentem* omittit, servat tamen *mereri*, ut edebatur antea in Rom. Ven. Naug. etc. atque ut citat Ferrarius. Contra Turnebus VIII. Advers. 12. ex optimo item codice adfert *merere*, quod Lamb. omnesque deinde, ne varietate quidem notata, receperunt. Tantum Lamb. alios monuit aliter legere, nullo suae lectionis auctore citato: qui porro ibi, quod ad hoc verbum attinet, lectorem remittit ad suos comment. in Horat. I. Epist. 18. 18. Additur a Burmanno Gronovius Obs. ad Script. Eccles. cap. 7. Garaton. Ern. notat, in Guelf. in ultima littera vocis *mereri* esse lituram. Suspicatur, mutatum esse in *merere*, quod utrumque Ciceroni solemne sit.

Vt propter armorum metuendorum licentiam] *Habendorum*, non *metuendorum*, omnes ad unum l. v. quod summo opere placet. Ferrarius. Primus Hervag. *habendorum*, ut etiam recte in Barb. sec. emendatur, qui depravatus erat cum primo, et ante Hervag. editis. Supra c. 11. *cum tanta praesertim gladiorum sit impunitas*. Gar. Ern. retinuit *habendorum*, at utrumque, *metuendorum* et *habendorum*, esse de glossa contendit. Schütz. neutrum posuit. Scribendum est *habendorum* auctore Garatonio. g.

parem ceteris, principem dignitate. Itaque, ut omittam res avi tui prosperas, acerbissimum eius diem supremum malim, quam L. Cinnae do-

metuendorum. Teeg. et Erl. *habendorum,*

Parem cum ceteris] Antiquus liber, *parem ceteris.* FAERNVS. *Parem ceteris*] Antea, *parem cum ceteris:* quod Latinum non puto. MVRETVS. Vaticani verissimam scripturam merito cum Faërno amplexi sunt Muretus, Manutius, Lambinus. Miror, vulgatam, quae Latine loquentium consuetudini adversatur, toleratam esse a Grutero, et qui Gruterianam recuderunt. GRAEVIVS. Est hoc in Grutero sane mirandum, qui e loco Sallustii simili Iug. XIV. 9. *quem tu parem cum liberis, regnique participem fecisti,* libris nolentibus *cum* expungi volebat. Heic Vaticano codici parendum censet ille ipse, qui locutionem defendit, *cum aliquo parem esse,* Dukerus ad Flor. II. 4. 2. In loco Sallustii mirum in modum torquet se Cortius, argutiisque conficere nititur, ut alius, quam qui legenti se statim offert, sensus, atque locutio insit. Quamquam nescio, an satis formam loquendi deflectat. Analogiam sumit Dukerus ex Tullii Bruto 59. quem locum Fr. Fabricius adtulit ad illud Ligarianae simillimum c. 9. *ut enim cetera paria Tuberoni cum Varo fuissent.* Nihil Cortius ad hoc: quod tamen apud me quoque non mediocre pondus habet. Sic etiam, *aequalis cum aliquo,* et *mihi aliquid aequale cum alio,* ut docet Bunemannus ad Lactant. de ira Dei cap. VII. n. 4. Sed Vaticanus admonet, Sallustio idem contingere potuisse, quod ille unus heic accidisse suadet. Porro etiam in codice Sallustiano, XII. saltem seculi, et in ed. Valentina MCDLXXV, qui libri in bibliotheca Barberina servantur, inveni, *cum liberis tuis.* GARATON.

Res avi tui prosperas] Consulatum, censuram, reliquos honores a populo mandatos, famam eloquentiae, auctoritatem senatoriam, res praeclare gestas, etc. ABRAM.

Acerbissimum eius diem supremum] Marcus Antonius Orator iussu Cinnae confossus est. tertio de Oratore: *iam M. Antonii in his ipsis Rostris, in quibus ille rempublicam constantissime Consul defenderat, quaeque censor imperatoriis manubiis ornarat, positum caput illud fuit, a quo erant multorum civium capita servata.* Id contigit anno Vrbis Conditae 666. Luc. Cornelio Cinna, C. Octavio Consulibus. IDEM.

L. Cinnae dominatum] Cum civitas ita data esset Italicis, ut in octo tribus novi cives contribuerentur, ne potentia eorum et multitudo veterum civium potentiam frangeret, Luc. Cinna Consul legem tulit de admiscendis novis civibus in omnes tribus: sed altero Consule Cn.

minatum, a quo ille crudelissime est interfectus.

Sed quid oratione te flectam? Si enim exitus C. Caesaris efficere hoc non potest, ut malis

Octavio resistente non sine suorum strage primum servos vocavit ad pileum, deinde ex urbe cessit. eique Luc. Merula Flamen Dialis in consulatu a Senatu suffectus est. Cinna Nolam contendit, et ab exercitu, qui circa Nolam erat, receptus, adscito in parte Mario, rediit in Vrbem, in eaque sic dominatus est, ut Octavium, Antonium, Merulam, Catulum, aliosque principes civitatis occiderit, quatuorque continuos gesserit consulatus, donec tandem quarto Consulatu a suis militibus contrucidatus tot civium suorum strages expiavit. Vide Plutarchum in Mario, Epitomen, Velleium, Appianum. Idem.

A quo] Imo non a Cinna, sed iussu Marii M. Antonium Oratorem interfectum esse plerique tradiderunt. Appianus 1 civilium, et Plutarchus in Mario Antonium narrant in pauperis cuiusdam domo latitasse. inquit Appianus: *Marius hoc audito prae laetitia procurrit ipse patraturus facinus*, sed ab amicis retentus Tribunum militum Annium eo misit cum globo militum, praecepitque, ut propere caput Antonii ad se referret. Cumque diu milites facundia sic lenisset, ut nemo auderet violentas ipsi manus inferre, Annius *Antonium inter orandum confecit, praecisumque caput Mario misit.* Florus lib. 3, cap. 21: *Octavii Consulis caput pro Rostris exponitur, Antonii Consularis in ipsis Marii mensis.* Quomodo igitur id Cinnae tribuit Orator, quod alii Mario tribuerunt? Quia nimirum, ut scribit Velleius lib. 2, *M. Antonius, princeps civitatis atque eloquentiae, gladiis militum, quos ipsos facundia sua moratus fuerat, iussu Marii Cinnaeque confossus est.* Et Orator, quod facinus utrique commune fuerat, in alterum refundit, quod Cinna sine controversia civis nefarius omnium iudicio fuisset, Marius ob res bello Cimbrico gestas et olim conservator patriae dictus esset, et adhuc in populi Romani visceribus haereret. Abram.

Si enim exitus C. Caesaris] Nex illata C. Caesari, qui cum victis Pompeianis partibus patriae libertatem oppressisset, metuique mallet a civibus quam diligi, quinto post confectum Hispaniense bellum mense a Bruto, Cassio caeterisque coniuratis in Senatu ad statuam Cn. Pompeii est interemptus. Idem.

Efficere hoc non potest] Dictio *hoc* abest ab antiquo libro. Faernus. Delevi *hoc* cum Faerno, Mureto, Lambino, Manutio. Graevius. Non dissentio, quamvis recte adesset antea *hoc*, quod omnes alii codices retinent. Paruerunt codici optimo etiam Verb. Oliv. et Lallem. Gar. Ern.

carus esse, quam metui, nihil cuiusquam proficiet, nec valebit oratio. Quem qui beatum fuisse putant, miseri ipsi sunt. Beatus est nemo, qui ea lege vivit, ut non modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit. Quare flecte te, quaeso, et maiores tuos respice, atque ita guberna rem publicam, ut natum esse te cives tui gaudeant: sine quo nec beatus, nec clarus esse quisquam potest.

retinuit atque item Schütz. *hoc;* exhibent vocem Guelf. Teeg. Erlang. ψ. et φ.

Carus esse quam metui] Vide 2. Philipp. *Caritate et benevolentia civium septum oportet esse, non armis.* Pulchre Claudianus Panegyri de quarto Honorii consulatu:

Qui terret, plus ipse timet: sors ista tyrannis
Convenit: invideant claris, fortesque trucident,
Muniti gladiis vivant, septique venenis:
Ancipites habeant arces, trepidique minentur.
Tu civem patremque geras: tu consule cunctis,
Non tibi. —

Iam ante dixerat:

Non sic excubiae, non circumstantia pila,
Quam tutatur amor: non extorquebis amari:
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat. Abram.

Miserrimi ipsi sunt] *Miseri,* o. l. s. Ferr. Sic et veteres codices, quos ego consului. Graev. Soli hoc receperunt Muretus et Graevius, meis libris repugnantibus: nisi quod in Barb. sec. deletis tribus litteris, una immutata, emendator fecit *miseri:* id ipsum tamen reperi in Vaticano. Qui codex infra, *ut natum esse cives tui gaudeant:* sed manus recentior addidit pronomen *te:* quod suspectum facere potest varia etiam illius in editis collocatio. Vide supra ad c. 12. Id ego tamen heic adesse malim. Cod. Gronov. *flectere, quaeso:* mendose, nisi fallor. Garaton. Ern. et Schütz. *miseri.*

Sine quo nec beatus nec clarus esse quisquam potest] Haec lectio sat bona est, si modo nihil ei desit; sed deesse aliquid, suspicari nos cogit exemplar antiquum, in quo hic locus mendosis quidem, sed tamen pluribus verbis ita legitur, *sine quo nec beatus nec clarus nec unctus quisquam esse omni potestate.* Faernus. *Nec clarus nec tutus quisquam esse omnino potest*] Ita conieci legendum e depravatis veteris scripturae vestigiis: quae proponam: si quis forte ex iis verius aliquid eruere possit. Sunt igitur haec: *Nec clarus nec unctus quisquam esse omni potestate.* Ac fieri sane potest, ut de tribus postremis litteris duae priores appingendae sint principio sequentis

comprehensionis, hoc modo: *At populi quidem R.* etc. MVRET. *Nec beatus, nec clarus, nec tutus quisquam esse omnino potest*] Sic nunc edi iussi. olim secutus eram Turnebi coniecturam, quae talis est, *nec auctus quisquam esse omni potestate potest.* quae nunc non placet: quamvis aliquanto propius ad antiquam scripturam accedat: quae talis est, *nec unctus quisquam esse omni potestate:* nec hoc loquendi genus, *auctus potestate,* sit inusitatum, aut Latinis auribus inauditum. Sic enim Horat. Satyr. libr. 1: *Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos.* LAMB. *Nec clarus, nec unctus quisquam esse omni potestate potest*] Haec est lectio Vaticani codicis. Muretus *unctus* mutat in *auctus.* non culpo. *nec clarus esse quisquam potest.* Lambinus hic est Lambinus, interpolat faciem pulcram merdoso fuco. videatur tamen Turnebus lib. xv. Adversar. cap. 2. GRVT. Non merebatur Lambinus hic tam acerbe reprehendi, qui Mureti coniecturam recepit. In MSS. quatuor, quos ego evolvi, haec verba, *nec unctus omni potestate potes,* non leguntur, nec in pristinis editionibus. Cur ergo scripturam veterem, cum liquida sit, repudiemus, cum, quae eliciunt ex Vaticani codicis hic corrupti lectione, sint ambigua et incerta, quin et *unctus* insulsum est. Petrus Pithoeus coniiciebat: *nec clarus quisquam est, nec cinctus quidem omni potestate potest.* Sequor ego hic MSS. et editiones Manutii, Victorii, et ipsius Faërni, qui quamvis Vaticani codicis scripturam proposuit, contextum tamen non interpolavit. *Potestate* natum ex iterata voce *potest* ab oscitante librario, uti *nec unctus* ex *nec clarus.* *Omni* vero perperam scriptum pro *omnino.* Sic enim Ciceronem reliquisse censeo: *sine quo nec beatus, nec clarus quisquam esse omnino potest.* GRAEVIVS. *Nec beatus, nec clarus quisquam esse omnino potest*] Ita post Victorium et Faërnum dedit Graevius, et sic habent Regii codices. Corruptam lectionem codicis Vaticani sequitur Gruterus. LALLEM. Atqui nullus horum, quos vir doctus nominat, *omnino* receperat, sed Muret. Lamb. et Olivet. Imo duobus illis prioribus ne in mentem quidem id venerat: Graev. tantum cum Mur. eam coniecturam fecerat. Si constaret, *omnino* in Regiis esse, recipiendum censerem: sed nescio, an satis ex verbis Lallem. constet. Omnes ante Muret. editi, omnes MSi praeter Vatic. Graevianam lectionem, quam hic editam vides, exhibent, eique addiderunt *omnino* Oliv. et Lall. rectissime, si Regii auctores fiunt. Gruterus, qui bene ac praeclare legentem Vaticanum deseruit, menda illius voluit hic amplecti, pedibus sequente Verburgio. Inepta est coniectura Turnebi, egregia Mureti. Lambinus delevit *Et* ante *populi,* Muretum et codicem Vaticanum secutus, a quo uno abest ea coniunctio. GARATON. Ern. et Schütz. receperunt Graev.

XV. Et populi quidem Romani iudicia multa ambo habetis, quibus vos non satis moveri permoleste fero. Quid enim gladiatoribus clamores

lectionem, quam eandem exhibent Guelf. Ien. Teeg. ψ. et φ.

Et populi quidem Romani iudicia] Ex multis indiciis tu, o Dolabella, et collega tuus M. Antonius, cognoscere potestis, quanti faciat populus Romanus eos, qui tuendam patriae libertatem susceperint, quibus doleo vos non satis ad amplectendam optimam quamque reip. partem excitari. Abram.

Quibus non satis moveri permoleste fero] Abieci pronomen *vos* fide Pall. duorum, exemplarisque S. Victoris. Gruт. Abest etiam *vos* a meis libris omnibus. A Colon. non modo *vos*, sed et *non* abest. Sed quia tamen legebatur in Vaticano, uti constat ex editionibus Philippicarum Faërni et Mureti, et retinent Manutii, Lambini et Victorii editiones, sententiaque id requirat, non potui Grutero assentire. Graevius. Deest *vos* etiam in Barb. primo, sed est in sec. in vett. editis, et in Vaticano. Gar.

Quid enim gladiatoribus clamores] Quid enim aliud ii, qui ad spectandos gladiatorum ludos in amphitheatrum convenerant, significare voluerunt, quam sibi libertatis publicae vindices esse iucundos, qui magnis clamoribus exceperunt eos, qui ad ludos veniebant, prout eos vel libertatis studiosos, vel oppressores esse cognoverant? Abram.

Quid enim gladiatoriis clamores innumerabilium civium?] *Gladiatoribus* sine controversia corrigendum est: nam primum in libris antiquis ita *gladiatorii* scriptum est, ut in multis extrema pars sit in litura: in nonnullis etiam *b* sic interlitum sit, ut perspici possit. Deinde quid est *gladiatorius clamor?* an qui edebatur a gladiatoribus? At erant cives Rom. qui clamabant. an pro *ingentibus gladiatorios* dixit? quis unquam scriptor sic locutus est? quis porro litteris tradidit, gladiatores ita magna voce fuisse, ut gladiatorius clamor veniret in proverbium? Clamores autem innumerabilium civium gladiatoribus, id est, muneribus gladiatoriis, profecto convenit. sensus enim iudiciumque populi et gladiatoribus; et ludis maxime perspiciebatur. *Gladiatores* autem non modo servi homines dicuntur, quos lanistae armorum artem edocebant, quique in foro seu quo alio in loco depugnabant populi delectandi gratia: sed eodem etiam vocabulo appellantur ipsa gladiatorum spectacula. Cic. 9. Phil. *Circumque eam statuam locum gladiatoribus ludisque liberos posterosque eius quaque versus pedes quinque habere.* et lib. 11 epist. ad Attic. *Gladiatoribus qua dominus, qua advocati sibilis conscissi.* et pro Sext. *Tribus locis significari*

innumerabilium civium? quid populi versus?

maxime populi Romani iudicium ac voluntas potest, concione, comitiis, ludorum gladiatorumque consessu. pro Mur. *Nec plebi Rom. eripiendi fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conviviorum.* Quin etiam locum illum in eadem oratione mendosum puto, *Nec si virgo Vestalis huius propinqua et necessaria locum suum gladiatorium concessit huic.* non enim *gladiatorium*, sed *gladiatoribus* rectum arbitror: ut sit illi geminum, quod est in eadem oratione, *Si gladiatoribus vulgo locus tributim, et item si prandia vulgo essent data.* et in v lib. epist. ad Attic. *Is quaerit ex me, num consuevissem Siculis locum gladiatoribus dare.* Quod autem aetas Ciceronis gladiatores appellavit, id posterior modo *gladiatorium*, modo *gladiatorum munus* dixit. Livius, *Munus gladiatorium datum ab iis.* Suet. in Caes. Dict. *edidit spectacula varii generis, munus gladiatorium, ludos etiam regionatim urbe tota, et quidem per omnium linguarum histriones, item circenses, athletas, naumachiam, munere in foro depugnavit Furius.* quod *munere* Suetonius, Cicero *gladiatoribus* profecto dixisset: quanquam hic etiam *munera gladiatoria* in oratione de Arusp. responsis usurpat. Illud quoque annotatione non indignum est, semper gladiatores a ludis separari, ob eam causam, opinor, quod, licet huiusmodi munera delectationis causa darentur, visum est tamen absurdissimum, rem tam duram, spectacula tam crudelia tam molli tamque clementi verbo notare. Ferrarius. *Gladiatoribus*] Per *gladiatores* ipsos gladiatorios ludos, sive munus ipsum intelligit. Vide quae diximus pro Sextio: *Dicit, se non gladiatores, sed unum gladiatorem dare, et totam aedilitatem in munus hoc transtulisse.* Innumerabiles autem cives dicit, quia, ut eadem oratione dicitur, gladiatorium munus *id spectaculi genus est, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebratur, et quo multitudo maxime delectatur.* Abram. Firmatur *gladiatoribus* a cod. Vatic. quamvis non moneatur. Recipiebatur iam inde a P. Manut. egregia haec Ferrarii restitutio. Antea editi cum utroque Barb. mendose, *gladiatorii.* Silent etiam, dum Ferrarium sequuntur, Car. Steph. et Lamb. Gar.

Quid populi versus] Nonnulli veteres lib. *concursus.* quod rectius existimo. Ferrarius. *Quid populi versus?*] Nimis profecto audacter corruperant hunc locum, qui pro *versus* scripserant *concursus.* neque enim cuiquam paulum modo versato in veteribus historiis obscurum esse potest, quemadmodum olim populus subitis et fusis ex tempore versibus animum erga magnos viros suum testari soleret. Mvretvs. *Quid populi*

quid Pompeii statuae plausus infiniti? quid *iis* tribunis plebis, qui vobis adversantur?

concursus] Ita e suis Ferrarius. sed non displicet mihi reliquorum mss. item editorum lectio, *versus*. Pal. quidem sec. agnoscit *cursus*. sed id depravari potius potuit e *versus*, quam ut mutari debuerit in *concursus*. Gruterus. *Quid populi versus*] Quos populus Romanus identidem cantitabat in eorum laudem, qui nece Caesaris a reipublicae cervicibus iugum servile deiecerant, aut in eorum contumeliam, qui publicam libertatem rursus opprimere cupiebant. Abram. *Versus* etiam retinuit Faërnus, Manutius, Lambinus, Muretus. Amsterdam. firmat *versus*. Propius abest a vera lectione Franc. et Colon. in quibus scribitur *cursus*, non *concursus*, ut est in meo codice et multis editis. Graevius. Male receperant *concursus* P. Man. MDXLI. Ferrett. Car. Steph. repet. Lamb. et Grut. probavitque Barbadorius. Peius dubitatione Gruteri et his adnotationibus nihil permotus id retinuit Verburgius. Rom. Ven. Ald. Naug. Cam. Lamb. Oliv. Lall. recte *versus*, et ita cum Vatic. uterque Barb. sed in secundo ita superadditur *concursus*, ut non delendum *versus*, at coniungendum potius cum vocabulo addito significetur. Garaton. Ern. et Schütz. *concursus*: ille damnat *versus*, quod nil simile uspiam repererit. Ego adsentior Garatonio ob causas ab eo adlatas. Teeg. *versus*.

Quid Pompeii statuae] Adeo populus Romanus amore pristinae libertatis exarserat, ut videns Pompeii statuam applauderet, et ipse Pompeio gratularetur. Abram.

Quid ii tribuni plebis, qui vobis adversantur?] Non *ii*, sed *iis*, omnes fere L. v. et recte, opinor: hoc enim membrum aptum ex superiori pendet, *Quid Pompeii statuae plausus infiniti? quid iis Tribunis plebis?* Quod autem populus Romanus plausum impartiri soleret Tribunis, caeterisque magistratibus; iis qui gratas ipsi causas complecterentur, atque agerent, ita notum est, ut testimonio scriptorum non indigeat. Ferrar. *Quid iis tribunis plebis*] Hic liber habet, *quid II.* quod nos interpretamur, *quid duobus*, ut sit, *quid duobus trib. pl. qui vobis adversantur?* qui autem fuerint hi duo, Cicero non dicit. Ego fuisse credo Epidium Marullum, et Caesetium Flavum: quos ob detractum per eos statuae Caesaris diadema ab eo potestate privatos, probabile est, resumpta eo mortuo potestate, Caesarianis adversatos fuisse. Faërnus. *Quid duobus tribunis plebis*] Duo Tribuni plebis Antonii et Dolabellae conatibus obstiterunt: cum enim Dolabella sibi Syriam et bellum Parthicum mandari a populo peteret, ὁ Ἀσπρήνας ἔφη διοσημείαν ἀταίσιον γεγονέναι, *obnuntiavit*

Asprenas, ut ait Appianus libro 3. Is autem fuisse videtur Asprenas ille Nonius arctius Octaviano Caesari iunctus, de quo Tranquillus in Augusto 56. et Seneca Rhetor non semel. Alter fuit Tiberius Canutius, qui Octavianum Caesarem primus omnium produxit in concionem, et πρότερον ἐδημηγόρει κατὰ τοῦ Ἀντωνίου, *prior pro concione invectus est in Antonium*, ut scribit Appianus libro 3. de quo etiam Dio 45. Octavius Tribunatum plebis petebat. *Prohibitus ab Antonio, ne sic quidem quievit, sed Tiberio Canutio persuasit, ut se in concionem produceret.* Vnde secuta est tanta offensio, ut *in concione dicere ausus sit Antonius, Canutium apud eos sibi locum quaerere, quibus se salvo locus in civitate esse non posset.* verba sunt Ciceronis ad Cornificium lib. 12. ad fam. epist. 23. Immemor tamen fuit beneficii Caesar: siquidem, capta Perusia, ut scribit Dio libro 48: CD *equites Senatoresque, cum alii, tum T. etiam Canutius*, etc. *ad aram superiori Caesari sacratam adducti et mactati sunt.* Velleius lib. 2: *Haec sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus aeternas Antonii memoriae inussit notas. sed hic fulgentissimo et coelesti ore, at Tribunus Canutius continua rabie lacerabat Antonium.* Abram. Cum de duobus tribunis mera sit coniectura Faërni, noluit eam recipere Muretus, et ipse Faërnus non *duobus* edidit, sed, ut in MSS. invenit, *quid II. tribunis plebis.* Graevius. Optima tamen est coniectura. Quoties enim his notis II. duo designantur? Fallax quidem iudicium est. Nam punctum non habit *i* in maioribus codicum antiquissimorum perpetuis litteris: in illis litterae II tam valent *duo*, quam *ii.* Postea in minore scriptura puncta vidi nonnullis in libris imposita etiam notis numerorum. Contra in plerisque, praesertim iis, qui non adeo recentes sunt, eadem illa vetustissima scribendi ratio servatur, ut ne littera quidem *i* sub puncto iaceat. Ita nihil huiusmodi punctorum habet Vaticanus, in quo ita hic est, *quidii. T. R. P.* nihil Romana editio MCDLXXI. quae hic dat, *II. Tr. pl.* cum MSis Colon. et Franc. Fallax igitur, ut dixi, iudicium. Et factum sane aliquando est, ut non modo nota II. verum etiam vox *duo* ex hac ambiguitate, ubi vera lectio erat *ii*, interpretando resideret. Vide Gronov. et Drak. ad Liv. IX. 17. Sed coniecturam Faërni confirmant etiam Ven. Ald. Naug. Cam. utraque Gryph. Barb. ambo, et alii codices, in quibus *ii*, aut *hi*, aut *hii:* quomodo MSi complures veram lectionem corruperant c. 4. post red. in Sen. *sed fuerunt duo Consules.* Mendosa plane sunt ista, quae libri plerique offerunt. Ferrarii codices mendo carent: eosque id maxime commendat, quod III. Phil. 9. Tribuni huius anni tres Antonio inimici nominentur. Sed ea Vaticani praestantia est, ut coniectura mendum illi detrahens vana existimari non debeat:

parumne haec significant, incredibiliter consentientem populi Romani universi volutatem? Quid? Apollinarium ludorum plausus, vel testimonia potius,

quae quidem non in eius immutanda scriptura, sed in latente verbo eruendo versetur. Quod verbum et in aliis eodem modo latere potest, et varietatum facile omnium fons existimari. Nec mirum, si duo tantum Tribuni plausum istum habuerint, haud illi quidem, quos putat Faërnus, sed Canutius ille, de quo Abram., et L. Cassius C. Cassii Praetoris ac τυραννοκτόνου frater, de cuius hoc ipso plausu XII. ad Div. 2. Nam hi duo laudantur multo copiosius. Graevium tamen laudo, quod in re incerta coniecturam excluserit, quam incertiorem Vaticani fecit inspectio. GARATONIVS.

Parumne haec significant] Videtur esse vox theatralis, quam pro Sextio frequenter usurpat. ut *Populi iudiciis atque omni significatione florebant*. cap. 50: *Haec populi Romani tanta significatio: sine ulla varietate universi.* nec non: *Eos omni populi Romani significatione decorari.* ABRAM. Ern. et Schütz. *significabant*, quod de re praeterita loquatur, quod non sic praefracte contendi potest. Quum nullus Codex aliam afferat lectionem, verisimilius est, praesens h. l. poni debere.

Quid Apollinarium ludorum plausus?] Sic omnes sine ulla omnino varietate tam scripti, quam impressi libri. et ego tamen et hos, et illos mendosos, atque ita esse corrigendos arbitror: *Lud. Ap.* vel *Apollinar.* id est ludis Apollinaribus sexto casu, ut hoc illi sit simile, *Gladiatoribus qua dominus, qua advocati sibilis conscissi. Ludis Apollinaribus Diphilus tragoedus in nostrum Pompeium petulanter invectus est.* Mendum autem (ut opinor) manavit ex inscitia librariorum, qui cum in has notas incidissent, *Lud. Ap.*, ita Ludorum Apollinarium interpretati sunt, quasi hoc explicandum sic esset, Plausus ludorum Apollinarium, vel testimonia potius et iudicia populi Romani, ac non potius hoc modo, Plausus vel potius testimonia et iudicia populi Romani Ludis Apollinaribus, qui datus erat. s. a populo Romano Bruti nomine commissione ludorum Ap. Quod autem eiusmodi per notas scriberentur, ita perspicuum est, ut confirmatione non egeat. Vnum tamen locum citabimus XVI. lib. epist. ad Attic. in quo etiam nunc extant horum, de quibus agitur, verborum notae: *Vt venationem etiam, quae postridie Lud. Apollinar. futura est, proscriberent.* Quod autem sequitur, *Vel testimonia potius et iudicia populi Romani?* o. l. v. *iudicia.* quod maiorem vim habet: siquidem haec fallere non possunt, illa possunt. nam illud, *Vobis parva esse videbantur?* sic o. l. v. *Parva vobis vide-*

ct iudicia populi Romani parum magna vobis videbantur? O beatos illos, qui, quum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen, et in medullis populi Romani ac visceribus haerebant! Nisi forte Attio

bantur? FERR. *Quid Apollinaribus ludis*] Brutus post necem Caesaris metu veteranorum et infimae multitudinis ex urbe se subduxerat, et cum Praetor Vrbanus esset, deberetque ludos Apollinares ad quintum Nonas Quintiles celebrare, his ludis eius loco praesedit C. Antonius, populusque Romanus plausu frequenti significavit, se magno Bruti absentis desiderio teneri, eumque sibi esse charissimum. ABRAM. *Apollinaribus ludis* receperunt P. Man. Car. Steph. et Lamb. sed contra ipsius Stephani codicem, ac Vaticanum, id est, plane contra omnes. In cod. Gronov. *vel* deest. GAR.

Plausus] De plausu theatrali frequenter egimus cum nostro Cicerone. ut pro Sextio: *His in theatro plaudebatur.* Ibid. *Theatrales gladiatoriique consessus dicuntur omnino solere, levitate nonnullorum, emptos plausus et exiles et raros excitare.* Ibidem: *Plausum immortalitatem, sibilum mortem videri necesse est.* ABRAM.

Parva videbantur] Antiquus liber: *parum magna videbantur.* FAERNVS. Id recepit Muretus, Faërnus, Lambinus. GRAEV. Cod. Graev. et uterque Barb. cum MSis Ferrar. *parva vobis videbantur?* Rom. Ven. Ald. Naug. Cam. utraque Gryph. *vobis parva esse videbantur?* ex qua lectione delerunt *esse* P. Man. Car. Steph. repet. Lamb. et Grut. Quoniam vero Faërnus Manutianis utebatur, ex eius adnotatione patebat, vocem *vobis* ne in Vaticano quidem defuisse. Itaque Lamb. dederat, *vobis parum magna videbantur?* Sed plane ad optimi libri fidem Olivetus, ex Mureto, *parum magna vobis videbantur?* Hunc ordinem, quem Ferr. et nostri MSi, quamvis depravati, confirmant, in Vat. ipse conspexi, et Lallem. etiam ab Oliv. habet. Sic porro *gloriam parum magnam* pro Marc. 8. GARATON. Legendum est: *parum magna vobis videbantur.* Ern. scripsit, *vobis parva videbantur*, Vat. exhibere quidem *vobis*, at nihil referre. Schütz. sequutus est Ern. Teeg. *parva vobis videbantur.* φ. ψ. *parva vobis.* Ien. *parva significabant.*

O beatos illos] Brutum, Cassium, caeteros, qui C. Caesari necem intulerunt, qui cum veteranorum metu abesse ab Vrbe cogerentur, ita tamen populo Romano erant chari, ut eius visceribus haerere viderentur. ABRAM.

Accio] Dixi, Tereum Accii tragoediam Apollinaribus actam fuisse. Cicero libro 16. ad Attic. epist. 2: *Delectari mihi Tereo videbatur, et habere maiorem Accio quam Antonio gratiam. Mihi autem, quo laetiora sunt,*

tum plaudi, et sexagesimo post anno palmam dari,

eo plus stomachi et molestiae est, populum Rom. manus suas non in defendenda rep. sed in laudanda consumere. et epist. 5: *Tuas iam litteras Brutus expectabat, cui quidem ego non novum attuleram de Tereo Accii: ille Brutum putabat. Sed tamen rumoris nescio quid afflaverat, commissione Graecorum frequentiam non fuisse.* Idem.

Sexagesimo post anno] L. Lang. et alii multi pro *post* habent *tum.* Livius libro VII, *Nisi quod pacis deum exposcendae causa tertio tum post conditam urbem lectisternium fuit.* Ferrarius. *Plaudi, et sexagesimo post anno palmam dari putabatis, non Bruto*] Pal. sec. *plaudi sexagesimo post anno, et palmam dari non putabatis Bruto.* Grut. *Nisi forte Accio tum plaudi et sexagesimo post anno etc.*] Nisi forte, cum illis ludis plauderetur, Accio poëtae, cuius tragoedia nomine Tereus exhibebatur, plaudi, eique sexagesimo anno, postquam scripta est ea tragoedia, palmam dari putabatis, non Bruto ludorum editori. Abram. Vide Variarum lectionum libellum. Graev. P. Man. primum Ferrario non immutanti vulgatam, sed *tum* proferenti, de more hoc recipiens, fuit obsequentior, quam ille ipse postulasset, eumque Car. Steph. est secutus, firmantibus duobus MSis Graev. et utroque Barb. Sed Lamb. revocavit *post*, ut Ald Naug. etc. dederant, ut habet Vatican. et Colon. aliique meliores codices, atque ut in Barb. sec. Politianus emendavit. Rom. et Ven. *post tum anno*, utraque lectione coniuncta. Aeque tamen rectum, ac *post*, id esse censeo, quod ex suis MSis notat Lamb. *demum*, et quod est in codic. Gronov. *tum demum.* Sed ex Vaticano edendum, *et sexagesimo post anno palmam dari, non Bruto, putabatis.* Garaton. Legendum igitur est: *sexag. post anno palmam dari, non Bruto, putabitis.* Ern. et Schütz. *putabitis, non Bruto.* Teeg. et Ien. *non putab. Bruto.* φ. et ψ. *non putabitis. Tum* post verba: *sexages. post,* quod est nonnullis in libris, omisit Ern. et reliqui, neque vero etiam in ullo codice a nobis collato reperitur.

Palmam dari] Palma signum victoriae. 5. Aeneidos:

> *Et palmae pretium victoribus.* —

Plutarchus libro 8. convivalium quaestionum hanc proponit: *Cur in sacris certaminibus aliud aliam habet coronam, sed palmam universa.* Cuius ille rei multas adfert rationes, quas ne in hac quidem brevitate velim praeterire. Una est, quam ipse non probat: *Non mihi verum dicere videntur, qui aequalitatem foliorum, quasi sibi repugnantium et concurrentium, aiunt quandam certaminis et pugnae*

non Bruto, putabatis; qui ludis suis ita caruit;

similitudinem adumbrare. Ait ipse, caussam esse perennem foliorum viriditatem, quam victoriae gloria debet imitari: *Neque enim ficum, aut olivam, aut aliam quamvis arborem earum, quae folia non amittere dicuntur, videmus iisdem semper foliis esse vestitam: sed aliis defluentibus, aliis supernascentibus, urbium instar unaquaeque arbor vivens perseverat. Palma vero nihil amittens eorum, quae ipsi innata fuerint, semper frondet.* Item: *Palmae lignum, si pondere desuper imposito presserit, non inferne tritum cedit, sed curvatur in contrarium quasi resistens vim inferenti.* Has ob caussas palmae dantur victoribus. Notae gladiatorum palmae. pro Roscio Amerino: *Plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator.* Notae oratorum, de quibus fuse in Coelianam diximus. Palmae etiam datae histrionibus et poëtis. De palma data poëtis intelligendus Maro 3. Georg.

Primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas.

Propertius lib. 4, eleg. 1:

— libris est data palma meis.

Et paulo post cum dixisset:

At tu finge elegos, fallax opus: haec tua castra:
Scribat ut exemplo caetera turba tuo, etc.

Subiecit:

Nam tibi victrices, quascunque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas.

Terentius prologo Phormionis de quodam maledico poëta:

Is sibi responsum hoc habeat: in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.

περιφραστικῶς, inquit Donatus, pro *qui comoedias scribunt.* De palma histrionum Plautus prologo Amphitruonis:

Nunc hoc me orare a vobis iussit Iupiter,
Vt conquisitores singuli in subsellia
Eant, per totam caveam spectatoribus
Si cui favitores delegatos viderint,
Vt his in cavea pignus capiantur togae.
Sive etiam qui ambissent palmam histrionibus,
Sive qui ipsi ambissent, seu per internuntium,
Sive adeo aediles perfidiose cui duint,
Sirempse legem iussit esse Iupiter,
Quasi magistratum sibi alterive ambiverit.

E quibus vides, palmas non solum datas histrionibus fuisse, sed etiam datas Ædilium iudicio. Rursum prologo Poenuli:

Quodque ad ludorum curatores attinet,
Ne palma detur cuiquam artifici iniuria, etc. Abram.

Qui iis ludis ita caruit] L. Lang. *quid iis suis.* Gad. et Col. *qui ludis suis.* quam veram germanamque scripturam arbitror.

ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribuerit absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret.

Sic enim loquebantur antiqui, ut dicerent *ludos tuos*, quos tu feceras: *ludos suos*, quos ille fecerat. Cicero pro domo sua, *Qui antea voce praeconis a liberis semovebantur, tuis ludis non voce, sed manu liberos a se segregabant.* et in epist. ad Attic. *Vt spectem ludos suos.* Ferrarius. *Qui his ludis*] Sive hoc a me, sive a librariis peccatum est, legi debet, *qui suis ludis*, et ita in veteribus libris legitur. Muretus. Verissime. Et eo alludunt MSS. in meo est *qui dis suis.* In Amsterd. *qui suis caruit.* Sed in Franc. est liquido, *qui ludis suis.* Cur *suis* in novissima editione omiserint, ignoro. Graevius. *Qui ludis suis*] Ita Regii codices quatuor cum Graevianis. Vulgo, *qui his ludis.* Lallem. Nimirum Olivetus redierat cum repet. Lamb. ad veterum editorum lectionem, quam vidi etiam in utroque Barb. Omissa erat a Grutero vox, in qua variatur, sed is certe alterutram voluit: neutrum tamen Iac. Gronov. et Verburg. reddiderunt. Puto Gruterum in repetitione Lamb. qua utebatur, *iis* delevisse, ut *suis* reponeret, vitio postea, vel suo, vel operarum nihil substitutum fuisse. Sed *ludis suis* habet etiam cod. I. F. Gronov. idque a P. Man. et Car. Steph. receptum, firmante Vaticano, ad Lamb. pervenit. Garaton. *Suis* habent etiam Ern. et qui eum sequuti sunt, habent item Teeg. Ien. ψ. et φ. Guelf. ab Ern. usurpatus.

Desiderium liberatoris sui] Dolorem, quem ex absentia Bruti, a quo, morte Caesaris, in libertatem fuerat assertus, capiebat. Abram.

Plausu et clamore leniret] *Lenierit*, non *leniret*, tres l. v. quod probo: ut tempori tempus respondeat. est enim supra *tribuerit.* Ferrar. *Studium P. R. tribuerit absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore lenierit*] In antiquo libro est *leniret.* quemadmodum prius in vulgata erat. Sed hoc amplius is liber habet, *tribuerit ut absenti.* quae duae postremae voces si ordine praepostero collocentur, bene habere hunc locum puto. turbat me tamen illa vox *studium:* quae si detraheretur, multum gratiae huic loco accederet; quem, ut a te statim aestimari possit, subiecimus, *qui ludis suis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo populus Romanus tribuerit absenti, ut desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret.* Antonius Augustinus Episcopus Ilerdensis retinet vocem *studium.* sed addit particulam *id*, ut sit, *id studium.* Faernus. *Tribueret absenti*] Ita in illo omnium optimo libro scriptum repperi, et postea, *leniret:* non, ut in aliis, *tribuerit,*

et, *lenierit.* qui autem habent aures oratoriis numeris assuetas, non ambigent, utro modo mollius ac suavius cadat oratio. MVRETVS. *Studium populus Romanus tribuerit absenti, desiderium etc.*] Diu multumque dubitavi, quo pacto hunc locum edendum curarem, quia Faërnum et Muretum, quibus antiquae scripturae Vatic. testibus utimur, hic pugnantia loqui video. Faërnus enim ait, scriptum esse in optimo illo libro, *ut in illo app. spect. studium populus Romanus tribuerit absenti, ut* etc. *leniret.* Muretus autem sic, *ut in illo app. sp. stud. pop. R. tribueret absenti, desiderium* etc. *leniret.* utri credam, cum alterum necesse sit falsum dicere? utrique non possum, cum duo contraria non possint simul esse vera. Neutri igitur potius. Nam *tribuerit* reperitur in libris vulgatis. hos igitur olim in hoc secutus sum, non antiquum illum, quamvis hi eo ipso cum illo consentiant, si Faërno credimus. addideram tamen particulam *ut*, quam Faërnus etiam in illo libro reperiri confirmat: de qua Muretus nullum verbum. Non displicet mihi porro Faërni sententia existimantis, vocem *studium* delendam esse, ut alienam. verumtamen nihil muto. Assentior autem Mureto, mollius et suavius casuram orationem, si ita legamus, *clamore leniret:* quia lectione probata, supra legendum erit, *tribueret.* quam nunc scripturam sequor. LAMBINVS. *Vt in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribueret absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret*] Ita hic quoque locus legitur in libro Vaticano, in quo est *tribueret*, non, ut Faërnus edidit, *tribuerit.* F. VRSINVS. *Leniret* est etiam in Coloniensi et aliis libris cum editis, tum scriptis calamo. Vaticanum vero codicem cum inspexerit etiam Vrsinus, non est diutius de Mureti fide dubitandum cum Lambino. GRAEV. Hanc dissensionem ab Vrsino putabam esse compositam. Sed, Vaticano consulta, eius diligentiam desideravi. Optimum librum interpolatum esse vidi: eaque res omnibus fraudi fuit. Facile tamen fuit animadvertere, hoc ei contigisse, ut manus recentior ex *tribuerit absenti* fecerit *tribueret absenti.* Facinus imperitum. Haec temporum varietas, *tribuerit, leniret*, absurda est visa Vaticani emendatori, et Mureto: item Ferrario, qui ex tribus MSis similem imperitorum audaciam passis *lenierit* arripiens, alia ratione tempora aequabat. Ferrarium P. Manutius et Car. Stephanus audiverant, eiusque postea lectio per Lambini repetitores, Grut. et recentiores invaluit. Mureti saltem, Lambini, et Graevii iudicium non contempsissent. Sed eiusmodi temporum varietates et Latinas, et Tullianas esse, nunc iam viri docti fatentur. Sic Velleius I. 9. 1. *Nam biennio adeo varia fortuna cum Consulibus conflixerat, ut plerumque superior fuerit, magnamque partem Graeciae*

Equidem is sum, qui istos plausus, quum a popularibus civibus tribuerentur, semper contempserim: idemque quum a summis, mediis, infimis, quum denique ab universis hoc idem fit, quumque ii, qui ante sequi populi consensum solebant, fugiunt: non plau-

in societatem suam perduceret. Lipsius coniiciebat, *perduxerit:* sed MSos defendit Wopkensius III. Lect. Tull. 7. p. 279. Itaque non est dubitandum, quin Vaticani scriptor, uterque Barb. cod. Gronov. aliique plurimi, et mei omnes ante P. Man. editi optime dederint, *tribuerit, leniret.* Etiam Ferrettus male, *lenierit.* Est porro utique in Vatic. *ut absenti*, quo ex mendo Faernus ansam coniiciendi arripuerat, sed particula *ut* punctis fuit ab ipso scriptore subnotata: quam ex marginibus intrusam puto, cum ad sequentia aut subaudiri, aut addi debere aliquis adnotasset. Nemo vero admonuit, in Vatic. esse, *studium suum:* sic tamen, ut *suum* eadem illa manus recentior addiderit: quod, quamvis hoc loco gratum esse possit, infirmum est admodum, atque suspectum. Vide supra ad c. 4. Sed Mur. et Vrsin. qui hunc emendatorem magni fecerunt, id praeterire non debuerant. GARATONIVS. Suo more dicit Ern. latinitatem hic requirere imperfecta. Teeg. Ien. φ. et ψ. habent *tribuerit – leniret;* item codd. ab Ern. collati, Guelf. et Huydecoop.

Equidem is sum] Legunt alii, et fortasse melius: *Equidem is sum, qui istos plausus, cum popularibus tribuerentur, semper contempserim.* Id est, nunquam plausus, cum hominibus populares auras et gratiam aucupantibus tribuuntur, magnifaciendos putavi. ABRAM. *A popularibus civibus*] Delenda videtur praepositio, quam ignorat unus e Regiis codicibus. LALLEM. Hanc praepositionem ab aliis omitti Lambinus, a MSis nonnullis Graevius etiam notaverat. Eam vero Vaticanus ignorat: sed recte adest in ceteris, quos vidi, libris. Opponuntur haec, *a popularibus civibus, ab universis.* Sequentia sic explico: *cumque ii* (Vat. *hi*), *qui ante sequi populi consensum solebant*, cum populares, non quibus plausus tribuebatur, sed qui duces erant, et principes huiusmodi plausus dandi, et multitudinis non recte sentientis consensum adulabantur, nunc populi optima probantis consensum *fugiunt*, seque ab eo distrahunt et segregant. Mendose cod. Gronov. *equidem istum, qui etc. contempserit.* GARATON.

Qui ante sequi populi consensum solebant] Idem ego, qui semper contempsi plausus illos, qui ab infima multitudine spe largitionis corrupta hominibus levibus et popularibus tribuuntur, ego, inquam, idem plausus, qui a Senatu, populo, equestri ordine, qui a summis, a mediis, ab infimis

sum illum, sed iudicium puto. Sin haec leviora vobis videntur, quae sunt gravissima: num etiam hoc contemnitis, quod sensistis, tam caram populo Romano vitam A. Hirtii fuisse? Satis enim erat, probatum illum esse populo Romano, ut est; iucundum amicis, in quo vincit omnes; carum suis, quibus est carissimus; tantam tamen sollicitudinem bonorum, tantum timorem in quo meminimus? certe in nullo.

exhibentur, semper magnifaciendos putavi, et huiusmodi plausus non inanes esse arbitror, sed esse certissima iudicia existimationis, quam populus universus concepit de illorum virtute, quibus applauditur: cum praesertim ii, qui prius aucupabantur plausus populares, iam refugiant illum populi consensum, nec ausint theatro se committere, veriti ne sibilis explodantur. ABRAM.

Vitam A. Hirtii fuisse] A. Hirtius Consul designatus in annum sequentem, eo pene ipso tempore, quo habita est haec oratio, in morbum inciderat, a quo vix convaluit ante Kalendas Ianuarii, quibus cum Pansa iniit consulatum. Et eum quidem saltem ad mensem Maium valuisse certo colligitur e multis epistolis libri 15. ad Atticum. At libro 12. ad familiares epistola 22. post XIII. Kalendas Ianuarias data, *Hirtius*, inquit, *noster tardius convalescit*. Ostendit igitur populus Romanus, charam sibi vitam A. Hirtii aegrotantis fuisse, votis, opinor, pro eius salute et incolumitate susceptis, ut quondam pro Cn. Pompeii valetudine susceperat. IDEM.

Satis enim erat] Antiquus liber, *Satis erat enim;* nos putamus legendum, *Satis erat ei;* non tamen mutamus. Hirtius autem per *t* scriptum est in antiquis monumentis et libris, utpote deductum ab *Hirto:* (non ab *Hirco*) ut quidam volunt, qui hoc nomen per *c* perperam scribunt. FAERNVS.

Carum suis, quibus est ipse carissimus] *Ipse* delendum est, omnibus lib. antiquis auctoribus. et certe supervacaneum est. FERRARIVS. *Quibus est ipse carissimus*] Vocem *ipse* delet Ferrarius: idque se facere ait, omnibus antiquis libris auctoribus. ego eam in illo, qui mihi dux fuit ad hasce emendationes, repperi: neque tollendam iudicavi. MVRETVS. Abest *ipse* a Barb. etiam utroque, sed in sec. superadditur a collatore. Mureto autem ne Lamb. quidem adsensus est. Infra recte *de vestra vita* emendatur in Barb. sec. ut ex Ferrario iam editur, probante Barbadorio. GAR.

Tantum timorem omnium] In antiquo libro non est vox *omnium;* quae supervacanea est, et sine gratia. FAERN. *Omnium*

Quid igitur? Hoc vos, per deos immortales! quale sit, non interpretamini? Quid eos de vestra vita cogitare censetis, quibus eorum, quos sperant rei publicae consulturos, vita tam cara sit? Cepi fructum, Patres conscripti, reversionis meae: quoniam et ea dixi, ut, quicumque casus consecutus esset, exstaret constantiae meae testimonium, et sum a vobis benigne ac diligenter au-

abest etiam a Coloniensi. Graev. Cur ergo non expunxit? hic enim timor non plane omnium fuit, sed bonorum. Itaque Muret. ac Lamb. optime hanc vocem omiserant. Gar. *Omnium* expungendum est. Ern. quanquam dicit, de bonis haec tantum intelligenda esse, tamen, quod sic concinnius dictum sit, *bonorum—omnium*, retinet, quod reiiciendum esse merito suspicatur.

Quid eos de nostra vita cogitare censetis?] O. l. scripti *vestra.* quod verum est. Dolabellam enim et Antonium designat. est autem argumentum a contrario: Si populo Romano eorum vita est carissima, quos sperant pro republica ac sua libertate propugnaturos, quid de vestra cogitare arbitramini? quos videt contra se suis opibus uti, nihilque praetermittere, quin rempublicam opprimatis, ipsi iugum servitutis imponatis. Ferrarius. In Vaticano reperi: *quid eos de vestra vita cogitare non censetis.* Mihi potior vulgata est. Gar.

Cepi P. C. reversionis meae fructum] O. l. v. *Cepi fructum P. C. reversionis meae.* Ferrar. *Cepi P. C. reversionis meae fructum*] Duas rationes exponit, cur gaudeat, se ex instituta profectione in Graeciam rediisse, fructumque ex illa reversione perceperit. Altera est, quod libere locutus esset, suamque voluntatem testatus fuerit in rempublicam, ut, quicunque tandem eventus consecuturus sit, omni posteritati prodat, se pro viribus adversatum fuisse eorum furori, qui publicam libertatem perditum ibant. Altera, quod fuerit a Senatu benigne ac diligenter auditus, in qua et suam gratitudinem ostendit, et brevi Senatorum laude in eorum benevolentiam pedetentim irrepit. Abram. Vatic. et Barb. ambo cum Ferr. MSis consentiunt. Gar.

Quoniam ea dixi] Interpone copulam, hoc modo, *quoniam et ea dixi.* Faernus. Et sic Faërni, Mureti, Lambini et Manutii edd. Graev.

Extaret conscientiae meae testimonium] Antiquus liber *constantiae meae.* quod et rectum puto. quem enim locum hic habet *conscientiae?* at contra *constantia* Ciceronis fuit, et in profectione et in reditu eundem semper fuisse, et ad utilitatem reip. cuncta retulisse. Faernus. Nihil verius. Si Faerni notas et eius editionem vidisset Gruterus, non tulisset *conscientiae*, quod his

ditus. Quae potestas si mihi saepius sine meo vestroque periculo fiet, utar. Si minus, quantum potero, non tam mihi me, quam rei publicae reservabo. Mihi fere satis est, quod vixi, vel ad aetatem, vel ad gloriam. Huc si quid accesserit, non tam mihi, quam vobis, reique publicae accesserit.

locum nullum habet. *Constantiae* est quoque in Coloniensi. Graev. Recentiores duobus optimis codicibus merito cum Lamb. et Graevio paruerunt. Respiciuntur superiora c. 4. *si quid mihi humanitus accidisset, huius tamen diei vocem testem reip. relinquerem meae perpetuae erga se voluntatis.* Mox in Barb. sec. notatur, alios habere, *et nunc me benigne ac diligenter audistis.* Gar.

Quae potestas] Officium suum reipublicae pollicetur: si, inquit, mihi potestas fiet saepius de republica dicendi, ea potestate utar, veniamque in Senatum: sin autem Antonius armatis militibus Senatum obsederit, mihique struxerit insidias, in Senatum non accedam, sed mihi diligenter cavebo, non timore mortis, sed amore reipublicae, quae meis consiliis restitui poterit, cum arma extorta fuerint de manibus Antonii. Abram.

Mihi fere satis est] Reddit rationem, cur se non sibi, sed reipublicae conservare velit, quia nihil habet in vita, quod sui ipsius caussa magnopere desideret: quippe qui iam annos duos et sexaginta vivendo exegerit, et tum eloquentia, tum decursis honoribus, tum etiam rebus gestis fuerit consecutus, ut iam nihil supersit, quod ipsi in vita expetendum esse videatur. Epistola 1. ad Plancum: *Mihi maximae curae est, non mea quidem vita, cui satisfeci vel aetate, vel factis, vel (si quid etiam hoc ad rem pertinet) gloria: sed me patria sollicitat: imprimisque, mi Plance, expectatio consulatus tui,* etc. Cestius Declamator apud Senecam: *Si ad desiderium populi respicis, Cicero, quodocunque perieris, parum vixisti: si ad res gestas, satis vixisti: si ad iniurias fortunae, et praesentem reipublicae statum, nimium diu vixisti: si ad memoriam operum tuorum, semper victurus es.* Abram. Vat. *qui mihi satis est.* Recte abest, *fere;* sed *qui* aliud nescio quid videtur abscondere. Gar.

EVENTVS ORATIONIS.

Philipp. 5: *Locutus sum de republica minus equidem libere, quam mea consuetudo: liberius tamen, quam pericula minaeque postulabant. At ille homo vehemens et violentus, qui hanc*

consuetudinem libere dicendi excluserat, etc. inimicitias mihi denuntiavit: adesse in Senatu iussit ad XIII. *Kal. Octob. Ipse interea decem et septem dies de me in Tiburtino Scipionis declamavit, etc. Cum is dies, quo me adesse iusserat, venisset, tum vero agmine quadrato in aedem Concordiae venit, atque in me absentem orationem ore impurissimo evomuit. Quo die, si per amicos mihi cupienti in Senatum venire licuisset, caedis initium fecisset a me, sic enim statuerat. Cum autem semel gladium scelere imbuisset, nulla res ei finem caedendi nisi defatigatio et satietas attulisset.* Abram.

IN
M. ANTONIVM
PHILIPPICA SECVNDA.

ARGVMENTVM P. MANVTII.

Habita a Cicerone IV. *Non. Sept. oratio prima in Antonium, ille se in villam Tiburtinam contulit, ibique dies septemdecim, quod Ciceroni responderet, commentatus est.* XIII. *Kal. Oct. habito senatu in absentem Ciceronem, qui se tuto adesse non posse intelligebat, quae cogitaverat, evomuit. ei Cicero hac oratione respondit: quo die, si quaeritur: eo, dicam, qui quartum diem ludorum Romanorum in circo proximus est consecutus. id Cicero ipse docet his verbis:* Nescis, heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus praeterea dies Caesari tribueretur? cur non sumus praetextati? *Is igitur dies, ut ex Romano vetere Kalendario liquet,* XIII. *Kal. Oct. fuit. quo ipso die in Ciceronem Antonius est invectus. ita videtur praesens praesenti Cicero respondisse. quod ipse negat. Phil.* 3: Hunc ego, *inquit,* diem expectans M. Antonii scelerata arma vitavi, tum, cum ille in me absentem invehens non intelligebat, quod ad tempus me et meas vires reservarem: si enim tum illi, caedis a me initium quaerenti, respondere voluissem; nunc reip. consulere non possem. *Et Phil.* 2: Adesse, *inquit,* in senatu iussit ad XIII. Kal. Oct. ipse interea septemdecim dies de me in

Tiburtino Scipionis declamitavit. cum is dies, quo me adesse iusserat, venisset: tum vero agmine quadrato in aedem Concordiae venit, atque in me absentem orationem ex ore impurissimo evomuit. quo die si per amicos mihi cupienti in senatum venire licuisset; caedis initium fecisset a me: si enim statuerat. *Et epist. 2. lib.* XII. *ad Cassium:* Caedem gladiator quaerit, eiusque initium ad XIII. Kal. Oct. a me se facturum putavit. at quam paratus venerat, cum in villa Metelli complures dies commentatus esset. *Cum igitur et affuisse in senatu* XIII. *Kal. Oct. et idem non affuisse videatur: quaerenda ratio est, quomodo pugnantes inter se loci conciliari possint. Cum se non affuisse dicit, vere dicit: saluti enim consulendum censuit. Rursus, cum affuisse videtur, imago quaedam veritatis, non ipsa veritas quaeritur: ut, quae oratio domi per otium scripta est, non in senatu habita, in ea legantur illa ipsa, quae Cicero, si in senatum venisset, Antonio respondens locutus esset. Putemus igitur, id quod res est, fictam esse hanc orationem, sed ita legatur tamquam vera. ita omnis dubitatio de die, quo sit habita, cum habita numquam sit, auferetur. Genus idem est, quod superioris. Purgat se primum adversus Antotonii calumnian, et ita purgat, ut omni eum loco non leviter pungat: deinde singulas eius vitae partes, a puerili praetexta exorsus, vehementer exagitat. nam illa brevis adhortatio, ut resipiscat, postremo loco reservata, diffidentis est, ab officio boni civis erga rempublicam profecta, minima tamen, vel nulla potius cum spe coniuncta.*

ARGVMENTVM ABRAMII.

De hac oratione Iuvenalis Sat. 10:

Eloquium ac famam Demosthenis ac Ciceronis
Incipit optare, et totis quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno parcam colit asse Minervam:
Quem sequitur custos angustae vernula capsae.
Eloquio sed uterque periit Orator, utrumque

Largus et exundans letho dedit ingenii fons.
Ingenio manus est et cervix caesa: nec unquam
Sanguine caussidici maduerunt Rostra pusilli.
O fortunatam natam me Consule Romam:
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. Ridenda poemata malo,
Quam te conspicuae divina Philippica famae,
Volveris a prima quae proxima. ——

I. Quonam meo fato, Patres conscripti, fieri dicam, ut nemo his viginti annis

Quonam meo fato] Librarii errore factum puto, ut in optimo illo libro, pro *fato*, *facto* legatur. MVRETVS. *Quonam meo fato*] Exordium ex abrupto per dubitationem, quo caussas inquirit, cur, ex quo tempore remp. penitus ingressus est, et adeptus est Consulatum, nemo remp. turbare et civitatis statum convellere conatus fuerit, qui non palam professus fuerit, se nominatim esse Ciceronis inimicum.

Fato: quid sit fatum, videri poteri e variis definitionibus, quae a gravibus scriptoribus proferuntur. ABRAM.

His annis viginti] Qui fluxerunt ab ipsius consulatu ad Caesaris caedem. Quoniam autem Ciceronis orationes explicanti necessaria est huius Chronologiae cognitio, pretium operae fuerit per Consules horum annorum seriem contexere.

Anno V. C. 690.	M. Tullius Cicero.	C. Antonius.
691.	D. Iunius Silanus.	Luc. Murena.
692.	M. Puppius Calpurnianus.	M. Valerius Messala.
693.	Q. Metellus Celer.	Luc. Afranius.
694.	C. Iulius Caesar.	M. Calpurnius Bibulus.
695.	L. Calpurnius Piso.	Aul. Gabinius.
696.	P. Lentulus Spinther.	Q. Metellus Nepos.
697.	C. Cornelius Lentulus Marcellinus.	L. Marcius Philippus.
698.	Cn. Pompeius Magnus II.	M. Licinius Crassus II.
699.	App. Clodius Pulcher.	L. Domitius Ænobarbus.
700.	Cn. Domitius Calvinus.	M. Valerius Messala.
701.	Cn. Pompeius Magnus III.	
702.	M. Claudius Marcellus.	P. Servius Sulpitius Rufus.
703.	L. Æmilius Paulus.	C. Claudius Marcellus.
704.	Luc. Cornelius Lentulus.	C. Claudius Marcellus.
705.	C. Iulius Caesar II.	P. Servilius Isauricus.

rei publicae fuerit hostis, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? Nec vero necesse est a me quemquam nominari. Vobiscum ipsi recor-

706. Q. Fufius Calenus.	P. Vatinius.
707. C. Iulius Caesar III.	M. Æmilius Lepidus.
708. C. Iulius Caesar IV.	
709. C. Iulius Caesar V.	M. Antonius.

Quo anno occiso Caesari Idibus Martii P. Cornelius Dolabella Consul in reliquum annum suffectus est. Alii Chronologi Tullii consulatum anno ab V. C. sexcentesimo nonagesimo primo assignant. Idem.

Reip. hostis fuerit] *Fuerit hostis*, o. s. l. Ferrarivs. Sic et mei aliquot. Graev. Ienensis codex membranaceus, quem Graevianum esse quidam dicunt, *his viginti annis reip. fuerit hostis*. Ioh. Michael Hevsingervs. Etiam Vatic. et Barb. ambo, *fuerit hostis*, quod unus recepit Heusing. post Graev. qui primus receperat. Gar. *fuerit hostis* Cod. Guelf. ab Ernestio collatus.

Qui non bellum eodem tempore] L. Lang. *Ex eodem tempore*. Ferrarivs.

Nec vero necesse est a me quenquam nominari vobis: cum ipsi recordemini] *Recordamini*, o. s. l. quorum quidem consensus fecit, ut putarem ita scribendum esse, *Nec vero necesse est a me quenquam nominari, vobiscum ipsi recordamini.* nam statim loci illius pro Coel. venit in mentem, *Ex quibus neminem mihi necesse est nominare, vosmet vobiscum recordamini.* Et pro Mur. *Nolite a me commoneri velle, vosmet ipsi vobiscum recordamini.* Opinionem meam Colotianus liber comprobavit. Idem. *Cum ipsi recordemini*] Vetus liber, *recordamini*, idque verum censeo. ita enim saepe optimos scriptores locutos animadverti. quod autem Ferrarius coniunctim legit, *vobiscum*, mihi quidem nullo modo probatur. Mvretvs. *Recordemini* merito repudiavit Graevius: qui vero Mureti interpunctionem retinere non debuit. Nam *secum recordari* familiarissimum est Ciceroni. Vide V. Epist. 17. XV. 21. et alibi. Omnem dubitationem tollunt illa pro Coel. 18. et pro Mur. 18. Hevsing. Subtilius est Mureti iudicium, et elegantius, quam putatur. Vidit enim, *cum ipsi recordamini*, facile corrumpi ab iis potuisse, qui *cum* pro *quoniam* positum non intelligerent, quem sensum illius interpunctio restituit. Vide ad c. 36. pro Mil. Cum itaque sensus ille locum hic suum tueri facile possit, non video, cur sint Graev. Verb. et Lallem., qui Mureto adhaeserunt, reprehendendi: quamvis Ferrarium sequi tutius fortasse sit, ut fecerunt P. Man. Car. Steph. Faern. Lamb. Barbador. et Grut. Rediit Olivetus imme-

demini. Mihi poenarum illi plus, quam optarem, dederunt; te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere. Atque hoc in aliis minus mirabar. Nemo illorum inimicus mihi fuit voluntarius: omnes a me rei publicae causa lacessiti. Tu,

rito ad lectionem olim a Ferrario reiectam. Barb. prim. *cum vos ipsi recordemini*, sec. *vobiscum ipsi recordemini*. Garaton. Ferrarii et Manutii interpunctionem Ern. et Schütz. sequuti sunt. Eandem interp. exhibet Teeg. et Ien. Guelf. ab Ern. inspectus sequitur Mureti interpunctionem.

Mihi poenarum illi plus] Commode initio humanitatis et clementiae specimen exhibet: quas autem reipublicae et Ciceroni poenas exolverint, palam est ex eorum temporum historiis. Catilina contra patriam signa inferens a Petronio C. Antonii legato victus, multis telis confossus et inter corporum acervos inventus est. P. Clodius in Appia via a servis Milonis occisus est. Abram.

Quam optarem] Ien. *optarent*, male. Heumannus mallet *optaram*. Similis locus pro Mil. 13. pr. Havsing. Etiam Ern. mavult: *optaram*; at non opus est ulla correctione.

Quorum facta imitere] Meus codex, *quorum facta imitare*, quod praeferrem vulgatis. Graevius. Favet mirifice Graevio Isidorus II. Orig. 9. exhibens, *quorum exempla imitaris, eorum exitus non pertimescere*. Sed nimium hic memoriae confidit, qui tantopere a vulgata recessit, quam totam cum reliquis libris omnibus etiam Cassiodorus servat Rhet. Capp. p. 373. Potest autem hoc *imitere* multis et notis exemplis abunde muniri. Dion XLV. 47. τὰ ἔργα αὐτοῦ μιμούμενος. Garaton.

Eorum exitus] Dio libro 45. Ciceronem ita loquentem inducit, facta prius Cinnae mentione: *Et hoc in Antonio miror, quod, cuius facta imitetur, eius exitum non perhorrescat*. Nazianzenus orat. de modestia in disserendo: *Quorum audaciam fugiamus, neque desperationem imitemur, neque exitum sortiamur*. Hieronymus epistola ad Ctesiphontem adversus Pelagium: *Nec fieri potest, ut diversus sit eorum exitus, quorum est una sententia*. Plutarchus in Pompeio de lege Gabinia, et mittendo contra piratas Pompeio disserens: *Et alter e consulibus Pompeio dicens, fore, ut, qui Romulum imitetur, eundem cum illo exitum sortiatur, a plebe propemodum occisus est*. Abram.

Omnes a me reipublicae caussa lacessiti] Id oratorie magis quam vere dictum videtur ad cumulandam Antonio invidiam. Prius enim Catilina, coniuratis in domum M. Porcii Leccae convocatis, statuerat interficere Ciceronem, quam in eum Cicero inveheretur;

ne verbo quidem violatus, ut audacior, quam L. Catilina, furiosior, quam P. Clodius, viderere, ultro maledictis me lacessisti: tuamque a me alienationem commendationem tibi ad cives impios fore putavisti.

in Senatu. Clodius autem lacessitus a Cicerone, cum Cicero testis in Clodium de pollutis religionibus productus est. de quo vide Plutarchum in Cicerone, et Ciceronem ipsum lib. ad Atticum primo. Idem. Sed, ut alia mittam, Cicero Catilinae vehementer obstiterat, ne Consul fieret proximis comitiis, quibus Murena et Silanus designati fuerant. Gar.

Quam L. Catilina] Ien. *vel Catilina*, L. in *vel* mutato. Graevius utrumque expunxit, quamvis sequatur, *P. Clodius*. Heusing. Lamb. notavit ad marg. Catilinae praenomen ab aliis omitti. Quicumque fuerint, id ego cum Barb. ambobus, et meis omnibus ante Graev. editis restituo. Barbador. et Catilinae, et Clodii praenomen delebat, nescio, an duce Faërno; utrumque ignorat etiam Aldi nepotis editio: idque magis placeret. Atque adeo in Vaticano neutrum praenomen fuit a manu prima positum: sed manus recentior utrumque superposuit: eamque manum vulgatis adstipulantem Muretus est secutus. Garaton.

Tuamque a me alienationem ad cives impios tibi gloriae fore putavisti] Sic l. Col. *Tuamque a me alienationem commendationem tibi ad impios civeis fore putavisti.* Quem ut sincerum putem, non solum id fecit, quod nec id verbum eiusmodi est, ut ipsum quivis referre potuerit, et is liber ex omnibus minime mendosus est, atque huic unum atque alterum librum (ut ita dicam) subscribentem postea reperi: sed illud etiam, quod in Lang. multisque aliis libris ita scriptum offendi, *Tuamque a me alienationem tibi ad impios cives fore putavisti.* Quo animadverso, pro certo habui id verbum, *gloriae.* s. ab aliquo esse suggestum, qui huic periodo aliquid deesse vidisset. Eandem autem rem iisdem fere verbis dixit in v. Phil. *Neminem me aequiorem reperiet, cui quidem, dum se civibus impiis commendat, inimicus esse, quam amicus maluit.* Nonnulli pro *ad*, *apud* reponunt. quasi vero *ad* non valeat *apud*, aut, cum habet eandem vim, non ita valde usitatum sit. sexcentos locos proferre possem, sed ne multus sim in re minime dubia, ero contentus uno in ep. ad Attic. qui huic geminus ac simillimus est, *Quae etiam ad caeteros contempti cuiusdam hominis commendatio.* Ab eadem inscitia depravatus ille locus est in III. comm. belli Gallici, *Quod nomen apud omneis nationes sanctum inviolatumque semper fuisset.* In veteribus enim libris

Quid putem? contemptumne me? non video

non *apud*, sed *ad* scriptum est. Ferrarius. *Commendationem tibi ad impios cives*] *Apud impios* Ant. Augustinus. F. Ursinus. *Tuamque a me alienationem tibi ad civeis impios gloriae fore putasti*] Retinui lectionem vulgatam; quae item restat in Pal. prim. Ferrarii emendatio, *alienationem commendationem tibi ad imp. civ. fore putavisti*, resipit sane glossam, alteraque tantundem valet. Grut. Sane et pater ex ms. notavit *tibi ad impios cives fore commendationem putavisti:* et cap. 3., *quod quidem cuius.* cap. 4, *hic isto.* et *quanta iam.* et *crimen meum.* Gronov. Requiro hic iudicium Gruteri. Nihil certius emendatione Ferrarii, ex MSS. hausta, quam iure probarunt in suis editionibus Muretus, Faërnus, Manutius, Lambinus. Graevius. Dubitandum non videbatur, quin idem in Vaticano esset, quod in Colotiano Ferrarius, in Coloniensi Graevius invenit. Nunc testor, in eo sic legi: *commendationem tibi ad impios civis fore putavisti.* Mei deteriorem lectionem habent: tantum Barb. sec. haud scio, an melius, *putasti.* Infra: *non existimavit sui similibus probari posse, se esse hostem patriae, nisi mihi esset inimicus.* Non igitur gloriam quaesivit, sed commendationem ac fidem. Drakenborchium miror ad Liv. III. 48. lectionem deteriorem illam maluisse; qua quidem ipsa est abusus, eam alienationem a Tullio *ad cives impios* ita intellexit, ut, ad quos transierit Antonius, significari putaverit. Nam in ea quoque lectione *ad* valuisset *apud*, ut gloria significaretur apud eos quaesita, quorum benevolentiam captabat Antonius. Garaton.

Quid putem?] Dubitatio rhetorica, et subiectio, qua singulas causas inquirit, ut a confutatione reliquarum possit ad veram devenire. Eae autem causae quatuor subesse potuerunt Antonio. 1. Contemptus Ciceronis adversarii. 2. Auditorum benevolentia in Antonium, odium in Ciceronem, quae si fuissent, Antonii fiduciam exaggerare potuissent. 3. Quaedam aemulatio dicendi. 4. Studium probandi odii sui contra rempublicam. Abram.

Non video] Primam caussam confutat, petitam a contemptu. Confutat autem inductione, et remotione caussarum, quae ipsum Antonio despicabilem facere potuissent. *In vita*, in privata ratione vivendi, et domesticis officiis. *In gratia*, auctoritate, et benevolentia civium, quam sibi labore, industria, benevolentia, humiliorum patrocinio aliisque virtutibus compararat. *Nec in rebus gestis*, in administratione reipublicae rebusque praeclare gestis in quaestura Siciliensi, in aedilitate curuli, praetura urbana, consulatu, proconsulatu Ciliciae provinciae. *mediocritate ingenii*, cuius modestissime facit mentionem, ut conciliatis animis paulo post liberius,

nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid despicere possit Antonius. An in senatu facillime de me detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis civibus bene gestae rei publicae testimonium multis, mihi uni conservatae dedit. An decertare mecum voluit contentione dicen-

et cum minore invidia demonstret eloquentiae fiduciam. Notant autem nonnulli, inductionem hanc suis partibus absolutam non esse, quod unum membrum, videlicet familiae novitatem veram et germanam contemptus caussam omiserit, ad fucum suis auditoribus faciendum. Haec enim novitas unica fuit, quam in Cicerone despicere potuit Antonius. IDEM. *Gratia* non est auctoritas, ut Abram. explicat, sed vel conciliatrix amoris vis quaedam, vel, quam illa adlicit, aliorum hominum benevolentia, amorque civium, quibus qui ita gratus est, ut quidvis facile impetret, *gratiosus* esse dicitur. HEVSING.

Nec in vita] In Vatinium: *Scilicet aspera natura: difficilis aditus: gravis vultus: superba responsa: insolens vita: nemo humanitatem meam, nemo consuetudinem, nemo consilium, nemo auxilium requirebat.* ABRAM.

Quid dispicere] Sic Gruteri, et quae illum expresserunt editiones, male. cum rectius aliae cum MSS. *despicere.* GRAEVIVS. Mendum typorum fuit. Totum locum rectissime profert Quinctilianus I. O. XI. 1. p. 966. Confer Victorium XXXII. Var. Lect. 2. GAR.

An in Senatu] Secundam caussam proponit, et refellit ab honoribus, quos Senatus ipsi decreverat. Vide epist. ad familiares 4, libro 15, quae est ad Catonem. Et infra 9. Philippica. ABRAM.

Facillime detrahi posse] L. v. *facillime mihi.* Nonnulli, *facile de me.* quos magis probo. FERRARIVS. Familiari librariorum errore omissa sunt in Ien. *de me*, ut paullo post, *uni.* HEVSING. Cum Ienensi uterque cod. Barb. Rom. Ven. Ald. Naug. Cam. Gryph. *facillime detrahi:* quod sane videtur favere iis MSis, quibuscum Ferrar. P. Man. Car. Steph. et Barbador. legunt, *facile de me detrahi.* Primus apud me Muret. *facillime de me detrahi;* ex Vaticano. Similis est locus IV. in Verr. 24. *ut ipse de me detraham,* ubi etiam multi pro *de me* habent *mihi.* Adde IV. Acad. 5. pro Rab. perd. 7. et vide quoque ad c. 29. in Pison. Legitur tamen, *nihil mihi detraham,* pro Rosc. Com. 15. GARATON.

Mihi uni] Cod. Vatic. scribit antique *unei.* Mox in eodem, *hoc quidem est beneficium.* IDEM.

An decertare mecum] Tertia caussa proponitur et removetur. Beneficium mihi contulerit, si

di? hoc quidem beneficium est. Quid enim plenius, quid uberius, quam mihi et pro me, et contra Anto-

mecum in eloquentiae certamen descenderit. quod probat a facultate. Nihil, inquit, plenius et uberius quam mihi, qui non sum adeo dicendi rudis et imperitus, et pro me, qui et vitam tam innocenter exegi, multasque res praeclare gessi, quas facile est ornare dicendo, et contra Antonium dicere multis sceleribus et flagitiis inquinatum, oui maledicere facillimnm est. ABRAM.

Quam mihi et pro me] Duplex hoc loco videtur ἀλαζονεία contineri, *mihi* eloquentiae, *pro me* rerum gestarum iactatio. De posteriore genere inferius paullo disseremus: nunc paucis videndum, eloquentiamne suam et dicendi ubertatem insolenter aliquando iactaverit. Plutarchus comparatione Ciceronis et Demosthenis, in hoc genere Latinum graviter reprehendit: *Tandem non opera solum, et res a se gestas, sed etiam orationes a se dictas scriptasve dilaudat, quasi se apud Isocratem aut Anaximenem Sophistas venditaret, non quocunque flectere, aut etiam corrigere populum Romanum vellet:*

Armatum adversis hostibus
usque gravem.

Eum enim, qui ad rempublicam accedit, eloquentia munitum esse oportet, at levis et abiecti animi est gloriam quae ex dicendo provenit amare, et quasi ligurire. Quod crimen si verum est, merito sane reprehendendus, imo exsibilandus fuerit Orator. Siquidem, ut auctor est Themistius oratione prima: *Nec est auditu res adeo ulla intolerabilis, ut sui ipsius commendatio, praesertimque eruditionis nomine, de qua laudantibus aliis erubescere convenit eos, qui vere illius compotes sint. Etenim cum homine quaestui dedito versari est quidem ingratum, qui nihil aliud laudare velit, praeterquam divitias aut cymbia, atque pocula, aut purpuram, aut ornamenta aurea. Sed et miles aliquis gloriosus taedium adferat, cuiusmodi induci in comoedia solet. Sed nihil aeque fastidium et nauseam parit, atque admirando extollere, et impense extollere solertiam suam, et acumen ingenii docilitatemque, et eruditionis copiam, atque memoriam.* Nos Fabinm libro 11. praefatione de Tullio loquentem audiamus: *Eloquentiam quidem cum plenissimam diversae partis advocatis concederet, sibi nunquam in agendo immodice arrogavit. Illius sunt enim* (pro Archia), Si quid est in me ingenii, quod sentio quam sit exiguum. *Et* (pro Quintio), Nam quo minus ingenio possum, subsidium mihi diligentiam comparavi. *Quin etiam contra Q. Caecilium de accusatore in Verrem constituendo, quamvis in hoc quoque multum esset momenti, uter ad agendum magis idoneus veniret, dicendi tamen*

nium dicere? Illud profecto est. Non existimavit, sui similibus probari posse, se esse hostem patriae,

facultatem magis illi detraxit, quam arrogavit sibi: seque non consecutum, sed omnia se fecisse, ut posset eam consequi, dixit. In epistolis aliquando familiariter apud amicos, nonnumquam in dialogis aliena tamen persona, verum de eloquentia sua dixit.' Sed quid tam insolens vel in epistolis, vel etiam in dialogis, quam *firmissimus in eo genere et magnificentissimus Demosthenes?* ut eum comparatione Ciceronis Plutarchus appellat. Audi Æschinem de falsa legatione: *Iste se fontes eloquentiae uberrimos habere pollicebatur*, etc. *et talia dicturum aiebat, ut os Philippi laqueo ex integro fune confecto consueret.* Qui nihilo secius, cum ad Philippum venisset, repente obmutuit, ut iam advertimus oratione pro Coelio. Quanto modestius Noster Oratore ad Brutum, ut emendat Muretus lib. 1?. Var. Lect. cap. 20: *Atque haud scio an plerique nostrorum Oratorum contra atque nos, ingenio plus valuerint, quam doctrina. Itaque illi dicere melius, quam praecipere: nos contra fortasse possumus melius docere.* Quid illud pro Murena: *Fatebor enim, Cato, me quoque in adolescentia diffisum ingenio meo quaesisse adiumenta doctrinae.* et 1 Tuscul. *Aristoteles ait omnes ingeniosos melancholicos esse, ut ego tardiorem esse me non moleste feram.* Abram.

Quid enim plenius] Hoc est; quid facilius mihi est, quam plenissime et uberrime dicere contra Antonium? Sic III. Epist. 10. *Id eligere ad perfidiam, quod ad indicandum odium apertissimum sit, ad nocendum levissimum.* Quod interpretor, in quo iudices odium apertissime, noceas levissime. Vide Bunneman. ad Lactant. de opific. VII. 6. Dialog. de Orator. v. 4. Heusing. Quinctilianus I. O. XI. 1. p. 967. haec proferens, in eo tantum variat levissime, quod habet, *quam mihi pro me.* Eumdem porro Bunem. vide ad Lactant. IV. Div. Inst. 30. 1?. Gar.

Illud profecto est] Remotis aliis, subdit rationem, cur Antonius ipsi bellum indixerit: nimirum ut apud improbos cives suique similes fidem faceret, se non simulate, sed vere et ex animo reipublicae bellum indicere. Abr. Sic legitur in Vatic. *Illud profecto non existimavit sui similibus probari posse, esse hostem patriae, nisi mihi esset inimicus.* Gar.

Suis similibus] *Sui*, nonnulli vet. lib. quod probo. Ferrarius. Quemadmodum I. 2. factum diximus, ita hic primus Hervag. lectionem antea editorum, et Barb. utriusque *suis* emendavit, exhibens *sui*. Gar.

Se esse hostem patriae] L. Col. *se esse patriae.* caeteri cum impressis consentiunt: utrique

nisi mihi esset inimicus. Cui priusquam de ceteris rebus respondeo, de amicitia, quam a me violatam esse criminatus est, quod ego gravissimum crimen iudico, pauca dicam.

probabiles. Horum scriptura significantior, illius concinnior ac numerosior. FERRAR. *Se esse patriae*] Antiquus liber, *esse hostem patriae.* quibus putamus deesse vocem *se*, quam a posteriore syllaba praecedentis verbi, *esse*, mutuamur: ut sit, *esse se hostem patriae.* FAERNUS. Libro Colotiano, cuius praestantia est Vaticano proxima, paruit anno MDXLI. P. Manutius: sed unum invenit sectatorem Car. Stephanum, qui tamen in suo cod. *hostem* legi monuit, ut in ceteris omnibus legitur. Tantum consensum a Vaticano firmatum non contemno: sed iusta est glossae suspicio, quod malum saepe latius vidi serpere, quam sit paene credibile. Notum est, quam elegans, et apud Tullium crebra locutio nobis a Colotiano hic offeratur. GARATON.

Nisi mihi esset inimicus] Fortasse prae oculis habuerat illum Lysiae locum apologia Mantithei: *Καὶ τὰ μὲν ἴδια οὕτω διῴκησα. περὶ δὲ τῶν κοινῶν μοι μέγιστον ἡγοῦμαι τεκμήριον εἶναι τῆς ἐμῆς ἐπιεικείας, ὅτι τῶν νεωτέρων ὅσοι περὶ κύβους ἢ πότους, ἢ περὶ τὰς τοιαύτας ἀκολασίας τυγχάνουσι τὰς διατριβὰς ποιούμενοι, πάντας αὐτοὺς ὄψεσθέ μοι διαφόρους ὄντας, καὶ πλεῖστα τούτους περὶ ἐμοῦ λογοποιοῦντας καὶ ψευδομένους. καίτοι δῆλον ὅτι, εἰ τῶν αὐτῶν ἐπεθυμοῦμεν, οὐκ ἂν τοιαύτην γνώμην εἶχον περὶ ἐμοῦ. Atque haec mea vita privata est. de rebus autem in republica gestis maximum arbitror argumentum esse meae probitatis, quod ex iuvenibus quotquot aleae, ebrietati, caeteris huiusmodi voluptatibus et intemperantiae vacant, eos mihi videbitis esse inimicos, plurimaque de me spargere mendacia. Atqui palam est, non ita mecum se gesturos fuisse, si iisdem studiis tenerer.* ABRAM.

Quod gravissimum crimen iudico] *Quod ego gravissimum*, nonnulli v. l. in quibus est Col. FERRARIUS. *Ego* abest a Ienensi. *Crimen* est criminatio: vide ad c. 4. HEUSING. Abest *ego* etiam a Barb. ambobus, et a vett. edd. sed recipitur ab omnibus post Manut. firmante Vaticano. GAR.

Dicam] Ien. cum aliis, *dicamus.* HEUSING. Primus ex meis editis Car. Steph. exhibet *dicam*: omnes antea, et Barb. uterque *dicamus*, quod vix mutari debuisse concesserim. Nam et rectum est, et facile potuit imperitis displicere, et a MSis Ferrarii confirmatur. Sed utique *dicam* est in Vaticano. GAR.

II. Contra rem suam me, nescio quando, venisse questus est. An ego non venirem contra alie-

Rem suam] Commodum suum, quia soceri sui Bambalionis hereditatem erat aditurus, ac proinde eius omne detrimentum reique familiaris iactura in ipsum Antonium redundabat. ABRAM.

Contra rem suam venisse me] In libris v. est structura levior, hoc modo, *Contra rem suam me, nescio quando venisse questus est.* IDEM. Sic et Graev. codex. *Contra rem*] Res est obscurior, nec ullis veterum testata monumentis, ac proinde suspicionibus indaganda. Multas uxores habuit Antonius, quarum prima fuit Q. Fadii Bambalionis, hominis libertini, sed admodum opulenti, filia. de qua tertia Philippica: *Tuae coniugis, bonae foeminae, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater est, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter haesitantiam linguae stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit.* Bambalio, ut erat ditissimus, aliis dabat partes, alios mittebat in negotia, cum aliis alia contrahebat. Quidam Ciceronis familiaris ei pecuniariam litem intendit. Bambalio cum suae caussae, si ex formula et edicto Praetoris ageretur, diffideret, a quodam Tribuno plebis per M. Antonium, generum suum, impetravit, ut is illi iudicio intercederet, iuberetque diem proferri, quoad alii iudices in Bambalionem propensiores constituerentur, vel totius iudicii mutari rationem. Actor obtinendae caussae spe deiectus, nisi quempiam magni nominis oratorem adhiberet, ad Ciceronem confugit. Cicero familiarem suum defendit contra hanc iniquae intercessionis iniuriam, eiusque caussam egit, etiam illa formula, qua Tribunus plebis agi voluerat, ut quantumvis mutato iudicio, et iniquis conditionibus, ille ius suum obtineret. Hoc igitur facto querebatur Antonius, amicitiam a Cicerone fuisse violatam. Negat Orator, et illius sui patrocinii tres ostendit fuisse rationes. 1. Quod ille familiaris esset, alienus Bambalio. 2. Quod ille obrueretur gratia M. Antonii. 3. Quod contra omnem iuris formam, intercessione Tribuni plebis, prohiberetur consuetis formulis ius suum experiri. ABRAM. *Contra rem suam me venisse*] Res ipsa obscura est: tantum apparet, fuisse nescio quem, qui Antonio, aere alieno oppresso, pecuniariam litem intenderit: Antonium, qui causae suae diffideret, Tribuni pl. opem imploraste: Ciceronem occusatoris, Tribuni intercessione a iudicio repulsi, partes suscepisse. Abrami commentum mihi parum fit probabile. Ceterum hic ordo verborum est etiam in Ienensi. HEVSING. Pro Amer. 50. *Scis hunc . . . nihil umquam contra rem tuam cogitasse, et tamen oppugnas eum etc.* GAR. Huius

loci sensum interpretes obscurarunt. Nimirum Abramus putat, Ciceronem h. l. causam spectare Q. Fadii Bambalionis soceri, quem habuit Antonius, cui litem quum intenderit aliquis Ciceronis familiaris in re pecuniaria, Antonium, suspicatum quippe, socerum superatum iri, si ex iure ageretur, impulisse aliquem tribunum plebis, ut intercessione sua eius caussa impediretur et differretur, quoad alii iudices constituerentur. Heusingerus autem quamquam isti Abrami opinioni, soceri aliquam causam spectare oratorem, diffidat: tamen *alienum* quum dicat Cicero, Antonium significari contendit, verba autem *non virtutis spe, sed aetatis flore collectam* referenda esse ad amicos potentes, apud quos in gratia Antonius fuerit, ac nominatim ad illum tribunum plebis, qui postea vocetur *iniquissimus intercessor.* At quotiescunque legissem et relegissem hunc locum, his verbis, *contra alienum venire*, et *contra gratiam*, non tam Antonium, qui immerito apud amicos in gratia esset, sed eum, cuius causam ipse tueri vellet, quique apud eum propter aetatis florem in gratia erat, significari putabam, adeo ut de amore turpi aut inhonesto, quo Antonius in aliquem flagrabat, capienda essent, in quo consentit Manutius. Apparet autem hoc vel ex eo, quod dicit, Antonium id commemorasse, ut infimo ordini sese commendaret, tum ex iis, quae Cicero hoc in orationis loco olim scripta, postea, Attico auctore, omissa esse dicit in ep. ad Att. 16, 11. ubi respondet, se mutaturum esse, quod Atticus in orat. Phil. secunda, cuius archetypum ei miserat, sibi minus placuisse, scripserat. Quum igitur, quod attinet nostrum locum, Atticus monuisset, ut Sicae et Septimiae honori parceret, haec rescribit: *cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam. De Sica ita est, ut scribis; aegre me tenui. Itaque perstringam sine ulla contumelia Sicae aut Septimiae tantum, ut sciant παῖδες παίδων sine sillo Luciliano, eum ex C. Fadii filia liberos habuisse. Atque utinam eum diem videam, cum ista oratio ita libere vagetur, ut etiam in Sicae domum introëat! Sed illo tempore opus est, quod fuit illis triumviris; moriar nisi facete.* Ex quo apparet, istam caussam non fuisse Fadii, sed pertinere ad Sicam et Septimiam et in archetypo Ciceronem eorum nomina attulisse, Attico autem monente ea expunxisse, reliquisse tamen aliquantum salis, quo perfricaret eum, quum dicat, Antonium commemorasse hoc, ut recordarentur auditores, ipsum esse generum Fadii libertini, quod apte a Cicerone additum mihi esse videtur, quod Sica Ciceronis familiaris et libertus, Septimia autem eius uxor fuisse videtur, cf. ad Div. 14, 4. 15. ad Att. 8, 12. 12, 23. Accedit autem praeterea haec caussa, propter quam *alienum* non ad Antonii personam referre possis, quod Cicero modo ante dixerat, se ante omnia ab Antonii criminatione amicitiae, quae

num pro familiari et necessario meo? non venirem contra gratiam, non virtutis spe, sed

inter utrumque intercesserit, ab ipso (Cicerone) violatae se vindicaturum esse, et quod propter eandem consuetudinem, quae tum inter se ipsos fuerit, paullo post dicit, Antonium saepe in suam domum ventitasse; hinc eum dicere non poterat *alienum*. Significat igitur hac voce *alienum* eum, quem in illa caussa tueri vellet A.; et quae sequuntur: *non venirem contra gratiam*, non tam de tribuno plebis, apud quem in gratia fuerit Ant., sed de eodem ipso capienda sunt, qui in gratia erat apud Antonium, seu gratiam collegerat apud eum aetatis flore seu venustate corporis. Ni omnia me fallunt, Cicero hic Septimiam, foeminam ignobilem, cum qua olim Ant. rem habuerat, quam postea Sica libertus duxit, designare voluit, non nominare, ut Sicae honori parceret: quam eandem in opinionem incidisse aliquanto post vidi Popmam aliosque interpretes apud Graevium ad Att. 16, 11.

Et necessario meo] *Meo* non est in antiquo libro. Faernus. Neminem vidi, praeter Muretum, qui certissimum glossema tolleret, quod saepe iam nos ex his orationibus eiiciendum monuimus. Duplici glossemate inquinantur Rom. et Ven. *et necessario*, *et domestico meo*. Gar.

Contra gratiam] Contra iniuriam, quam Tribunus plebis intercessione sua familiari meo inferebat, in gratiam Antonii, qui apud multos erat gratiosus; eamque gratiam non virtutis specie, sed impudicitia et pulchritudine collegerat. Quidam *virtutis specie* splendorem virtutis et pulchritudinem intelligunt: libentius interpreter praetextum simulationemque virtutis, quasi eam gratiam non solum sine virtute, sed etiam sine virtutis simulatione collegerit, aetatis flore, quem prostituebat libidini improborum. Abram. *Contra gratiam*] Contra potentes Antonii amicos, in quibus Tribunus pl. aliquis erat, qui iudicio intercesserat, id discusserat, proferensque, alios reo iudices legi voluerat, qui plus gratiae, quam religioni, darent. Ien. pro *gratiam* nescio quam *turmam traciam* nobis dedit. Hevsing.

Non virtutis spe] Ita melius, quam, ut in aliis, *specie*. Virtutis enim spes in illa aetate commendatur. Cicero de rep. *O Fanni: difficilis causa, laudare puerum, non enim res laudanda, sed spes est*. Mvret. *Non virtutis specie*] *Spe* pro *specie* habet liber Vaticanus: quod placet. F. Vrsinvs. *Non virtutis specie*] Pal. sec. atque Mauritianus *virtutis spe*. neque aliter exemplar S. Victoris. Grvt. *Spe* est etiam in meo, et Coloniensi. Graev. Antonius amicos illos non aliqua virtutis significatione conciliarat, sed aetatis flore, forma, et corporis dotibus, quibus eum excelluisse, auctor est Plutarchus in

aetatis flore collectam? non venirem contra iniuriam,

Ant. p. 916. Ex his apparet, non *virtutis specie*, sed *spe* esse legendum, quod Ien. etiam servavit, cum in adolescentibus non *virtus sit*, sed virtutis *spes*. Vide I. Epist. 7. extr. ibique Man. et infra c. 18. Heusing. Quod Lamb. et Grut. immerito facere neglexerant, ut *spe* restituerent, id cum Mur. et Graev. recentiores omnes iure fecerunt. Perpetua est commutatio, de qua diximus ad c. 8. pro Flacco, et alibi. Iudicium Mureti confirmat etiam locus pro Fl. 1. Gar.

Ætatis flore] Humana vita frequenter cum flore comparatur ob brevitatem. Ausonius:

> *Collige virgo rosas, et dum tu colligis istas,*
> *Tum memor esto aevum sic properare tuum.*

Vide et Maro Pallantem 11. Æneidos, Euryalum 9. in ipso aetatis flore sive adolescentia necatos cum floribus marcescentibus scitissime comparavit. Pulchre Plinius praefat. lib. 21: *Natura flores odoresque in diem gignit, magna admonitione hominum, quae spectatissime floreant, celerrime marcescere.* Frequenter tamen cum florem aetatis appellant, aliquid subindicant obscoeni, ut hoc loco. Philo Iudaeus lib. de profugis: *Ἀκόλαςος γὰρ ἢ μαχλὰς, ἢ τριοδῖτις σοβὰς, ἢ τὸ τῆς ὥρας ἄνθος ἐπευωνίζουσα,* etc. *Impudica vel prostituta, vel trivialis foemina, vel aetatis florem vili venditans.* Achilles Tatius libro 1: *Μὴ, πρὸς θεῶν, Χαρίκλεις, μή πώ μοι δοῦλος γένῃ, μηδὲ τὸ ἄνθος πρὸ καιροῦ τῆς ἥβης ἀπολέσῃς. πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις καὶ τοῦτό ἐςι τοῦ γάμου τὸ ἀτύχημα, μαραίνειν τὴν ἀκμήν. Μὴ παραδῷς εὔμορφον τρυγῆσαι ῥόδον ἀμόρφῳ γεωργῷ.* *Ne te, per Deos, o Charicles, in servitutem tradas, neque florem aetatis tuae ante tempus perditum eas. Ad alia enim, quae in nuptiis mala sunt, illud quoque accedit, quod aetatis vigorem faciant marcescere. Noli venustam rosam invenusto agricolae colligendam praebere.* Naso Metamorphosi:

> *Ætatis breve ver et primos carpere flores.*

Lucretius lib. 4:

> *— flore fruuntur*
> *Ætatis. —*

Apuleius Apologia: *Venit igitur ad eum nova nupta, secura et intrepida, pudore despoliato, flore exoleto, flammeo obsoleto.* Hieronymus Epist. ad Domnionem: *Vt florem aetatis non negligant, ut comedant, et bibant, et balneas adeant, munditias appetant, unguenta non spernant.* Tibullus lib. 1, eleg. 8:

> *At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,*
> *Vtere, non tardo labitur illa pede.* Abram.

Non venirem contra iniuriam, quam iste] Antonius obtinuit, ut familiari meo fieret iniuria, non quidem iure praetorio, et iudicii formula secundum Praetoris edictum constituta, sed ini-

quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure praetorio? Sed hoc iccirco commemoratum a

quissima Tribuni plebis intercessione, qui contra ius fasque iudicium discussit. Abram.

Intercessoris iniquissimi] Iniquissimum vocat intercessorem, vel quod ea intercessio Tribunitiam potestatem excederet, vel quod iniuriam ei faceret, quem non patiebatur ius suum experiri. Non potuisse autem Tribunum plebis intercedere, quo minus reus caussam diceret, insinuari videtur in Vatiniana: *Postulatusne sis lege Licinia et Junia? Edixeritne C. Memmius Praetor ex ea lege, ut adesses die trigesimo? cum is dies venisset, fecerisne, quod in hac republica non modo factum ante nunquam est, sed in omni memoria sit inauditum? appellarisne Tribunos plebis, ne caussam diceres: levius dixi (quanquam id esset et novum, et non ferendum,) sed appellarisne nominatim pestem illius anni, furiam patriae, tempestatem reipublicae Clodium? Qui tamen cum iure, cum more, cum potestate iudicium impedire non posset, redit ad illam vim, et furorem suum.* E quo loco, nisi fortasse oratorie rem exaggerat, intelligi facile possit, hoc Q. Fadii iudicium post Tribunatum Clodii reditumque Ciceronis ab exilio contigisse. Certe anno proxime sequenti, eo videlicet ipso, quo revocatus est Tullius, ut dicitur in Sextiana: *Ecce tibi Consul, Praetor, Tribunus plebis nova novi generis edicta proponunt: ne reus adsit, nec citetur, ne quaeratur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceat.* Non quidem ut iudicium omnino discuterent, sed ut in aliud tempus proferrent, ut constat e Dione. Idem.

Non iure praetorio] Papinianus D. de iustitia et iure: *Ius autem civile est, quod ex legibus, plebiscitis, Senatusconsultis, decretis principum, auctoritate prudentium venit. Ius Praetorium est, quod Praetores introduxerunt, adiuvandi, vel supplendi, vel colligendi iuris civilis gratia propter utilitatem publicam: quod et honorarium dicitur ad honorem Praetorum sic nominatum.* Subdit proxime eodem titulo Marcianus: *Nam est ipsum ius honorarium: viva vox est iuris civilis.* Idem.

Sed hoc iccirco commemoratum a te puto] Hic locus usque ad, *At enim*, deest in omnibus fere libris veteribus. ii, a quibus non abest, hoc modo, *Cum te omnes recordarentur libertini generum, et liberos tuos nepotes Q. Fadii libertini hominis fuisse.* Hoc idem obiicit in III. Phil. *Cuius pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam habuerit uxorem, ipse ex libertini filia susceperit liberos.* Antonium quoque descripsisse his verbis, quae sunt in XVI. lib. epist. ad Attic., pro certo puta-

te puto, ut te infimo ordini commendares,

rem, nisi praenomina discreparent. quanquam credibile non est, quam crebro C. et Q. in libris veteribus reperiantur locum inter se commutasse. Haec autem verba sunt, *ut sciant οὐδὲς παίδων, sine vallo Lucullano eum ex C. Fadii filia liberos habuisse.* Ferrarius. Hanc περικοπὴν, quam in multis non reperit Ferrarius, nec ego in ullo quatuor MSS. quos consului, reperi. Graev. *Sed hoc*] Sarcasmus per ironiam, quasi Antonius crimen illud obiecerit, non tam vexandi Ciceronis caussa, quam commemorandae affinitatis, quam ipse cum homine libertino contraxerat. Abram. *Sed hoc idcirco etc.*] Non poteras de illa controversia commemorare, quae cum meo familiari fuerat Q. Fadio socero tuo, quin recordarentur omnes, te illius esse generum: commemorasti videlicet, quod tibi libertinos, infimum hominum genus, conciliare voluisti. Mirum est, quam foede Manut. bis ad h. l. peccet, quem tamen non refello, ne operam perdam. Ferrat. *Sed hoc idcirco etc. libertini hominis fuisse*] Haec omnia, quae uncis inclusimus, in plerisque Regiis, et aliis codicibus desunt, et abesse possunt. Lallem. Tota haec comprehensio, quam in Vaticano, ut in aliis bonis codicibus, et in editis omnibus, exstare video, caussam idoneam praebuit Abramio et Ferratio, ut Tullium existimarent non contra ipsius Antonii rem, sed Fadii, venisse, Fadium autem Antonii gratia contra ius adiutum fuisse vehementer. Quod ni ita sit, litem Fadiae illius filiae, Antoniique uxoris intelligere licebit. Nam quod Heusingerus Antonii propriam litem fuisse arbitratur, et verba huius periodi ad suam sententiam pertrahere conatur, nihil, meo iudicio, profecit: ut eum mirer non haec potius delenda censuisse, quae a multis MSis absunt, et ab utroque Barb. et in illa viri doctissimi opinione inutilia fiunt, locoque non suo posita. Si dicas, parum esse verisimile, Antonium libertinis in Senatu venditare se voluisse, rogabo, ut observes, ironia quadam Antonium hic pungi, occasionemque captari libertinae uxoris obiiciendae: quasi ea re gloriaretur Antonius, et a Senatoribus id foras proferri vellet, aut etiam exaudiri a militibus, quos tum adduxisse constat ex V. Phil. 6. et in aede Concordiae, partim in cella etiam collocasse. Vide infra c. 8. et 44. In iis militibus libertinos fuisse complures arbitror, quamvis Ituraei dicantur, invidioso barbarorum nomine arrepto, quod aliqua eorum pars gentis esset illius. Garatos.

Infimo ordini] Varii fuerunt ordines, in quos civitas Romana describeretur. Prima divisio fuit in Senatum populumque Romanum, quibus postmodum

equester ordo accessit, ut ait Plinius libro 33, cap. 2. Alia descriptio fuit in patricios et plebem, ut fuse ostendimus pro Milone, *amplissimorum ordinum.* Plebem rursus in tribunos aerarios, scribas, mercatores, et negotiatores, argentarios et foeneratores, artifices et opifices, turbam forensem, libertinos et magistratuum apparitores dividebant. de quibus fuse Sigonius lib. 2. de antiquo iure civium Romanorum a cap. 7. ad 15. aut etiam in assiduos et capite censos. de quibus nos loco citato Milonianae. Infimus autem vocatur ordo libertinorum, quod suffragiorum iure carerent, saltem in quatuor tantum tribubus urbanis ferrent suffragium, quod in militiam ordinarie non adsciscerentur nisi difficillimis reipublicae temporibus, quod ad magistratus et curiam aditum non haberent. ut erudite probat Sigonius eiusdem libri cap. 14. Libertini autem ii dicebantur, qui in libertatem asserti fuerant e servitute: quamvis antiquitus ii non libertini, sed liberti dicerentur, cum libertini nomen in eorum filiis haereret. Tranquillus in Claudio 24: *Etiam Appium Caecum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit: ignarus, temporibus Appii, et deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.* Abram. Infimo in plebe ordini, *libertinis*, quibus se commendaverat Antonius, dum ad tribuniciam potestatem confugerat, optimatibus alioqui invisam. Heusing. Cur libertinis potius, quam plebi universae? quam vero populum id conciliasset Antonio, quod commodi sui causa fecisset? quis porro praestabit, intercessionis tribuniciae mentionem ab Antonio factam? denique in causis privatis usitatum erat appellare Tribunos, ut constat ex c. 20. pro Quinct. eaque in re non factum ipsum, sed facti aequitas erat spectanda. Intercessio Tribuni, ne reus causam diceret, ne iudicatum faceret, erat etiam in privatis causis contra mores, et ad iudiciorum dissolutionem contra remp. comparata. Ea quoque reprehendebatur, ex qua calumnia patrocinium et licentiam nanciscebatur, ex qua iniuria in aliquem redundabat. Quae vero auxilium contra potentiam et iniurias ferret, morem maiorum non laedebat, neque poterat merito reprehendi. Confer, quae diximus in Excursu ad Cluentian. §. X. Iam vero Tribuni poterant his intercessionibus esse populares, plebique se commendare: non ii certe, a quibus appellabantur; qui, si Tribunum ad iniquam intercessionem adducerent, gratiosiores erant existimandi, quam qui iustam obtinebant, sed apud ipsum Tribunum, virosque, si forte, potentes ac nobiles. Hic itaque Antonii *gratia* commemoratur, quem Tribunus audivit, sive ipse, sive Fadius appellaverit, *intercessoris* autem, h. e. Tribuni, *iniquissimi beneficium* Antonio tributum reprehenditur. Garaton.

quum te omnes recordarentur libertini generum, et liberos tuos, nepotes Q. Fadii, libertini hominis, fuisse. At enim te in disciplinam meam tradideras; (nam ita dixisti;) domum meam ventitaras. Nae tu,

Cum te omnes recordarentur] Non opus hoc erat, cum iam omnes nossent, te coniunctum esse cum hoc ordine. Hevsing.

Q. Fadii] Cui a linguae vitio cognomen erat *Bambalioni*: vide Dion. Cass. lib. XLV. extr. et III. Phil. 7. Huius filiam locupletem adolescens adhuc Antonius uxorem duxerat, ex eaque liberos sustulerat, filium certe, de quo c. 36. qui tamen hoc quidem tempore superstes fuisse non videtur, quia dicit *fuisse*. Mirum vero est, quam huius Fadii praenomen in libris variet. Qui h. l. *Quintus* vocatur, infra c. 36. *Marcus*, XVI. ad Att. 2. *Caius* dicitur. Sed Q. et C. facile permutantur: de Marco vide suo loco. In Ien. haec omnia desiderantur, a verbis *sed hoc* usque ad *fuisse*. Idem.

At enim] Antonius ut violatae amicitiae crimen exaggeraret, dixerat, se Ciceroni in disciplinam se tradidisse, ac proinde a Cicerone oppugnari minime omnium debuisse. Negat Tullius, et obiter impudicitiae crimen impingit. Abram. Supra Cicero Antonium dixerat *alienum*: Antonius contra, se eius adsectatorem fuisse, ac satis familiarem contendit. Pernegat hoc Cicero, ac ne fieri quidem potuisse ostendit. Hevsing. Errat sane Ferrat. v. Epist. 5. alienum Antonium negans vocari a Tullio potuisse. Tempora enim distinguenda sunt: id autem hic respicitur tempus, quo nondum erat Tullii familiaris Antonius. Ipse alienus dicitur, si rem uxoris procurabat. Si lis erat Fadii, vix alius intelligi, quam Fadius, potest. Gar.

Nam, ita dixisti, domum meam ventitaras] Sic iste locus interpungendus. vulgata distinctio reddit locum ἀσύνθετον. Graevius. Praefero vulgatam interpunctionem, *tradideras* (*nam ita dixisti*) *domum* etc. Hevsing. Omnes libri coniungunt, *nam ita dixisti*. Gar. Si, Graevius interpungit, *nam*, *ita dixisti*, *domum meam ventitaras*, alius in locum sensus inducitur, quasi mens esset oratoris, Antonium in oratione sua dixisse, se ventitasse in domum ipsius (Ciceronis). Immo iactaverat, se in Ciceronis disciplinam tradidisse: at dicit orator, quod res est: *domum nonnunquam meam ventitavit. Nae, tu, si id fecisses* (sc. *si tu in disciplinam meam te dedisses*,) *melius famae tuae consuluisses.*

Domum meam ventitaras] De more. Auctor de oratoribus et caussis corruptae eloquentiae: *Ergo apud maiores nostros iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus*

si id fecisses, melius famae, melius pudicitiae tuae

honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, sive in iudiciis, sive in concionibus assuescebat. Plinius Iunior lib. 8. ep. *Erat autem antiquitus institutum, ut a maioribus natu non auribus modo, verum etiam oculis disceremus, quae facienda nos ipsi ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. Inde adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, etc. Inde honores petituri assistebant curiae foribus, et consilii publici spectatores ante quam consortes erant. Suus cuique parens pro magistro, aut cui parens non erat, maximus quisque et vetustissimus pro parente.* Adeo ut ne forensia quidem auspicari stipendia, et ad dicendum prodire liceret sine auctore. Idem libro 2, epist. 14: *At Hercule ante memoriam meam (maiores natu ita dicere solebant) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente. Tanta veneratione pulcherrimum opus colebatur. Nunc refractis pudoris et reverentiae claustris omnia patent omnibus: nec inducuntur, sed irrumpunt.* Neque solum ut foro se aut militiae pararent, sed etiam ut mores componerent, ad maiores natu ventitabant. Persius Sat. 5:

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis laribus donata pependit, etc.
Me tibi supposui, teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere solers
Apposita intortos ostendit regula mores,
Et premitur ratione animus vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.

E quibus intelligas, huiusmodi vitae magistros sumpta virili toga primum adscitos fuisse, ut in Coeliana: *Vt huic virilem togam dedit,* etc. *hoc dicam, hunc a patre continuo ad me esse deductum.* vide initium lib. de amicitia. Abram.

Melius famae, melius pudicitiae] Bene famam pudicitiae coniungit: ut etiam Maro 4 Æneidos:

Extinctus pudor, et, qua sola sidera adibam,
Fama prior. —

Item:

— *et oblitos famae melioris amantes.*

Sicut contra impuri amores, ut cum Pistoclero Plautino loquar, Bacchidibus scen. 1:

Animum fodicant, bona distimulant, facta et famam sauciant.

Lucretius 4:

Languent officia, atque aegrotat fama vacillans.

consuluisses. Sed nec fecisti, nec, si cuperes, tibi id per C. Curionem facere licuisset. Auguratus petitionem mihi te concessisse dixisti. O incredibilem audaciam!

Hinc mulieres famosae, quo in genere lepidum illud 2 de Orat. *Cum Q. Opimius Consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset:*

— quid tu, Egilia mea?
Quin ad me accedis cum tua colu et lana?
— non pol (inquit) audeo.
Nam me ad famosas vetuit mater accedere. Abram.

Sed nec fecisti] Lamb. monet, alios habere, *sed neque fecisti:* quod postea in suo cod. et in Col. Graevius invenit, immeritoque contempsit. Nam et satis boni sunt ii codices, et auribus grata lectio, et emendatorum temeritati obnoxia, ut ostendimus ad c. 15. in Pison. Adde ibid. 22. et quae ibi quoque adnotavimus, et ad c. 11. pro Rab. Post. et locum heic infra c. 33. item xiii. 9. etc. Imo vero in Vat. sic legitur: *sed neque fecisti, nec, si cuperes, tibi id per Curionem* etc. Lambinus autem Muretum designabat, ut postea comperi. Garaton. Pro more suo Ernestius hic putat ponendum esse, *cupiisses.* Verum est eadem huius loci ratio, quae illius in orat. p. Mil. c. 26. *quem Pompeius, etiamsi vellet, nunquam ex inferis excitasset.* Quodsi est ea verbi natura aut ea notio, ut res, quam significat, etiam durans, non infecta proponi possit, imperfectum etiam ante plusquamperfectum poni potest.

C. Curionem] Vide de hoc Curione filio infra c. 18. II. Epist. 1. extr. Vellei. II. 48. Plutarch. in Ant. p. 916. Huic aetate prope aequalis fuit Antonius, paucis tamen annis posterior. Prior certe Curio magistratus gerere coepit. Heusinc.

Auguratus petitionem] Dixisti te auguratus petitionem omisisse in mei gratiam, ne videlicet, si tu meus fuisses competitor, ego repulsam ferrem. In huiusmodi sacerdotiorum petitione, cum plures essent candidati, magnum beneficium fuisse, si gratiosus competitor petitionem alteri concederet. Sic Catulus summum pontificatum cum Caesare et Isaurico petens, *misit, qui magna pecuniae vi Caesari persuaderent, ut is a petitione desisteret,* ut narrat Plutarchus in Caesare, ex quo etiam liquet, quo tempore Noster adeptus fuerit auguratum: *Etiam in eorum sacerdotum collegium adoptatus est, quos augures appellant Romani, loco Crassi Iunioris, cum is apud Parthos mortem obiisset.* Abram. Dixisti, mea causa te non petiisse auguratum, cum petendi ius habuisses, ut mihi petenti locum dares. Suffectus est Cicero Augur in M. Crassi filii locum anno dcc. quo

o impudentiam praedicandam! Quo enim tempore me augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompeius et Q. Hortensius nominaverunt, (neque enim licebat

tempore Antonius nondum magistratum gesserat (vide ad c. 20.), qui quarto post anno, Curionis potissimum opera, auguratum adeptus est, cum esset Tribunus plebis. Vide Hirt. B. G. VIII. 50. Coel. ad Cic. VIII. Epist. 14. Plut. p. 917. Heusing.

O impudentiam praedicandam] Exclamatio in audaciam et impudentiam Antonii, ex eo quod eo tempore se auguratus petitionem concessisse alteri dicat, quo ipse adeo gratia non valebat, ut oppressus aere alieno diutius stare locumque tenere in civitate non posset. Abr.

Quo enim tempore] Anno, ut videtur, urbis septingentesimo, Cn. Domitio Calvino et M. Valerio Messala Consulibus, quo tempore Tullius, P. Crasso M. filio a Parthis deleto, augur in eius locum suffectus est. Idem.

A toto collegio] *Tres faciunt collegium*, ut ex Neratio scribit Marcellus D. de verb. signif. l. 85. Et sane initio tres tantum augures fuerunt, post sex, deinde novem, post quindecim. Livius libro 10: *Quemadmodum ad quatuor augurum numerum, nisi morte duorum, id redigi collegium potuerit, non invenio: cum inter augures constet imparem numerum debere esse, ut tres antiquae tribus Ramnenses, Titienses, Luceres, suum quaeque augurem habeant: aut, si pluribus sit opus, pari inter se numero sacerdotes multiplicent: sicut multiplicati sunt, cum ad quatuor quinque adiecti novem numerum, ut terni in singulas essent, expleverunt.* Vbi per imparem numerum intelligi videtur omnis numerus, sive par, sive impar, qui in partes tres aequaliter dividatur. Post, ut dicitur in epitomo lib. 89: *Sulla Dictator*, etc. *Pontificum Augurumque collegium ampliavit; ut essent quindecim.* Quod ait Dio extremis verbis libro 33. de Caesare loquens: Ἔς τε τοὺς πεντεκαίδεκα ἕνα, καὶ ἐς τοὺς ἑπτὰ καλουμένους τρεῖς ἑτέρους προσαποδείξας. *Ad quindecimviros unum, et ad septemviros tres alios adiunxit.* id non de auguribus, sed de quindecimviris librorum Sibyllinorum custodibus a Cornelio Sulla institutis, cum primum eos servarent decemviri, et de septemviris epulonum intelligo. Idem.

Nominaverunt] Nominatione sua in collegium cooptaverunt. Philipp. 13. de Sexto Pompeio loquens: *In primis in paternum auguratus locum: in quem ego eum, ut, quod a patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo.* Initio libri de claris oratoribus de Hortensio, *Interitu talis auguris dignitatem nostri collegii diminutam dolebam: qua in cogitatione, et cooptatum me ab eo in colle-*

a pluribus nominari,) tu nec solvendo eras, nec te ullo modo, nisi eversa re publica, incolumem fore putabas. Poteras autem eo tempore augu-

gium recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum ab eodem: ex quo augurum institutis in parentis eum loco colere debebam. Adverte, non solum cum augur in defuncti locum subrogandus esset, sed etiam certo et solemni die nominatos fuisse a singulis, quos dignissimos eo sacerdotio indicarent. Plinius Iunior epistola 1, lib. 2. loquens de Virginio Rufo: *Hic illo die, quo sacerdotes solent nominare, quos dignissimos sacerdotio iudicant, me semper nominabat.* Et libro 4, epist. 8: *Gratularis, quod acceperim auguratum,* etc. *Mihi vero illud etiam gratulatione dignum videtur, quod successi Iulio Frontino principi viro, qui me nominationis die per hos continuos annos inter sacerdotes nominabat, tanquam in locum suum cooptaret. Quod nunc eventus ita comprobavit, ut non fortuitum videretur.* Abram. Duo scilicet ex collegio, quem dignissimum putarent hoc sacerdotio, nominabant, qui, si populi suffragiis probati fuissent, in collegium cooptabantur. Cic. Brut. 1. Manut. ad VIII. Epist. 14. Sigon. de Ant. Iure Civ. R. I. 29. Hevsing.

Nec tu solvendo eras] *Tu nec solvendo*, o. l. v. hoc amplius Col. *incolumem fore putabas.* quo numero ita iuvantur aures meae, ut non dubitem, quin ita scriptum sit a Cicerone. Ferrarius. *Nec tu solvendo eras*] Hactenus ostendit, sibi ad auguratum facile viam patuisse, nunc duas causas ostendit, quae ad idem sacerdotium Antonio aditum obstruebant. Altera fuit aes alienum, altera Curionis absentia. Antonii pater decoxerat. infra. Ipse sestertium sexagies aeris alieni contraxerat, vel, ut narrat Plutarchus: *Æs alienum grave et praeter aetatem ipsi conflatum est ducentorum et quinquaginta talentorum.* Qui autem solvendo non erant, non poterant ad sacerdotia promoveri, lege iam inde a Romulo repetita, qui sacerdotes eligi volebat, *qui sufficientes facultates possiderent.* atque adeo candidati profitebantur, id est reddebant rationem et facultatum suarum, et aeris alieni, ut diximus pro Sextio. Abram. Barb. sec. *tu* omittit. Lambinus non est auditus, qui ex omnibus, ut ait, codicibus revocavit ordinem omnium ante P. Man. editorum, *fore incolumem putabas.* Sed praecipue notari debet, cum MSis Ferrarii Priscianum quoque p. 1205. exhibere, *tu nec solvendo eras.* Neque aliter Vatic. nisi quod littera T. superiori verbo adhaeserat, manusque recentior addidit V. qui codex ordinem quoque veterem confirmat, quem unus immutat Colotianus. Garaton.

ratum petere, quum in Italia Curio non esset? aut tum, quum es factus, unam tribum

Cum in Italia Curio non esset] In Asia fuit Curio, Domitio Calvino et M. Valerio Messala Consulibus, eoque ipso anno reversus est, cum Milo peteret Consulatum. Epistola 6, lib. 2. ad Curionem: *Cum appropinquare tuus adventus putaretur, et te iam ex Asia Romam versus profectum esse constaret*. Videtur autem in Asia cum imperio fuisse, epist. 5: *Gratulor, vel quia non vides ea, quae nos, vel quod excelso et illustri loco sita sit laus tua in plurimorum et sociorum et civium conspectu: quae ad nos nec obscuro, nec vario sermone, sed et clarissima et una omnium voce perfertur*. Videtur autem Quaestor fuisse: is enim erat primus magistratus, et aditus ad caeteros honores. Abram.

Aut tum] A consequenti probat, eum auguratus candidatum fieri non potuisse absente Curione, quia postea, cum augur factus est, id sacerdotium adeptus est per Curionem, qui tantopere studuit Antonio auguratum petenti, ut eius familiares de vi damnati fuerint, quod seditionem in comitiis concitassent. Idem.

Vnam tribum ferre] Nota locutio. Pro Sextio: *Tribum suam non tulit, Palatinam denique, per quam omnes illae pestes vexare populum Romanum dicebantur, perdidit*. Sed quid tribus ad auguratum, cum is e duorum augurum nominatione penderet? Variis modis pro diversitate temporum sacerdotia collata sunt. Siquidem tertio Marii consulatu, ut ait Velleius lib. 2: *Cn. Domitius Tribunus plebis legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegae sufficiebant, populus crearet*. Id ille fecit, ut advertit Tranquillus in Nerone cap. 2: *Pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent*. De hac lege noster epist. 4. ad Brutum: *Existimo omnino absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi. Nam etiam factum est antea. C. enim Marius, cum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur: nec, quominus id postea liceret, ulla lex sanxit*. Hanc legem L. Sulla Dictator abrogavit, renovavit Tit. Labienus, Consulibus Cicerone et Antonio. Dio 77: *Cum Labienus de Pontificibus creandis rogationem tulisset, Caesar autem plebem demereretur, iterum plebs contra Sullae legem Domitii legem renovavit atque introduxit*. Quod ita reor populi suffragiis fuisse permissum, ut necesse esset eum, qui pontificatum vel auguratum adepturus erat, a duobus vel pontificibus vel auguribus nominari. Neque enim Caesar adhuc adolescens, et plebeculae quam optimatibus iucundior, nominationem hanc contra Catulum et Servilium Isauricum

sine Curione ferre potuisses? cuius etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent.

competitores obtinere facile potuisset, nisi Domitia lege fuisset ita sancitum. Noster orat. 2. in Rullum: *Ne hoc quidem vidit, maiores nostros tam fuisse populares, ut, quia per populum creari fas non erat, propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotii* (Pontificatus maximi) *voluerint populo supplicari, atque hoc idem de caeteris sacerdotiis Cn. Domitius Tribunus plebis, vir clarissimus, tulit, quia populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur, ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.* Secuta est lex Iulia de sacerdotiis a Iulio Caesare lata, ut videtur, in primo consulatu. de qua noster ad Brutum epist. 4: *Est etiam in lege Iulia, quae lex est de sacerdotiis proxima, his verbis,* QVI PETIT CVIVSVE RATIO HABEBITVR. *aperte iudicat, posse rationem haberi etiam non praesentis.* Cuius, opinor, ea vis fuit, ut sacerdotes nominandi quidem et cooptandi sibi collegas ius haberent, sed eorum tamen nominatio rata non esset, nisi populi suffragium et consensus accederet. Philipp. 3: *Reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, persequetur. Imprimis paternum auguratus locum: in quem ego tum, ut quod a patre accepi filio reddam, mea nominatione cooptabo. Vtrum igitur augurem Iovis Optimi Maximi, cuius interpretes internuntiique constituti sumus, utrum populus Romanus libentius sanciet, Pompeium an Antonium?* Atque adeo sibi non repugnat, cum in adeptione auguratus et nominationis et suffragii sive tribuum facit mentionem. ABRAM.

Sine Curione] Plutarchus in Antonio: *Curio amicus Antonii Caesari studens a se produxit Antonium. Cumque propter eloquentiam magna apud populum auctoritate polleret, magnasque, suppeditante sumptus Caesare, largitiones faceret, Antonium ad Tribunatum plebis, deinde ad auguratum etiam promovit.* Factus est igitur augur eo ipso anno, quo Tribunus plebis, id est Luc. Cornelius Lentulo et C. Claudio Marcello Consulibus quadriennio post Ciceronem, vel potius sub finem anni praecedentis, cum iam Marcellus et Lentulus essent Consules designati. Hirtius supplemento commentariorum de bello Gallico: *Caesar hibernis peractis contra consuetudinem in Italiam quam maximis itineribus est profectus, ut municipia et colonias appellaret, quibus M. Antonii quaestoris sui commendaverat sacerdotii petitionem. Contendebat enim gratia cum libenter pro homine sibi coniunctissimo, quem paulo*

III. At beneficio sum usus tuo. Quo? Quamquam illud ipsum, quod commemoras, semper prae me tuli. Malui me tibi debere confiteri, quam cuiquam minus prudenti non satis gratus videri. Sed quo

ante praemiserat ad petitionem, tum acriter contra factionem et potentiam paucorum, qui M. Antonii repulsa Caesaris decedentis convellere gratiam cupiebant. Hunc etsi augurem factum prius, quam Italiam attingeret, in itinere audierat, etc. Subdit: *Insolenter adversarii sui gloriarentur, L. Lentulum et C. Marcellum Consules creatos, qui omnem honorem et dignitatem Caesaris spoliarent.* IDEM.

At beneficio sum usus tuo] Obiectio Antonii. Ingratus es, o Cicero, qui contra rem meam veneris, qui magnum a me beneficium acceperas. Hoc autem ita confutat, ut primo neget beneficium fuisse, deinde factum suum defendat. IDEM. Cod. Vatic. *Ad beneficio sum tuo usus*, sic tamen, ut in v. *usus* priorem syllabam, quae deerat, recentior manus suppleverit. Credamus excidisse, quod eadem statim repetebatur. Tamen conlicere licet, *usus* esse vocem adiectitiam, Tulliumque scripsisse: *At beneficio sum tuo. Quo?* ut infra VIII. 6. *cum suo magno beneficio esset, venisse cum contra se:* ubi vide. GARATON.

Quo?] Interrogatio per dissimulationem, quasi beneficium illud ignoret, vel potius ut hac sustentatione suspendat animos auditorum. ABRAM.

Quanquam illud ipsum] Correctio ad temperandam dissimulationem, ne, si absolute beneficium acceptum dissimulet, ingratus esse videatur. IDEM.

Semper prae me tuli] Vt Philippica prima: *Pauca querar de hesterna M. Antonii iniuria, cui sum amicus, idque nonnullo eius officio debere etiam prae me semper tuli.* IDEM.

Malui] Subiicit facti sui rationem, et quia negaturus erat esse beneficium, periculumque erat, ne ingratus videretur, se ad futuram orationem praemunit, ostenditque, se tam gratum fuisse, ut illi etiam se obligatum esse fateretur, a quo revera beneficium non acceperat. IDEM.

Non satis gratus] Commode referri possit ad hunc locum dictum Mnesilochi Plautini Bacchidibus, actu 3, scen. 2:

Nam pol quidem meo animo ingrato homine nihil impensiu' st.
Malefactorem amitti satius, quam relinqui beneficium.
Nimio praestat impendiosum te, quam ingratum dicier.
Illum laudabunt boni, hoc etiam ipsi culpabunt mali. IDEM.

Sed quo beneficia] Redit ad propositam interrogationem. Sequitur subiectio. Illud videlicet est beneficium, quod commemo-

beneficio? quod me Brundisii non occideris? quem

ras, quod me devicto Pompeio redeuntem non occideris. IDEM.

Quod me Brundisii non occideris] Plutarchus in Cicerone: *Post pugnam vero Pharsalicam, cui propter corporis infirmitatem non interfuit, Pompeio fugiente, Cato magnum exercitum magnamque classem habens Dyrrhachii, postulabat, ut is secundum leges et consularem gradum imperium susciperet. Quod ille repudians, omninoque a persequendis belli reliquiis abhorrens, propemodum nihil abfuit, quin necaretur, Pompeio Iuniore et amicis proditorem eum vocantibus, gladiosque stringentibus, nisi Cato se interponens vix eum subduxisset, et a castris transtulisset. Appulsus vero Brundusium, ibi moratus est Caesarem expectans in Asia et Aegypto cunctantem, ibi variis occupationibus destrictum.* Caesar autem, ut narrat idem Plutarchus in Antonio, *Post victoriam Dictator creatus ipse quidem persecutus est Pompeium: Antonium vero Magistrum equitum nominans Romam ire iussit.* Quod Cicero invidiose principatum latronum appellat, quia contra leges ei Caesar hunc honorem concesserat. Dio libro 42: *Caesar, quamvis extra Italiam erat, statim Dictaturam accepit, Magistro Equitum assumpto Antonio, qui Praetor nondum fuerat (ei autem magistratui Consul posthabebatur) summopere reclamantibus auguribus, non licere Magistro Equitum ultra sextum mensem magistratum tenere. Verum hi multo risu excepti sunt, quod, cum contra omnium maiorum instituta Dictatori annuum imperium statuissent, de Magistro Equitum accuratam rationem inire vellent.* Secutus sum Xylandri versionem, nisi quod illa verba, καὶ εἵπετο τούτῳ ὁ ὕπατος, perperam, ut videtur, ita reddiderat: *Isque ab hoc magistratu Consul deinde factus est.* Quid autem Ciceroni et Antonio, e diversis partibus a pugna Pharsalica in Italiam appulsis, intercesserit negotii, constat ex ipso Cicerone, Epistola 6, lib. 11. ad Atticum: *In oppido aliquo mallem resedisse, quoad arcesserer. minus sermonis subiissem: minus accepissem doloris: ipsum hoc me non angeret. Brundusii iacere in omnes partes est molestum. Propius accedere, ut suades, quomodo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? qui mihi incolumi adimi non possunt, quos ego modo paulisper bacillis in turbam conieci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret.* Et epistola sequenti: *Ad me misit Antonius exemplum Caesaris ad se litterarum, in quibus erat, se audivisse, Catonem et Luc. Metellum in Italiam venisse, Romae ut essent palam: id sibi non placere, ne qui motus ex eo forent: prohiberique omnes Italia, nisi quorum ipse causam cognovis-*

ipse victor, qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, salvum esse voluisset, in Italiam ire iussisset, eum tu occideres? Fac potuisse. Quod est aliud, Patres conscripti,

set: deque eo vehementius erat scriptum. Itaque Antonius petebat a me per litteras, ut sibi ignoscerem: facere se non posse, quin his litteris pareret: tum ad eum misi Luc. Lamiam, qui demonstraret, illum Dolabellae dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quam primum venirem: eius me litteris venisse: tum ille edixit ita, ut me exciperet, et Laelium nominatim: quod sane nollem: poterat enim sine nomine re ipsa excipi. Pro Ligario: *Apud quem igitur hoc dico? Nempe apud eum, qui, cum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, reip. reddidit? qui ad me ex Aegypto litteras misit, ut essem idem, qui fuissem: qui, cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est: a quo hoc ipso C. Pansa mihi nuntium perferente concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi,* etc. E quibus patet, et quomodo de Caesaris voluntate in Italiam venerit, et cur eum Antonius non potuerit occidere. Abram.

Eum tu occideres?] In Vatic. est, *eum ut occideres?* mendose: sic enim diceret, a Tullio interficiendo Antonium alienum fuisse. Vide I. in Catil. 9. Itaque Muretum edidisse miror, *eum ut tu occideres?* Garaton.

Fac potuisse] Ex abundanti concedit, Antonium sibi necem inferre potuisse, et nihilominus beneficium extenuat odiosa latronum comparatione. Sed esto: potueris me occidere. Ita Virgilius 4 Æneidos:

Quis me autem (fac velle) sinet, ratibusque superbis
Irrisam accipiet?

Lib. 14 ad Attic. epist. 16: *Nam Liberalibus quis potuit in Senatum non venire? Fac id potuisse aliquo modo: num etiam cum venissemus, libere potuimus sententiam dicere?* Infra de hac ipsa re loquens: *Sed fac, te dedisse mihi, quod non ademisti: meque a te habere vitam, quia a te non sit erepta.* Abram. *Fac potuisse,* supple, *te.* Jen. cum aliis, *potuisses,* quod non est Ciceronianum. Infra c. 24. *fac id te dedisse:* sic semper aliis locis. Hevsing. Omnes, quos vidi, libri recte, *potuisse.* Gar.

Quod est aliud, nisi ut] Neminem offendat *ut* post *aliud.* Sueton. Aug. xciv. *Fuerunt, qui interpretarentur, non aliud significare, quam ut is ordo, cuius insigne is esset, quandoque ei subiiceretur.* Hevsing. Adde locos a Tursellino collectos, sive potius a Schwarzio p. 85. ed. Patav. Gar. Quemadmodum cum aperte, tum vero etiam occulte, alia

beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint? Quod si esset beneficium, numquam ii, qui illum interfecerunt, a quo erant servati, quos tu ipse

quasi tractans, orator Antonium lacessit, sic hoc loco, Caesaris quippe caedis honorificam mentionem iniiciens. Postquam igitur dixit, latronum hoc esse beneficium, quod glorientur eorum, quibus vitam non ademerint, salutis sese auctores esse, ait: *quod si esset beneficium, nunquam ii* etc. i. e. quanquam vitam aliis non adimere, non simpliciter meritum dici posset; id si esset, Caesaris interfectores non tantum inhumani, sed etiam, quod ab eo servati essent, ingratissimi cuique videri deberent, et tantam gloriam neutiquam consecquuti essent; quaeri, quam ob caussam quis alicuius vitae parcat, et quo iure. Si latro igitur vitae alterius parcat, non istud pro beneficio existimandum esse, ac propterea sic pergit: *quale autem beneficium est, quod te abstinueris scelere?* sc. tum quum vitae meae te pepercisse glorieris.

Beneficium latronum] Salvianus libro 8 de gubernatione Dei: *Latrones quidem hoc proverbio uti solent, ut, quibus non aufevant vitam, dedisse se dicant.* Xenophon libro 2 de expeditione Cyri Iunioris: Menon Thessalus *beneficii loco numerabat, si quis ab ipso discederet, quod eum in potestate habens non occidisset.* In eandem pene sententiam Seneca libro 2 de beneficiis cap. 12: *Caesar dedit vitam Pompeio Penno, si dat, qui non aufert.* Et cap. 20 Brutus a Caesare *vitam accipere debuit: ob hoc tamen non habere illum parentis loco, qui in ius dandi beneficii iniuria venerat. Non enim servavit is, qui non interfecit, nec beneficium dedit, sed missionem.* Plinius lib. 16, cap. 42: *Hinc civicae coronae meritum virtutis insigne clarissimum: postquam civilium bellorum profano meritum coepit videri, civem non occidere.* Abram.

His se vitam dedisse] *His se dedisse vitam,* omnes libri scripti. Ferrar. Vatic. *ni ut commemorare possint, is se dedisse vitam.* Gar.

A quo erant servati] Inter eos, qui Caesari necem intulerunt, praeter Brutum et Cassium factionis duces Pompeiani Cecilius, Bucolianus, Rubrius Rex, Q. Ligarius, M. Spurius, Servius Galba, Sext. Naso, Pontius Aquila numerantur ab Appiano 2 bellorum civilium, qui omnes Pompeiani fuerant, et a Caesare servati. Caeteros omitto: de Bruto Plutarchus: *Caesarem aiunt eius curam non abiecisse, sed iis ducibus, qui circa ipsum pugnae intererant, praecepisse, ne Brutum occiderent, sed ei parcerent, et si quidem se voluntarie tra-*

viros clarissimos appellare solos, tantam essent gloriam consecuti. Quale autem beneficium est, quod te abstinueris nefario scelere? Qua in re non tam iucundum videri mihi debuit, non interfectum a te, quam miserum, id te impune facere potuisse. Sed sit beneficium, quandoquidem maius accipi a latrone nullum potuit: in quo potes me dicere ingratum? An de interitu rei publicae queri non debui, ne in te

deret, eum adducerent, sin repugnaret, neque se capi sineret, eum relinquerent, nec vim inferrent. Abram.

Viros clarissimos] *Clarissimos viros*, o. l. v. Ferrar. Lamb. *clarissimos viros soles appellare:* sed totus locus ad Vaticani lectionem redigi debet, quae huiusmodi est: *numquam qui illum interfecerunt, a quo erant conservati, quos tu clarissimos viros soles appellare.* Ex his nihil aliud Muretus adscivit, nisi *conservati.* Vide ad c. 30. pro Sulla, et 12. pro Lig. de verbis *servare*, et *conservare.* Garatonius.

Abstinueris a nefario scelere] *Abstinueris nefario*, o. l. v. ut paullo infra, *abstinere maledicto.* Ferrar. Praepositionem habent omnes ante P. Man. editi, uterque Barb. et alii MSi: sed ea caret etiam Vatic. qui tamen inferiore illo loco variat, ut videbimus. Sic III. de Fin. 11. *nullo dedecore se abstineant*, et sic alibi non raro. Idem mox, *non tam iucundum mihi videri debuit.* Gar.

Qua in re] Concludit per indignationem et miserationem, tantum Antonio, homini nequissimo, licentiae fuisse, ut cives praestantissimos impune potuerit occidere. Abram.

Sed sit beneficium] Concessio ἐκ περιουσίας longe contumeliosior, quam si omnino fuisse beneficium negavisset, dum eam adfert concessionis suae rationem, quod maius a latrone beneficium accipi non possit. Idem.

Maius a latrone accipi nullum potuit] M. Liliensis *a latronum principe;* quod non male iis respondet, quae praecesserunt. Gruterus. Ea sunt: *qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum.* Sed nullum aliam novi codicem, qui cum Liliensi consentiat. Gar.

An de interitu] Tres causas adfert, propter quas sine ingrati animi nota queri potuerit. 1. Quia querebatur non de iniuriis sibi privatim illatis, sed de interitu reipublicae. 2. Quia querela fuit nonnisi necessaria. 3. Quia fuit moderata, et sine contumeliis. Abram.

Ne te ingratus] *Ne in te ingratus*, o. l. v. res perspicua. Ferrarius. Vtebatur Ferrarius Aldinis exemplaribus: nam in ed. tantum senioris Aldi reperi, *ne te ingratus.* Exciderat vide-

ingratus viderer? At in illa querela, misera quidem et luctuosa, sed mihi pro hoc gradu, in quo me

licet *in* operarum vitio. Certe Rom. et Ven. cum Vat. et Barb. ambobus, *in te:* nisi quod sec. *ne ingratus viderer in te?* Male Naug. Cam. et repet. Lamb. *de te.* Gar.

An in illa querela] *At*, nonnulli scripti l. quod probo: ut eorum mentibus respondeat, qui hoc dicere potuissent, *Tu quidem de interitu reip. queri debuisti, sed tamen id facere sine ulla contumelia Antonii. Quibus respondet, Quid non moderate? quid non amice?* Quemadmodum illud ad Caecinam, *Nunquam nisi honorificentissime Pompeium appellat. At in eius personam multa fecit asperius. Armorum ista et victoriae sunt facta, non Caesaris.* Ferrar. *Nam in illa querela*] Ienens. *An*, meliores *At*, quod iam Graevius recepit. Havsing. Non erat quidem absurdum *Nam*, quod ex Grut. habent adhuc Verb. Oliv. et Lallem. Sed nihil infirmius: est enim primum in repet. Lamb. unde autem, ignoro. Recte itaque Graev. cum Lamb. Car. Steph. et P. Man. cum ed. Rom. vetere et cod. Vatic. *At.* Reliqui mei editi, et uterque Barb. male *An*, quod manifesto ex *At*, ut saepe, manavit. Gar. Vulgata est *nam*, quam Ern. recepit; at Ien. et Gud. 2. habent *an*. Veram lectionem, quam exhibet Vat. et Graevius recepit, *at* esse puto, namque duae istae enuntiationes aptius mihi videntur conjungi per adversativam, quam caussalem particulam. Dixit enim: *An de interitu reip. queri non debui, ne in te ingratus viderer?* Sequi debet: *at in illa querela quid est dictum a me cum contumelia?* Cohaeret enim oratio sic: *ego quidem questus sum*, at sine ulla contumelia, ut non ingratus videri possim.

Mihi pro hoc gradu] Consulari dignitate, quae mihi querelae necessitatem imponit, tum ne ex mea dissimulatione et silentio aliquid calamitatis in rempublicam redundet, tum ne ingratus videar, si reipublicae desim, a qua fuerim in hoc dignitatis gradu collocatus. Quantam autem adhibuerit moderationem, videndum 1 Philipp. cap. 11, etc. Hic adverte aculeum orationis, cum suam ipsius temperantiam quasi miratur, quod de Antonio querens abstinuerit maledicto. ubi emphasis est in nomine *M. Antonio*, homine videlicet scelerato et nefario, qui amplam maledicendi praebet materiam. Hoc ipsum est, quod queritur prima Philippica cap. 6: *Quae quidem ex re magnum accipio dolorem, homines amplissimis populi Romani beneficiis usos L. Pisonem ducem optimae sententiae non secutos. Idcircone nos populus Romanus Consules fecit, ut in altissimo gradu dignitatis locati rempublicam pro nihilo haberemus?* etc. Philippica 6: *Quid enim non debeo vobis, Quirites?*

senatus populusque Romanus collocavit, necessaria, quid est dictum a me cum contumelia? quid non moderate? quid non amice? Quod quidem cuius temperantiae fuit, de M. Antonio querentem, abstinere maledicto? praesertim quum tu reli-

quem vos a se ortum hominibus nobilissimis omnibus honoribus praetulistis? etc. *Etenim quis est civis, praesertim hoc gradu, quo me vos esse voluistis, tam oblitus beneficii vestri, tam immemor patriae, tam inimicus dignitatis suae, quem non excitet, non inflammet, tantus vester iste consensus?* Haec igitur prior est ratio, cur queri debuerit de interitu reipublicae, nimirum grata memoria et recordatio beneficiorum, quae a populo Romano acceperat. altera est, quam adfert Plinius libro 4, epist. 22, quia, *ut in corporibus, sic in imperio gravissimus est morbus, qui a capite diffunditur.* Abram.

Quid dictum] *Quid est dictum*, o. l. v. Ferrar. Ignorant *est* ambo Barb. et veteres editi usque ad MDXLI. Gar.

Et quidem cuius temperantiae] *Quod quidem*, o. l. v. quod tamen abiudico. Ferr. *Et quidem*] Antiquus liber cum omnibus in hac parte consentiens habet, *quod quidem.* et paulo post pro eo quod in eo est, *abstinere maledicti*, nos *maledictis* legimus. Faernus. *Quod quidem* cum extet etiam in omnibus meis, ut et in Faërni, Mureti, Lambini editionibus, non potui repudiare. Graevius. Lego, *quod quidem*, cum melioribus, et Ien. idque pro *quidem* dictum creditur, ut *quod nisi*, de quo Heuman. ad c. 6. pro Mil. et Bengel. ad XIII. Epist. 40. Hevsing. Veterum editionum lectionem *et quidem* satis commode ad Graecorum *καὶ τοι* referebat Budaeus in Comm. L. G. p. 918. ed. Steph. Ea tamen hic haesit nimium diu, Ferrario meliorem ac veram codicum suorum lectionem immeritam repudiante. Gar. Ernestii nota in defendenda lectione *et quidem* non magnopere adiuvamur, quod hae coniunctiones in tali contextu usurpantur, ut sint aut explicantis, aut amplificantis. Hinc a lectione Vat., quam Muretus, Lambinus, Graevius receperunt: *quod quidem*, non recedendum esse puto. *Quod* pro *hoc* refertur ad priora: *nihil dici cum contumelia, nisi moderate*, et ad ea, quae sequuntur: *querentem, abstinere* etc.

Cuius temperantiae] Vide Vatin. 1: *Fui paulo in te intemperantior fortasse quam debui:* Abram.

Abstinere maledicto] Pro Coelio: *Maledictio autem nihil habet propositi praeter contumeliam, quae si petulantius iactatur, convitium, si facetius, urbanitas nominatur.* Idem. Lambi conjecturam Faërni recepit, *ma-*

quias rei publicae dissipavisses? quum domi tuae turpissimo mercatu omnia essent venalia? quum leges

ledictis. In Vatic. quidem primo fuit maledicti, deinde manus recentior fecit *maledicto*. Esset autem Graeca locutio, *abstinere maledicti*, ut apud Horatium, *abstinere irarum*, quam extra poësin critici non ferunt. Ipsi viderint. Certe *abstinens* cum genitivo usurpatur non ab eodem Horatio solum, verum etiam ab aliis pluribus in oratione soluta: in quibus est Quinctilianus apud Lactant. VI. Div. Inst. 23. *homo neque alieni matrimonii abstinens, neque sui custos*. Neque tamen his exemplis rem confici puto: scio etenim, qua ratione differant: sed huius formulae usum Tullio denegare non audeo. Vide infra ad VII. 6. et V. C. Hermannum Cannegieterum Observ. Iur. Rom. L 8. p. 50. GARATON.

Domi tuae] Etiam, ut infra dicitur: *In gynaeceo, quo in loco plurimae res venierunt*. ABRAM.

Turpissimo mercatu] Infra: *Neque solum singulis veniebant immunitates, sed etiam populis universis: civitas non iam sigillatim, sed provinciis totis dabatur. Itaque si haec manent, quae stante republica manere non possunt, provincias universas, P. C. perdidistis, neque vectigalia solum, sed etiam imperium populi Romani huius domesticis nundinis deminutum est*. IDEM.

Cum leges eas] Post mortem Caesaris, multas leges, quae ne scriptae quidem ante fuerant, nedum promulgatae, vel tulit, vel per Tribunos plebis ferri curavit Antonius. quarum aliquae ad ipsum Antonium pertinebant, contra legem Liciniam et Æbutiam. Quibus ferendis auspicia neglexit, et Tribunos plebis ad intercedendum prohibuit accedere. A persona facinoris atrocitatem exaggerat: longe enim est indignius ab augure quam a caeteris auspicia contemni. Cumque ad officium Consulis spectet praevidere, ne tribunitiarum legum multitudine respublica turbetur, eaque legum multitudo sola reliquorum Tribunorum plebis intercessione tollatur, indignissimum est Consulem Tribunis plebis intercedendi facultatem adimere. IDEM.

Leges eas] Abs re non fuerit legum, quas tum per se, tum per alios et maxime per fratrem suum Luc. Antonium Tribunum plebis tulit Antonius, hoc loco seriem contexere. Atque ut taceam privilegia de singulis exulibus revocandis, prima sit de Siculis civitate donandis. de qua 14 ad Attic. epist. 12: *Scis, quam diligam Siculos, et quam illam clientelam honestam iudicem. Multa illis Caesar, neque me invito, etsi Latinitas erat non ferenda. Veruntamen. Ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem a Dicta-*

tore comitiis latam, qua Siculi cives Romani: cuius rei vivo illo mentio nulla. Quibus postremis insinuat, eam legem, antequam promulgaretur, latam fuisse. Secunda fuit de Armenia Deiotaro reddenda. de qua infra, et epistola proxime laudata: *Quid? Deiotari nostri caussa non similis? dignus ille quidem omni regno, sed non per Fulvium.* Tertia fuit agraria, de qua Philipp. 5: *Hic omnem Italiam moderato homini Luc. Antonio dividendam dedit. Quid? hanc legem populus Romanus accepit?* Clarius Dio lib. 45: *Per Luc. Antonium fratrem suum, Tribunum plebis, promulgationem tulit de multis agris, iisque etiam, qui essent in paludibus Pomtinis (cum tamen eae nondum complanatae, nedum agriculturae aptae essent) populo dividendis. Erant eo tempore tres fratres Antonii, gerebatque quilibet eorum aliquem magistratum, M. Consulatum, Luc. Tribunatum plebis, C. Praeturam.* Quarta fuit de provinciis. Philipp. 5: *Tribuni plebis legem tulerunt de provinciis contra acta Caesaris, ille biennium, hic sexennium.* Id est, alter eorum tribunorum legem tulit de M. Antonii sententia, ut Praetoriae provinciae biennium, alter, ut Consulares sexennium tenerentur, cum lege Caesaris, ut dicitur prima Philippica, cautum esset, *Ne Praetoriae provinciae plus quam annum, neve plus quam biennium Consulares obtinerentur.* Quinta fuit iudiciaria, quae, ut dicitur prima Philipp., *Promulgata est de tertia decuria iudicum,* ut videlicet, *quicunque ordinem duxerat, iudicaret.* de qua ibi, et Philipp. 5. fusissime. Sexta fuit de actis Caesaris servandis. Philipp. 5. Septima de nomine dictaturae tollendo. prima Philippica: *Dictaturam, quae vim iam regiae potestatis obsederat, funditus ex republica sustulit. De qua ne sententias quidem diximus: scriptum S. C., quod fieri vellet, attulit.* Quod S. C. etiam lege lata sancivit. Philipp. 5: *Si quam legem de actis Caesaris confirmandis, deve dictatura in perpetuum tollenda, deve colonis in agros deducendis tulisse M. Antonius dicitur, easdem leges de integro ut populum teneant, salvis auspiciis, ferri placet.* Ex his autem legibus quaedam ne promulgatae quidem fuerunt. a Philipp. *Ac de iis tamen legibus, quae promulgatae sunt, saltem queri possumus, de iis, quae iam latae dicuntur, ne illud quidem licuit. illae enim nulla promulgatione latae sunt ante quam scriptae.* Philipp. 5: *Tulerunt de provinciis contra acta Caesaris ille biennium, hic sexennium. Num etiam hanc legem populus Romanus accepit? Quid? promulgata fuit? Quid? nonne ante lata quam scripta? nonne ante factam vidimus, quam futuram quisquam est suspicatus? ubi lex Caecilia et Didia? ubi promulgatio, trinundinum? ubi poenae recenti lege Iunia et Licinia?* Abram.

eas, quae numquam promulgatae essent, et de te, et a te latas confiterere? quum auspicia augur, intercessionem consul sustulisses? quum esses foedissime stipatus armatis? quum omnes impuritates pudica in domo quotidie susciperes, vino lustrisque confectus?

Et de te, et a te latas] Contra leges Liciniam et Æbutiam, de quibus Orator 2. Agraria: *Leges veteres sunt, neque eae Consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed tribunitiae, vobis maioribusque vestris vehementer gratae atque iucundae. Licinia est lex, atque altera Æbutia, quae non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne iis potestas curatione mandetur.* Idem.

Auspicia Augur] Philipp. 5: *Quam legem igitur se augur dicit tulisse, non modo tonante Iove, sed prope coelesti clamore prohibente, hanc dubitabit contra auspicia latam confiteri? Quid? quod cum eo collega tulit, quem ipse fecit sua nuntiatione vitiosum? nihilne ad auspicia bonus augur arbitratus est pertinere?* Idem.

Intercessionem Consul sustulisses] Eadem Philippica, Antonio leges perferente, *Omnes fori aditus ita sunt septi, ut, etiamsi nemo obstaret armatus, tamen, nisi septis revulsis, introiri in forum nullo modo posset. sic vero erant disposita praesidia, ut, quomodo aditus hostium prohibetur castellis et aggeribus, ita ab ingressione fori populum tribunosque plebis propulsari videres.* Et ita dicitur intercessionem sustulisse, quia tribunos plebis, qui intercedere potuerant, ab ingressu fori submoverat. Idem.

Stipatus armatis] *Armis*, 1. Lang. et alii nonnulli, quo modo locutus est in hac ipsa oratione, *Ad quas te peragratis veteranorum coloniis stipatum armis retulisti.* figura notissima. Ferrarius. Etiam cod. Car. Steph. *stipatus armis.* Etiam V. Phil. 6. *non possum adfirmare, nullis telis eos stipatos fuisse.* Gar.

Pudica in domo] Cn. Pompeii. infra: *Quid enim unquam domus illa viderat nisi pudicum, nisi ex optimo more et sanctissima disciplina,* etc. Abram. Male Rom. et Ven. *publica in domo.* Emendandus Nonius, qui p. 333. exhibet, *impudica in domo cottidie susceperis:* cuius tamen erroris contagio Vaticanum ipsum corrupit habentem, *cum omnis impuritates inpudica in domo cottidie susciperes:* nisi forte bis positum *in* varietatem indicat collocationis. Muretus certe Vaticano hic obsequi, meo indicio, non debuit, quamvis MSorum Nonii accedat auctoritas. Servius ad III. Aen. 61. citat, *vino lustrisque confectus*, quem vide.

At ego, tamquam mihi cum M. Crasso contentio esset, quocum multae et magnae fuerunt, non cum uno gladiatore nequissimo, de re publica graviter querens, de homine nihil dixi. Itaque hodie perficiam, ut intelligat, quantum a me beneficium tum acceperit.

IV. At etiam literas, quas me sibi misisse diceret, recitavit, homo et humanitatis expers, et vitae communis ignarus. Quis enim umquam, qui paullum modo bonorum consuetudinem nosset, literas ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium protulit, palamque recitavit? Quid est aliud,

Infra Vat. *quocum multae, etiam magnae fuerunt.* Gar.

Cum M. Crasso] Multas contentiones fuisse Ciceroni cum M. Licinio Crasso, constat ex eius in Crassum dicteriis, quae a Plutarcho referuntur. Abr.

Cum uno gladiatore] *Vno* pro *aliquo*: vide Gunther. Latin. restit. P. II. c. 194. Heusing.

Quantum tum a me beneficium acceperit] Plerique libri *tum* non habent. In quibus reperitur, ii sic: *Quantum a me beneficium tum acceperit.* Ferrarius. Sic et Vaticanus, et qui eum expresserunt Faërnus, Muretus, Lambinus, Manutius. Graev. Etiam ab utroque Barb. *tum* abest. Male post *quantum* collocabatur in edd. Ald. Naug. Cam. Gryph. et P. Man. quibus adsensi sunt immerito repet. Lamb. et Grut. Recte, ut in MSis Ferrarii, id collocarunt non Aldus nepos modo, et ceteri a Graevio laudati, sed etiam Rom. et Ven. et ex suo cod. Car. Stephanus. In Vatic. est, *ut intellegas, quantum a me beneficium tum acceperit:* forte, *acceperis.* Garaton.

Qui paulum modo] *Paululum,* l. v. Ferr. Sic et Vatic. et saepe laudatae editiones, quae vel nunquam, vel rarissime, ab eius recedunt vestigiis, quas non recte adspernatus est Gruterus, et alii. Graev. Hic vero ab iis editionibus dissidet Vaticanus, qui habet pro duabus vocibus *paullulum modo* unam *paullo.* Sed rectius editiones illae cum P. Man. et Car. Steph. Ferrarii codicibus paruerunt. Quoddam Graecorum dictum, ὀργῆς χάριν τὰ κρυπτὰ μὴ 'κφάνῃς φίλου, huc trahit Victorius XXVI. Var. Lect. 16. Gar.

Quid hoc est aliud? quam tollere. c.] *Quid est aliud tollere e vita vitae societatem?* omnes fere l. v. quod valde placet. Ferr. *Quid est aliud tollere e vita etc.*] Ita omnes fere libri, quibus usus Ferrarius; neque secus Pal. sec. ac S. Victor. Grut. Ante legebatur, uti in bene multis locis aliis harum orationum, ubi ea loquutio usurpata est:

tollere e vita vitae societatem, tollere amicorum collo-

quid hoc est aliud, tollere e vita vitae societatem, quam tollere amicorum colloquia absentium? Expunxerunt interpretes *hoc;* at etiam *quam* inter *societatem* et *tollere* eliminandum est. Desideratur in Vat. et in Ien. ex vulgari Ciceronis usu; sic Phil. 5, 2. *quid est aliud omnia ad bellum civile hosti arma largiri?* Ante scriptum erat: *quid hoc aliud est, quam ad bellum civile,* postea Codd. adhibitis locus a Grutero correctus est. Phil. 10, 2. ante scriptum erat: *quod quid est aliud, quam librarium Bruti laudare?* usque dum Lambinus locum correxit; in Pison. c. 20. *quid est aliud furere, non cognoscere leges?* de off. 2. c. 23. *quid est aliud, aliis sua eripere, aliis dare aliena?* Alia ratio loquendi obtinet v. c. de senect. c. 2. *quid enim est aliud gigantum modo bellare, nisi naturae repugnare?*

Quam tollere amicorum colloquia absentium] Notum est illud ex Anthologiae libro primo:

Ἡ φύσις ἐξεῦρεν, φιλίης θεσμοὺς ἀγαπῶσα,
Τῶν ἀποδημούντων ὄργανα συντυχίης,
Τὸν κάλαμον, χάρτην, τὸ μέλαν, τὰ χαράγματα χειρὸς,
Σύμβολα τῆς ψυχῆς τηλόθεν ἀχνυμένης.

Organa, queis secum absentes loquerentur amici,
Natura invenit foedus amoris amans,
Chartam, atramentum, calamum impressasque figuras,
Afflictae mentis symbola missa procul.

Orator lib. 2, epist. 4. ad Curionem: *Epistolarum genera multa esse non ignoras, sed unum illud certissimum, cuius caussa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire aut nostra, aut ipsorum interesset.* Ac proinde eleganter Turpilius citatus ab Hieronymo ep. 1:

Sola res est, quae homines absentes praesentes facit.

Et Libanius Sophista epistolam ita definit (Graeca modo non occurrunt: Latinis esto contentus): *Epistola est congressus per litteras absentis cum absente.* Antiphanes apud Athenaeum lib. 10:

Θήλεια μὲν οὖν ἐστι φύσις ἐπιστολή,
Βρέφη δ' ἐν αὐτῇ περιφέρει τὰ γράμματα,
Ἄφωνα δ' ὄντα (ταῦτα) τοῖς πόῤῥω λαλεῖ,
Οἷς βούλεται, ἕτερος δ' ἂν τύχῃ τις πλησίον
Ἑστὼς ἀναγιγνώσκοντος οὐκ ἀκούσεται.

Epistolae natura muliebris data est.
Vtero illa foetus litteras gestat gravi.
Mutae loquuntur litterae, quibus volunt,
Etsi remotis: alius assistens prope,
Tamen legentis verba non exaudiet.

quia absentium? Quam multa ioca solent esse in

Theodoretus oratione 4 de providentia longe pulcherrime: *Per hanc scribendi scientiam, quamvis absentes, nobiscum invicem conversamur, et qui multorum dierum itinere distamus, atque immensis mansionum spatiis et intervallis seiungimur, ingeniorum concepta et animorum sententias nobis invicem, seu per manus transmittimus, et lingua quidem, quae primarium orationis organum est, otiosa cessat, sermoni autem dextra ancillatur, quae calamo arrepto quod nobis cum amico transigendum erat negotium calamo aut chartae inscribit, et sermonis vehiculum est non os, nec lingua, sed manus, quae longi temporis usu artem exercuit, et elementorum compositionem probe edocta est.* Synesius epistola 137: *Potest epistola infelicibus amantibus esse solatio, praebens in absentia corporum opinionem praesentiae, et allocutionis mutuae specie animae desiderium implens.* Divus Basilius epistola quadam ad S. Ambrosium inter praecipua divinae providentiae munera illud enumerat: *Quod nos magna locorum intercapedine disiunctos concessit coniungi alloquio litterarum.* Et Diodorus Siculus lib. 12. Bibliothecae Charondam laudat, quod in sua republica litterarum, vel potius scribendi artem censuerit caeteris omnibus disciplinis esse praeferendam, tum ob alias, tum ob hanc praecipue rationem; *Hae solae efficiunt, ut defunctorum memoria inter vivos perduret. his internuntiis, qui longissimis terrarum intervallis separati sunt, cum procul absentibus tanquam cum prope adstantibus colloquia miscent.* Abr. *Quam tollere amicorum*] Melius istud e tribus mss. nostris, quam vulgatum, *societatem? tollere amic.* etc. Guilielmius. Grvt. Sic et Colon. Graev. Retinuerunt ex Grutero hanc lectionem Verburgius quoque, et Olivetus; neque aliter multo ante Grut. dederat Car. Stephanus, qui sic in suo codice procul dubio scriptum invenerat. Sed erat, meo iudicio, tolerabilior vetus lectio editorum ante P. Man. omnium, et utriusque Barb. item Ferrett. *quid hoc est aliud, quam etc.* Omnino in tribus Gulielmii MSis, in Colon. et Steph. bis positum verbum *tollere* adponenti *quam* fraudi fuisse cognoscitur: quod ipsum glossematis indicium est maximum. Quod enim superiore loco addere imperiti voluerunt, adhaesit inferiori. Cum MSis Ferrar. Vatic. Ien. etc. et cum edd. P. Man. et Lamb. delendum est *quam* utrobique, ut recte fecerunt Heusing. et Lallem. quamvis ille has Gulielmio et Graevio auctoritates fuisse non viderit, hic autem, qui Oliveti ed. usus hoc posterius *quam* delere volebat, diligentior esse in adnotatione debuerit, quam inepte conscripsit. Garaton.

Multa loca] *Ioca* corrigendum, ut referatur ad seria. ut

epistolis, quae, prolata si sint, inepta videantur? quam multa seria, neque tamen ullo modo divulganda? Sit hoc inhumanitatis tuae: stultitiam incredibilem videte. Quid habes, quod mihi opponas, homo diserte, ut Mustellae Tamisio et Tironi Nu-

l. 11. de fin. bo. et ma. *Qui cum ioca, seria (ut dicitur), qui cum arcana, qui cum occulta omnia.* quod autem sequitur, *inepta esse videantur*, *esse* ab omnibus libris abest. FERRAR. *Quam multa ioca solent esse in epistolis*] Cave, lector, sequaris in hoc antiquorum lib. auctoritatem, quod in eis scriptum est *epistulis*. fuit enim certis quibusdam temporibus consuetudo illa depravata scribendi *u* pro *o*, et *o* pro *u*, quemadmodum admonuimus paulo ante. Tu igitur, quidquid dicant certi quidam homines, qui, ratione et veritate reclamante, aliter dicunt scribi oportere, nempe *adulescens*, *epistula*, per *u*, scribe *epistola*, et *adolescens*, per *o*. LAMBIN. In meo quoque libro Franc. est *loca*, sed recte dudum emendarunt viri docti *ioca*, quod et in Vaticano videntur reperisse Faërnus et Muretus. Saepe autem pro *iocus* scriptum esse in antiquis libris *locus* ostendi ad Ciceronis ad famil. XVI, 21. GRAEVIVS. Male habent *loca* non modo Rom. Ven. Ald. Naug. et ambo Barberini, verum etiam Vaticanus: quod merito repudiandum censuit Camerarius, retinens *ioca* ex priore Hervagiana. Cui vero nota non est litterarum I. et L. permutatio? Recte h. l. legit etiam Servius, qui ad I. Aen. 306. haec adnotat. „*Et* locos, *et* loca *dicimus, cum in numero singulari* locus *tantum dicamus. Simile est et* iocus: *nam et* ioca, *et* iocos, *ut Sallust. in Iug.* ioca atque seria cum humillimis exercere, *et Cicero Phil.* II. quam multa ioca solent esse in epistolis." Haec ille. Apud Sallust. Iug. XCVI. 2. omnes libri habent *agere* pro Serviano illo *exercere*. Porro de nostri loci permutatione adde Drak. ad Liv. XXXVI. 14. GARATON.

Inhumanitatis tuae] Lamb. notavit: q. v. c. non habent *tuae*. Graev. in V. L. illud q. explicat *quinque*, sed valet *quidam*. Id vero Vaticanum non habere vidi. Supra eiusdem Lambini cod. cum ceteris melioribus, *inepta videantur* sine v. *esse*, quod millies debemus emendatoribus. IDEM.

Vt Mustellae Tamisio] *Mustellae tamen scio*, L. Lang. qui cum plerique consentiunt. de hoc alio loco. FERRARIVS. Vterque princeps erat gladiatorum: vide c. 41. Phil. V. 6. VIII. 9. et XVI. ad Att. 2. Ien. pro *Numisio* legit *Numiseio*. HEVSING.

misio videris? qui quum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios

Qui cum hoc ipso tempore] *Hoc isto*, omnes l. s. quod minime displicet. nam praeterquam quod tot libros auctores habet, ratione praeterea, et scriptorum, qui ita locuti sunt, auctoritate nititur. Vt enim dicitur, *hic ille*, *hic ipse*, *ille ipse*, *ille iste*, sic dicitur *hic iste*, quod consuetudo quoque bonorum Latinitatis auctorum comprobat. Cic. pro domo sua, *Hunc istum ocii et pacis hostem.* Laurentius Val. hunc locum ita citat, *Qui cum isto tempore.* sed mihi et graviores, et antiquiores auctores duo libri sunt, ccc non minus annis natu (ut ita dicam) maiores, quam ipse Laurentius. FERRAR. *Qui cum hoc ipso tempore stent cum gladiis*] Antea legebatur, *hoc isto tempore:* quod quidem ita ineptum est, (ignoscant optimi et doctissimi hominis Ferrarii manes) ut refutatione non indigeat. Vetustissimi libri scriptura est, *Qui cum hoc ipsumo tempore stent cum gladiis in conspectu senatus.* unde collegi, legendum, *hoc ipso tempore.* Venerat in mentem et alia coniectura, non inepte fortassis legi posse: *Qui cum nunc ipsum (o tempora) stent cum gladiis in conspectu senatus.* ut propter indignitatem rei interiecisset illud, *o tempora.* Vtrum igitur melius sit, alii indicabunt. MVRETVS. *Qui cum hoc ipso tempore*] Sic coniecit esse legendum Muretus ex antiqua script. quae talis est: *qui cum hoc ipsumo tempore.* nam pleraeque editiones habent, *cum hoc isto tempore*, etc. affert idem aliam coniecturam, nempe hanc: *qui cum nunc ipsum, o tempora*, etc. quam plane non probo. Adr. Turnebus autem sic tentabat restituere, *qui cum hoc pessimo tempore*, etc. quae coniectura videtur longe optima. verum tamen nihil muto. LAMBINVS. *Qui cum hoc ipso tempore*] Muretus indicat extare in Vaticano cod. *ipsumo*, quod mutare religio fuit Guilielmio. quid enim, addit, vetat, veteres dixisse *ipsumus*, cum iidem frequentarint *ipsissimus?* At Turnebus lib. xv. Adversar. cap. 2. transpositis elementis leviterque mutatis, inde faciebat, *qui cum hoc pessimo*, etc. GRVTERVS. *Isto* est etiam in Franc. et Graeviano, quod cur tam absurdum sit visum Mureto, ego non video. Recte tuetur veterrimorum librorum scripturam Ferrarius. Cur enim *hoc isto* absurdius sit illo, quod non longe post sequitur, *teque in ipso isto convinco.* Sic enim meus liber. Vulgati *isto ipso.* GRAEVIVS. *Hoc ipso tempore.* Sic Ienensis: multi scripti libri, *hoc isto tempore*, quod Graevius praefert, etsi Mureto iure ineptum videtur. In Vat. fuit *ipsumo* pro *ipso*, litteris V. et M. quae

defensurus. Sed quid opponas tandem, si negem me umquam istas literas ad te misisse? quo me teste convincas? An chirographo? in quo habes scientiam

Librarius aliud agens scripserat, sed litura inducere noluerat, iis fortasse notis suppositis, quibus abundare significantur. Bonus Grut. hoc pro *ipsissimo* positum existimavit, quod nec ipsum Ciceronis est: vide ad c. 27. Hevsinger. Barb. etiam uterque, *hoc isto*, quod male receperunt P. Man. et Car. Steph. Nos iam cum Mureto et Heusing. sensimus ad c. 9. pro Rab. Post. Miror, Graevium *hoc isto* comparare cum *ipso isto*, quod idem est cum *hoc ipso*, ut hic habent ceteri editi. Nunc autem primum video Ienensem a Graeviano dissentire. Ceterum, quamquam nihil mutandum est, Mureti coniectura laudem maximam postulat. Formulam Tullianam *nunc ipsum* illustravit Pareus in Lex. Crit. p. 8.4. quam, optimis MSis auctoribus, probaverat inpense Victorius ad XII. ad Att. 40. Garaton.

Quid oppones tandem] *Opponas*, o. l. v. Ferrar.

Sed quid opponas] Quid, inquam, opponas? Hanc vim particulae *sed* esse, pluribus exemplis doceo ad c. 32. Atque ita *sed* explicandum, non eiiciendum est pro Mil. 28. pr. *Quamquam haec quidem iam tolerabiliora videbantur (etsi aequabiliter in remp. in privatos etc. irruebat). sed, nescio quomodo, iam usu obduruerat, et percalluerat civitatis incredibilis patientia: quae vero aderant iam, et inpendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre, imperium ille si nactus esset.* Ibi enim particula *sed* repetit priora, et his reliqua adnectit: *quamquam*, *inquam*, *patientia civitatis obduruerat*. Tum demum particulae *quamquam* respondent haec, *quae vero aderant*, reliqua. Hevsing.

Quo me teste convincas?] In aliis, *convinces*. Sed hoc nostrum quanto melius sit, quantoque elegantius, qui non videat, hebes admodum fuerit. Mvretvs. Secuti sunt quoque hanc scripturam Faërnus et Lambinus. Graev. Nempe *opponas* ex Ferrario emendarant, *convinces* remanserat: et haec imparia contra Vatic. recentiores iterum dederunt. Gar.

An chirographo] An exhibere potes litteras mea manu scriptas, aut saltem subscriptas? Abram. Vide II. Epist. 13. X. 21. Hevsing.

In quo habes] Commode hic obiicit, quod infra fusius exponet: *Domus quaestuosissima est falsorum commentariorum et chirographorum officina, agrorum, oppidorum, immunitatum vectigalium flagitiosissimae nundinae.* Abram. Vide infra c. 14. 38. 39. 42. et Torrent. ad Suet. Tit. III. Hevsing.

quaestuosam. Qui possis? sunt enim librarii manu. Iam invideo magistro tuo, qui te tanta mercede, quantam iam proferam, nihil sapere docuit.

Sunt enim librarii manu] Pal. prim. et Maur. item P. *libera manu.* sec. *libere.* unde suspicemur verum esse *liberti manu.* Liliensis tamen legit *sum enim libera manu.* omnino nescio quid latet. GRVTERVS. Eadem varietas est in codicibus, quos excussi. Colon. *Sunt enim libere manu.* Amsterd. Franc. et Graev. *Sunt enim libera manu.* Mihi Gruteri coniectura blanditur, *Sunt enim liberti manu* scilicet scriptae. GRAEVIVS. Barb. pr. *libera*, quod erat etiam in sec. sed eadem manus emendavit, *librarii*, quam ego lectionem propter multorum codicum menda numquam deseram. x. 2. *quid est aliud, librarium Bruti laudare, non Brutum?* II. ad Q. Fr. 16. *Cum a me litteras librarii manu acceperis.* GAR.

Iam invideo magistro tuo] Epiphonema, quo superioris argumentationis conclusio citra ironiam repetita continetur, et egregio lepore exhilaratur oratio. Infra: *At quanta merces Rhetori data est? audite, audite, P. C. reipublicae vulnera. Duo millia iugerum campi Leontini Sexto Clodio Rhetori assignasti, et quidem immunia, ut pro tanta mercede nihil sapere disceres.* ABRAM. De hoc Sex. Clodio Rhetore infra c. 17. 34. 39. III. Phil. 9. IV. ad Att. 15. Lactant. I. 22. II. Sueton. de clar. Rhetor. cap. v. HEVSING.

Quantam] Ienens. *quanta.* IDEM. Rectissime, atque hoc e suo Graev. iam notaverat, nullo tamen alio adstipulante. GAR. *Iam invideo magistro tuo, qui te tanta mercede, quantam iam proferam, nil sapere doceat*] Ien. pro *quantam* exhibet *quanta*, et Vat. *doceat.* Teeg. *docuit.* Quod attinet Vat. lectionem ab omnibus interpretibus receptam, ea ab uno Ern. reiecta est propterea, quod his de rebus a rhetore Antonius iam edoctus fuerit. At quum sit antiqui libri lectio, neque quisquam negare possit, Antonium etiam tum eodem magistro declamasse, eam praeferendam esse puto.

Nihil sapere docuit] Antiqua lectio, *doceat.* quod forte rectius est. adhuc enim sub eo magistro declamabat Antonius. FAERNVS. *Nihil sapere docuit*] Non abludit Themistius oratione prima, quae βυσανιστής inscribitur, ita loquens de Rhetoricae sive artis Sophisticae auditoribus: ἰχθύων μὲν ἔσονται ἀναυδότεροι· μισθὸν δ' ὅμως εἰσπράξεται ὁ διδάσκαλος τῆς ἀφωνίας, etc. *Piscibus quidem erunt magis elingues. Nihilo tamen secius magister exiget mercedem infantiae.* ABRAM. Vaticani libri scripturam edidimus cum Faërno, Mureto, Lambino. GRAEV. *Nihil sapere docuit*] Ita cum vulgatis codices Regii. Graevius

Quid est enim minus non dico oratoris, sed hominis, quam id obiicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit, qui obiecerit? At ego non nego: teque in isto ipso convinco, non inhumanitatis solum, sed etiam amentiae. Quod enim verbum in istis literis est non plenum humanitatis, officii, benivolentiae? Omne autem crimen tuum est, quod de te in his literis non male existimem: quod scribam tamquam ad civem, tamquam ad bonum virum, non tamquam ad sceleratum et latronem. At ego tuas lite-

maluit, *doceat.* LALLEM. Solus Vat. *doceat:* neque certum esse arbitror, Antonium in Consulatu adhuc didicisse sub Rhetore. Aliud enim est exercitationis caussa declamitare. *Sapere,* ἔχειν φρένας: vide Victor. XXXIII. Var. Lect. 8. GAR.

Quid est minus. c.] *Quid enim est minus,* partim v. l. nonnulli, *Quid est enim minus,* in hoc omnes consentiunt, quod habent *enim.* FERRARIVS. *Quid enim est minus*] Lactantius lib. 3, cap. [illegible]: *Turpe igitur est hominem ingeniosum dicere id, quod si neges, probare non possit.* Pro Coelio: *Ea in alterum ne dicas, quae cum tibi falsa responsa sint, erubescas.* ABRAM.

Quam obiicere adversario] *Quam id obiicere,* o. l. scripti. FERRAR.

Omne autem crimen tuum est] Expositio planior Antonianae dementiae. omnis autem criminatio tua est, sive illud unum in his litteris criminaris. ABRAM. Nihil in his litteris criminari potes, nihil est, quod crimini dare possis, nisi illud, quod de te non male existimo. Iam monui ad c. 1. *crimen* esse criminationem, ut infra c. 16. pro Amer. 13. XI. Epist. 28. Nepos Epam. VII. 3. HEVSING.

Non male existimem] Loquar. Nazarius panegyricus Constantini: *Existimare quidem de principe nemini fas est.* Macrobius 2. Saturn. cap. 3.: *Strabone in adulationem Caesaris male existimante de Catonis pervicacia, ait Augustus: Quisquis praesentem statum civitatis commutari non volet, et civis et vir bonus est.* Loquendi modus Senecae familiaris, ut notat Isaacus Casaubonus. Hieronymus contra Luciferianos: *Cogor de beato Lucifero secus quidquam, quam et ipsius meritum, et mea humanitas poscit, existimare.* id est loqui, sequitur enim, *Quid faciam? veritas os reserat, et invitam linguam conscium ad eloquendum pectus impellit.* Est autem caussa pro effectu, ut idem Casaubonus alibi notat: nam existimatio pro sermone ponitur, quia ex ea, id est ἐκ τοῦ πληρώματος τῆς καρδίας sermo nascitur. ABRAM.

At ego] Concludit mentione

ras, etsi iure poteram a te lacessitus, tamen non proferam: quibus petis, ut tibi per me liceat quemdam de exsilio reducere, adiurasque, id te, invito me, non esse facturum, idque a me impetras. Quid enim me interponerem audaciae tuae: quam neque auctoritas

litterarum, quas de Sexti Clodii restitutione ad Ciceronem scripserat Antonius! Eae libro 14. ad Atticum loco item decimo quarto referuntur hoc initio: *Occupationibus est factum meis.* ubi his verbis petit Antonius: *A Caesare petii, ut S. Clodium restitueret: impetravi. Erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio eius, si tu concessisses: quo magis laboro, ut tua voluntate id per me facere nunc liceat.* et ita concludit: *Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum: ut intelligas, quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem praebeas.* Respondet Cicero epistola sequenti: *Ego vero tibi istuc, mi Antoni, remitto, atque ita ut me a te, cum his verbis scripseris, liberalissime et honorificentissime tractatum existimem.* Idem.

Quemdam] Sex. Clodium, quo auctore P. Clodii a Milone interfecti corpus in curia crematum est, sed et curia incensa fuerat. Vide pro Mil. 12. et 33. pro Domo 10. 18. 31. Damnatus itaque de vi, usque ad Caesaris mortem in exsilio fuerat. Vide Manut. ad I. Phil. 1. Alius igitur est Sex. Clodius Rhetor, de quo paullo ante. Hevsing.

Adiurasque] Iuras insuper. Abram. Sic saepe *adiurare* pro simplici *iurare* legitur apud Terentium aliosque scriptores optimos. Graevivs. *Adiurasque*, h. e. iuras. Ita omnes libri, etsi in ipsa epistola ter tantum confirmat Antonius, se invito Cicerone nihil facturum, non iurat. Hevsing. Placet mihi ordo MSi Graev. *id te, me invito.* Sic in illa Cic. epist. *ut inimicum meum, necessarium tuum, me invito, servare nolles,* et simillime ibid. infra, *quae tua potestas est, ea neges te, me invito, usurum.* Gar.

Quid enim interponerem audaciae tuae?] *Quid enim me interponerem,* L. Col. quo modo locutus est in ep. ad Q. Fratrem, *Me nihil interpono.* Et in Verr. *Cur te interponis invitissimis.* c. Ferrarivs. Deest *me* in utroque Barb. et ante Naug. editis, qui primus, Camer. sequente, dedit, *interp. me aud. tuae.* Melius id collocant MSi Ferrar. et Vatic. Gar.

Quam neque auctoritas] *Quem neque auctoritas,* o. fere l. v. Ferrar. *Quam neque*] Ien. *quem,* ut omnes, quos Ferrarius inspexit. Recte. Hevsing. Aldus senior invexit *quam,* eumque perperam secuti sunt Naug. Cam. Lamb. Grut. Graev. omnesque recentiores, uno excepto Heusingero, qui, ut erat rei criticae pe-

huius ordinis, neque existimatio populi Romani, neque leges ullae possent coërcere? Veruntamen quid erat, quod me rogares, si erat is, de quo rogabas, Caesaris lege reductus? Sed videlicet meam gratiam voluit esse: in quo ne ipsius quidem ulla esse poterat, lege lata.

V. Sed quum mihi, Patres conscripti, et

vitissimus, intellexit, eam lectionem illorum inscientiae tribui debere, qui superius *audaciae tuae* sic iubere censuerunt. De Lambino miror, et Graevio, qui formam eamdem, quam hinc excluserunt, in epist. I. ad Div. 9. iure probaverant: quamvis ibi optimus cod. Medic. aliique male indicantibus auctoritatem praeberent. Locus hic est. *Illud quidem certe nostrum consilium iure laudandum est, qui meos cives* etc. *servis armatis obiici noluerim.* Ita cum plurimis cod. Barb. 1411. Male cum Medic. et aliis alter Barb. 1410. *quod meos.* Vide porro ibi Cortium, ne sexcentos nominem, qui hanc syntaxin illustrant. Quamobrem hic lego *quem,* ut habent Rom. Ven. P. Man. et Car. Steph. et cum bonis codicibus etiam Barb. uterque, Vaticano quantumvis refragante. Garaton.

Meam gratiam] Meum beneficium, ut cum Bersmanno explicat Vechnerus Hellenolex. II. 5. p.484. Parei Lex. crit. p. 523. Heusing.

Vlla esse poterat] *Vlla poterat esse,* Lang. et Col. et collocatio haec coagmentata, illa hiulca. Ferrarius. Sono consulit Ienensis, in quo est *esse poterat,* quod rescripsi. Heusing. Quam differant Ferrarii aures, et Heusingeri, vides. Senserat cum Heusing. antea Lambinus, qui restituit, *esse poterat,* ut duo Barb. et plerique codices cum omnibus ante P. Manut. editis exhibent, imo etiam Vaticanus. Gar.

Sed cum mihi] Orationis divisio. dicet pro se ad cap. 12. contra Antonium reliqua oratione: ubi videri possit Rhetorum praecepta transgressus: illi enim aiunt pollicendam esse brevitatem, hic dicit se multa dicturum. Sed id certo iudicio facit, et eadem fiducia, qua subdit, se non petere attentionem, sed effecturum, ut, cum contra Antonium dicet, attente audiatur. Cum enim ita natura comparatum sit, ut aliorum reprehensionem libenter audiamus, praesertim si sint alicuius dignitatis ac nominis, quo quis plura dicturus est, eo avidius auditur. et eo maiorem attentionem sibi conciliat, quo minus prae se fert eam se esse petiturum. Hac enim caussae fiducia satis ostendit, se res magnas et inusitatas esse dicturum, quae vel ab invitis et oscitantibus attentionem extorqueant. At vero cum de seipso dicturus est, benignitatem auditorum implorat, ne, si se effecturum esse promit-

pro me aliquid, et in M. Antonium multa dicenda sint:

tat, ut pro se dicens benigne audiatur, hac fiducia impudens esse videatur. nihil enim odiosius est auditu quam sui iactatio. Vides hac trimembri periodo quam prudenter docilitatem, benevolentiam, attentionem aucupetur. Docilitatem: *Sed cum mihi P. C. et pro me aliquid, et in M. Antonium multa dicenda sint*, benevolentiam: *alterum peto a vobis, ut me pro me dicentem benigne*, attentionem: *alterum ipse efficiam, ut, contra illum cum dicam, attente audiatis*. ABRAM.

Pro me aliquid] Pro se dicturus et brevitatem promittit, et benevolentiam aucupatur, quia, ut ait Demosthenes pro Corona ipso exordio, φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει, τῶν μὲν λοιδοριῶν καὶ τῶν κατηγοριῶν ἀκούειν ἡδέως, τοῖς ἐπαινοῦσι δ' αὐτοὺς ἄχθεσθαι. *Ita natura comparatum est, ut convitia et accusationes libenter audiamus, eos vero qui se laudant moleste feramus*. Praeclare etiam Fabius Praefatione lib. 11: *In primis igitur omnis sui vitiosa iactatio est, eloquentiae tamen in oratore praecipue: adfertque audientibus non fastidium modo, sed plerumque etiam odium. Habet enim mens nostra natura sublime quiddam, et erectum, et impatiens superioris. Ideoque abiectos aut summittentes se libenter allevamus, quia hoc facere tanquam superiores videmur: et quoties discessit aemulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se maiorem, quam reliquos minores facere. Inde invident humiliores (nam hoc vitium est eorum, qui nec cedere volunt, nec possunt contendere) rident superiores, improbant boni* Subdit: *Reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero*. Dio libro 38: *Cicero acerbissimos sibi inimicos paraverat, dum semper praestantissimo cuique se praeferre studeret, libertateque dicendi in omnes immodica ad satietatem usque uteretur: quippe qui magis facundi ac prae reliquis diserti, quam boni viri nomen venabatur. His de caussis, ad haec quod gloriando caeteros omnes excederet, neminem sibi parem duceret, sed cogitationibus suis, ut et in vita, omnes prae se contemneret, neque idem cum ullo vitae institutum sequeretur, oneri plerisque et molestiae erat*. Plutarchus in comparatione Ciceronis et Demosthenis: *Praeterea ex scriptis utriusque perspicias, sobrie hunc et modeste suas ipsum laudes attingere, et quum id postularet maior usus: Cicero immodicus in orationibus suis laudum suarum praedicator ambitionem gloriae nimiam arguit suam, dum clamat,*

Cedant arma togae, concedat laurea linguae.

Nos non morum Ciceronis patrocinium, sed orationum explanationem suscepimus; quia tamen sui iactatio non in moribus

solum, sed etiam in orationibus est maxime vitiosa: de ea paucis disseremus. Cumque alia sit eloquentiae, alia rerum gestarum praedicatio, de rebus gestis in praesentia quaeremus. Et quoniam, ut ait Plutarchus opusculo, quomodo quis se citra invidiam laudare possit, *oratio de corona commodissime oppositionibus et criminum dissolutionibus laudes attexit:* operae pretium fuerit ex hac oratione exempla depromere, ut, si noster Demosthene in suis laudibus, ut volunt, parcissimo moderatior fuerit inventus, ab odiosae iactationis infamia vindicetur. *Licet te,* inquit Plutarchus, *ipsum sine vituperatione laudes, primum si tui defendendi causa id facias.* Id quidem fecit Demosthenes, ut testatur ipso orationis exordio. Eadem etiam sui laudandi caussa fuit Ciceroni, ut ait pro domo sua. nisi forte gravius Demostheni fuit privari corona, quam Ciceroni concedere, se crudelem fuisse in Consulatu, et exilio iure esse multatum. Fabius loco citato: *Rerum a se gestarum maior, quam eloquentiae fuit in orationibus utique iactator. Ac plerumque illud quoque non sine aliqua ratione fecit. Aut enim tuebatur eos, quibus erat usus adiutoribus in opprimenda coniuratione: aut respondebat invidiae, cui tamen non fuit par, servatae patriae poenam passus exilium: ut illorum quae egerit in Consulatu frequens commemoratio possit videri non gloriae magis quam defensioni data.* Rursum Plutarchus: *Qui in iis ipsis, quae praeclare gessit, vituperatur, omni venia dignus est et culpae vacuus laudans res a se gestas. videtur enim non exprobrare, sed se ipsum defendere. Hoc igitur illustrem dedit libertatem Demostheni, et sustulit in sua ipsius laude fastidium, qua laudatione utitur tota oratione de corona, glorians de his, ob quae accusabatur, legationibus et decretis.* Neque in hac parte Cicero concesserit, ut pro domo: *Tu me etiam custodem defensoremque Capitolii, templorumque omnium, hostem Capitolinum appellare ausus es.* Pro Sextio: *Civis erat expulsus is, qui rempublicam ex Senatus auctoritate cum omnibus bonis defenderat, et expulsus non alio aliquo, sed eo ipso crimine.* Subdit Plutarchus: *Hoc etiam utilitatis ex illa oratione possumus addiscere, quod de se dictis commodissime admiscens auditorum laudes invidiam et amoris proprii suspicionem a se removit, ut cum refert, quales se Euboeensibus praebuerunt Athenienses, quales Thebanis, quae in Byzantios et Cherronesitas beneficia contulerunt: quorum se administrum duntaxat ait.* Haec et alia Plutarchus in hanc sententiam. Quid Noster vel loco proxime laudato Sextianae, vel hic proxime: *Obiecit mihi Consulatum meum, qui Consulatus verbo meus, P. C., re vester fuit. Quid enim constitui, quid gessi nisi ex huius ordinis consilio, auctoritate, sententia?* In quo sane moderatior est Latinus, nam alter videri vult suis consiliis Athe-

mienses esse gloriam consecutos, hic Senatui suorum etiam consiliorum laudem impertit. Quam odiosum illud? *Quid igitur opem ei tulit, ut vos propemodum caperet volentes in fraudem inductos aliorum Graecorum sive improbitatem, sive ignorantiam dicere oportet?* Et illud, *Falsa nuntians, et vos ludificans.* Quid est aliud quam auditoribus imprudentiam obiicere, ut deinde subiungat: Πῶς οὐχ ἁπάντων ἐνδοξότατα ὑμεῖς ἐβουλεύσασθε ἐμοὶ πεισθέντες; *Quomodo non omnium gloriosissime decrevistis mihi parentes?* Quod si necesse fuerat ostendere, Athenienses fuisse deceptos, quid attinebat orationem ad ipsos iudices convertere, ut ex eorum errore suam laudem arcesseret? Quanto lenius erat τὸν δῆμον ἑκόντα ἐξαπατώμενον, et φενακίσας τὴν πόλιν, aut aliud eiusmodi. Plutarchus: *Solent nonnulli eos, qui eadem animi inductione usi sunt, eademque fecerunt, sibique moribus sunt similes, opportune laudantes auditorem sibi conciliare, et ad se convertere.* Iam Tullius in aliorum laudibus quam liberalis? plenae sunt eius orationes: sed praestat vel ipsum adversarium testem adhibere sic loquentem in vita Ciceronis: *Iucundissimam suam et venustissimam dictionem odiosam reddidit et ingratam auditoribus, hac eum quasi morbo aliquo semper comitante importunitate. Verumtamen quamquam supra modum cupiditate flagravit gloriae, caruit invidiae tamen adversus alios vitio, quippe qui effusissime et veteres et aequales suos celebravit.* Quid simile in Demosthene? quem nominare possit, quem tota illa oratione de corona laudaverit? imo quam frigide suae sententiae laudat auctores? *Cum viderem, Thebanos, atque adeo vos quoque, propemodum a Philippi procuratoribus et hominibus apud utrosque corruptis inductos, id quod utrisque erat formidabile, magnamque cautionem requirebat, ne potentiam Philippi crescere sineretis, negligere, nec ullam rei cavendae omnino suscipere curam, ad inimicitias autem mutuasque simultates propendere; hoc ut ne fieret, perpetuo cavebam: qui non meapte duntaxat prudentia sic expedire existimarem, sed Aristophontem etiam itemque Eubulum omni tempore conciliare voluisse illam amicitiam, et cum aliis de rebus saepe inter se dissentirent, in hoc semper concordasse scirem: quos, ut viventes, vulpecula, assectans sectabare, defunctis obtrectare non erubescis. Nam quod me de Thebanis accusas, illos multo magis quam me accusas, qui ante me societatem illam probaverunt.* Quam commodus erat locus laudandae eorum prudentiae, quos sequebatur auctores? Sed nimirum tantum sibi laudis detractum iri putavit, quantum vel defunctis accederet. Aliquanto post tamen nonnullos laudat: sed sane quam frigide laudavit, immo nimiam huic laudationi ῥᾳστώνης sive desidiae labem adspersit. Post valde putide se veteribus oratoribus anteponit.

Quanto moderatius Noster, qui non res suas gestas, ut plurimum, sed hominum de se iudicia proponit, vide in Pisonem c. 2. et alibi passim, ut non tam arrogans in adsciscendis sibi laudibus, quam gratus in commemorandis hominum de se iudiciis esse videatur. Plutarchus: *Qui se ipsos laudare coguntur, minus sunt odiosi, si non omnia sibi vindicent, sed tanquam oneris alicuius gloriae partem fortunae, partem Deo imponant.* Multa huius rationis exempla profert, eaque praeclara, sed nullum depromit ex orationibus Demosthenis. immo vero omnia praeclara sibi suisque consiliis adscribit, adversa Deo et fortunae: *Rerum enim omnium exitus talis est, qualem Deus esse voluit. Ipsum vero propositum consulentis animum declarat. Ne igitur id iniuriae loco mihi numeres, si ita contigit, ut Philippus praelio victor esset. Eius enim rei finis in Dei voluntate, non penes me fuit.* Et alia multa in hanc sententiam. At, ut verbis utar Fabii lib. 11. praefat. *Marcus Tullius saepe dicit de oppressa coniuratione Catilinae, sed modo id virtuti Senatus, modo providentiae Deorum immortalium assignat.* Exemplum est tertia Catilinaria cap. 8 et 9. Pro domo sua: *Custos urbis Minerva, quae semper adiutrix consiliorum meorum, testis laborum extitisti.* Quam modestiam non solum verbis, sed etiam re ipsa ostenderet. *Prius quam discederet* (in exilium), *in Capitolium,* inquit Dio lib. 38, *adscendens, simulacrum quoddam Minervae, quam Custodem appellabat, consecravit.* Quare modestiae potius quam arrogantiae tribuerim, *quae non desierunt carpere maligni,* verba sunt Fabii: *Iovem illum, a quo in concilium Deorum advocatur; et Minervam, quae omnes eum artes edocuit, quae sibi ille secutus quorumdam Graecorum exempla in carminibus permiserat.* Omitto reliquas laudandi sui rationes a Plutarcho tractatas, quibus Cicero nihil concedit Demostheni: illud tamen praeterire non possum: *Quemadmodum qui lippientibus molestiam exhibere nolunt, valde splendidis umbram quamdam admiscent, ita nonnulli suas ipsorum laudes neque omnino splendidas, neque meras proferunt, sed aliquos defectus, repulsas et levia peccata iniiciunt, ut auferant quod grave est et indignationi obnoxium.* Nullum ex Demosthene profert exemplum. Neque enim, quod sciam, ulla in eius orationibus erroris ingenua confessio. Ne eam quidem Cicero praetermittit, in ea praesertim oratione, qua patriam bis a se conservatam esse gloriatur, ut inimicum suum Clodium dolore disrumpat. Pro domo sua: *Data merces est erroris mei magna, Pontifices, ut me non solum pigeat stultitiae meae, sed etiam pudeat: qui, cum me non repentinum aliquod meum tempus, sed veteres multo ante suscepti et provisi labores cum viro fortissimo et clarissimo coniunxissent, sim passus a tali amicitia distrahi; neque intelle-

alterum peto a vobis, ut me, pro me dicentem, benigne; alterum ipse efficiam, ut, contra illum quum dicam, attente audiatis. Simul illud oro: si meam quum in

serim, quibus aut ut apertis inimicis obsisterem, aut ut insidiosis amicis non crederem. Si tamen provocatus fueris, poteris te cum inimico sine invidia comparare, et ex eius vitiis tuam illustrare virtutem, ut Demosthenes cum Æschine, Cicero cum Vatinio et Pisone se comparat. in hoc tamen differunt, quod Cicero magnifica quaeque sectatur, de utriusque Consulatu disserens, de absentia, de reditu: Demosthenes nonnunquam haeret in nugis, quantumlibet se praemuniat, et opinionem frigiditatis a se deprecetur: *Hos interroga, utrius fortunam unusquisque eorum malit. Docebas litteras? Ego ad scholas ibam. Initiabas? Ego initiabar. Saltabas? Ego sumptus praebebam. Scriba eras? Ego habebam conciones. Tertias partes actitabas? Ego spectabam. Excidebas? Ego exsibilabam.* Verum esto: concedamus hanc Graeculo levitatem, et ut eiusdem verbis utar: *Δότε, εἰ βούλεσθε, δότε αὐτῷ τοῦτο.* Illud vero tolerari non potest, quod suae laudi et obiurgationem iudicum, et beneficiorum in eos suorum exprobrationem admiscuit et obiurgationem: *Sed pravae cuidam consuetudini multum licentiae dedistis, ut cuilibet eum liceat, qui vestris utilitatibus patrocinatur, supplantare et calumniari: voluptatem et suavitatem audiendi convitia publicae utilitati praeferentes. Quapropter facilius est et semper tutius hostibus inserviendo locare operam, quam eam in republica deligere stationem, qua vestra commoda propugnentur.* Exprobrationem paulo post: *Turpe est, Athenienses, cum ego molestias istas laborum vestra causa susceptorum tolerarim, vos nec verba, quae de rebus ipsis facienda sint, velle sustinere.* Quid? quod paulo ante finem, cum se magnificentissime praedicasset: *Verbis utor longe tenuioribus, quam pro magnitudine rerum, invidiae metu.* Quid est insultare suis auditoribus, si hoc non est? Quid restat, nisi ut in peroratione se omnibus sua aetate viventibus anteponat, idem etiam de mortuis, quotcunque olim in republica floruerunt, dicturus, nisi livor in vivis pasceretur. Quod non paulo modestius, opinor, Cicero non in suam, sed Pompeii laudem usurpat oratione pro Cornelio Balbo. ABRAM.

Vt pro me dicentem. c.] *Vt me pro me dicentem*, nonnulli v. l. in queis Col. FERR. Non debebat omitti primum *me*, ut omisit Gruterus, quod recte sunt amplexi Faernus, Muretus, Lambinus, Paullus Manutius, confirmante id Coloniensi. GRAEVIUS. Et Vaticano. GAR.

Simul illud oro] Etsi, qui alterum vituperat, attente ut plu-

omni vita, tum in dicendo moderationem modestiamque cognostis, ne me hodie, quum isti, ut provocavit, respondero, oblitum esse putetis mei. Non tractabo ut consulem: ne ille quidem me ut consularem. Etsi ille nullo modo consul, vel quod ita vivit, vel quod ita rem publicam gerit, vel quod ita factus est; ego sine ulla controversia consularis.

rimum auditur, solet tamen apud auditores in odium vocari: quare prudenter Orator, ut suspicionem a se malignitatis avertat, moderationis in dicendo suae pristinae facit mentionem, et prae se fert, se non sponte sua, sed Antonii provocatione ad hoc dicendi genus esse delapsum. ABRAM.

Modestiamque cognoscitis] *Cognostis*, lib. Col. Vt pro lege Man. *Vos Quirites hoc ipso in loco saepe cognostis.* Et multis aliis in locis, quae brevitatis causa relinquo. FERRARIVS. Ien. *cognoscetis*, ita tamen, ut litterae E superscripta sit I, ut sit, *cognoscitis.* Sed neutrum placet. HEVSING. Verum est, *cognostis*, quod firmat Barb. primus, et Vatic. GAR.

Vt provocavit] *Vt provocatus*, l. nonnulli. FERRAR. *Vt provocavit, respondebo*] Antiquus liber *respondero.* FAERN. Arripuit praeter Faërnum et Muretum *respondero* Lambinus, suffragantibus etiam tribus codicibus. GRAEV.

Non tractabo ut Consulem] Reddit rationem, cur insectando Antonio nullam Consularis dignitatis rationem sit habiturus, ne petulantius, quam par erat, in Consulem populi Romani invectus fuisse videatur. Immo Antonium Consulem fuisse negat, tres ob causas, quas tu vide. ABRAM.

Vel quod ita factus est Consul] Non suffragio populi, sed beneficio Caesaris. Infra: *Iussus es renuntiari Consul, et quidem cum ipso.* ABRAM. Notat Lambinus in margine, in nonnullis libris non legi *Consul.* Muretus sane illam vocem expunxit, sed retinuit Faërnus. Sed Mureto tamen adsentio. Additum est a Grammatico hanc orationem interpretante, qui forte nescivit *fieri*, *factum esse*, saepissime Ciceroni simpliciter poni pro *fieri Consulem, factum esse Consulem.* Vide lib. 1. ad Attic. epist. 1, et quae ibi notantur. GRAEVIVS. Vocem *Consul* delent vetera exemplaria: et ita ea, ac similes subaudiri solent. II. Epist. 9. *quod ita factus es*, scilicet Aedilis. Corn. Nepos Agesil. I. 3. *Horum ex altera in alterius familiae locum fieri non licebat:* ubi *Regem* intelligitur. Quomodo autem factus sit Consul, docebit infra c. 30. et 32. HEVSING. Vaticanus vocem istam optime omittit. GAR.

Ut igitur intelligeretis, qualem ipse se consulem profiteretur, obiecit mihi consulatum meum. Qui consulatus, verbo meus, Patres conscripti, re vester fuit.

Vt igitur] Negaverat Antonium, quod ita rempublicam gereret, esse Consulem. hic arrepta occasione ad suum ipsius Consulatum commode delabitur. ABRAM.

Vt igitur intelligeretis, qualem me esse consularem profiteretur] *Qualem ipse Consul profiteretur*, o. l. v. praeclare: ut sit, Obiecit mihi consulatum meum, ut intelligeretis, qualem ipse Consul profiteretur. Confirmatione non eget. Pisoni idem obiicienti idem prope respondit; *Quae cum reprehendis, ostendis, qualis tu, si ita forte accidisset, fueris illo tempore Consul futurus*. FERRAR. *Qualem ipse consulem profiteretur*] Nos a proxime praecedenti dictione, *ipse*, posteriorem syllabam mutuantes conieceramus legendum, *qualem ipse se consulem profiteretur*: quod postea antiqui libri auctoritas comprobavit. FAERNVS. Barb. ambo, *profitetur*, non male: in ceteris corrupti sunt, ut editi veteres. *Consul* et *Consularis* confunduntur etiam I. Phil. 6. et in Epit. Liv. LVIII. Rectum autem erat, *qualem ipse Consul profiteretur*, h. e. qualem consulatum: cuius lectionis fontem ignorabat I. F. Gronovius ad Plaut. Capt. III. 1. 20. cum eam P. Manut. receperit ex MSis Ferrar. praetuleritque inde Gulielm. ad l. c. Plauti in Quaest. c. 3. et Pareus in Lex. Crit. p. 995. contempta Faërni et Lamb. lectione, quam omnes postea secuti sunt, et quam primus exhibuerat Car. Steph. nisi quod habet, *profitetur*, ut nostri codices. Totum id enim, opinor, in suo cod. invenerat. Neque item absurdum censeo, *qualem ipse Consulem profiteretur*. Nihilominus a Vaticano discedendum non puto. GARATON.

Qui Consulatus] Commode Consulatus sui laudem cum Senatu communicat ad invidiam leniendam. Cum enim, ut apud Xenophontem Agesilaus, suae laudes si ab alio celebrentur, iucundissimum cuique sint acroama, contra nihil auditoribus esse molestius possit, quam sui ipsius suarumque rerum importuna laudatio, prudentissime Cicero suarum laudum molestiam auditorum laudibus temperavit, immo sibi nihil arrogat, maximam suae laudis partem Senatoribus impertit, quos suorum consiliorum facit auctores. In eoque sermone iucundissimo per synonymiam diutius immoratur: *Quid enim aliud constitui, quid gessi, quid egi*. ter id ipsum. et rursus: *Nisi ex huius ordinis consilio, auctoritate, sententia*. Quibus praeterea efficit, ut Senatores e iudicibus partes fiant, et omnia sibi praestanda putent, quae Cicero gessit in suo consulatu. *Constituere* spectare videtur ad Senatusconsulta, quibus legum

Quid enim constitui, quid gessi, quid egi, nisi ex huius ordinis consilio, auctoritate, sententia? Haec tu homo sapiens, non solum eloquens, apud eos, quorum consilio sapientiaque gesta sunt, ausus es vituperare?

auctoritas non accedit, *gerere*, ad oppressionem Catilinae, *agere*, ad leges a Cicerone Consule perlatas. Sic consilium est simplex rei faciendae vel omittendae suggestio, auctoritas aliquanto gravior, sententia quandam velut obtemperandi necessitatem imponit. Abram.

Quid enim constitui?] Sic o. l. v. *Quid enim ego constitui? quid gessi? quid egi?* Ferrarius. Consentiunt omnes mei quoque libri. Itaque id receperunt Faërnus, Muretus, Lambinus, Manutius. Cur respuit Gruterus, et editores ceteri? Graevius. Ante Ferrar. et P. Man. deerant *ego* et *quid egi*, ut in Barb. ambobus. Receperunt *ego* tantummodo P. Man. anno MDXLI. Car. Steph. Verb. Oliv. et Lallem. reliquas etiam duas voces Lambin. Ald. nepos, Graev. et Heusing. cum F. et M. ex Vatic. nihil autem horum Gruterus. Gar.

Haec tu homo sapiens] Vt sibi benevolentiam quaesivit, ita vicissim in invidiam vocat Antonium, eiusque stultitiam ostendit, quod ea vituperet in Senatu, quae Senatus auctoritate gesta fuerant. Et ironice sapientem, non solum eloquentem appellat, maiore contemptu, quam si stultissimum et infantissimum diceret, et aptius ad invidiam concitandam. Neque enim minus intelligitur, et si aperte stultissimum dixisset, hac verborum contumelia nonnihil invidiae et indignationis in seipsum derivasset: quae nunc non iam in rivulos diducta, sed pleno velut alveo fluens tota in Antonium effunditur. Stultissimum autem est id adversario crimini dare, quod iis conveniat, quorum opus sit benevolentiam aucupari. Abram.

Sapiens, non solum eloquens] Magna sapientiae et eloquentiae coniunctio. Vnde et testatur Orator initio librorum de inventione: *Sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus: eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam.* et in Oratore *sapientiam eloquentiae fundamentum* appellat. *Nihil enim est aliud eloquentia,* inquit in partitionibus oratoriis, *nisi copiose loquens sapientia.* Idem.

Apud eos] Cavendum imprimis, ne, apud quos dicimus, eos nostra offendat oratio. nobile exemplum est 2 de Oratore: *Pusillus testis processit. Licet, inquit Philippus, rogare? Tum quaesitor properans, Modo breviter. Hic ille: Non accusabis, perpusillum rogabo. Ridicule. Sed sedebat iudex L. Aurifex, brevior etiam quam ipse testis.*

Quis autem meum consulatum, praeter P. Clodium, qui vituperaret, inventus est? cuius quidem tibi fa-

Omnis est risus in iudicem conversus. visum est totum scurrili iudicium. Idem.

Quis autem meum consulatum] Aliam invidiae facem subiicit: quod unus P. Clodius, quondam perniciosus reipublicae civis, id vituperare sit ausus, quod nunc vituperat Antonius. Idem.

Praeter P. Clodium] Liber Vaticanus *praeter te P. aut Clodium*, unde coniici potest legendum esse, *praeter te aut P. Clodium.* P. Vrsinvs.

Cuius quidem te fatum, sicuti C. Curionem, manet] *Cuius quidem tibi fatum manet*, o. l. v. omnino impressi propius accedunt ad sermonis Latini consuetudinem. tot tamen, tamque vetustorum librorum quasi conspirationem negligendam non putavi: praesertim cum et grammatici tradant, antiquos ita locutos esse, et id poëtae nescio cuius testimonio confirment, *At tibi poena manet.* Quod si sequimur, emendandum erit *C. Curioni.* Ferrarivs. *Cuius quidem te fatum*] Hic locus ita legitur in antiquo libro: *cuius quidem tibi fatum sicut Curioni manet.* quam etiam lectionem comprobant libri, quos Ferrarius vidit. Paern. *Cuius quidem te fatum sicuti C. Curionem manet*] Non habeo dubium, quin legi debeat ita, ut in optimo libro scriptum est: *Cuius quidem tibi fatum, sicuti C. Curioni, manet.* Sed nescio quomodo fit, ut quicquid paulo longius ab usitata loquendi consuetudine discedit, id quorundam aures protinus repudient. Mvret. Faërnum et Muretum secutus est Lambinus. in meo quoque codice est *tibi.* Laudat etiam sic hunc locum Sanctius in Minerva lib. II, cap. 4. et constructionem pluribus exemplis confirmat, ut illo Virgilii:

Haec eadem matrique tuae,
generique manebunt.

Sed praestat, ut alia ibi legas. Graev. *Manet tibi fatum* (ita etiam in Ien.) dictum est, ut illud Virgilii, *Manet immota tuorum fata tibi*, h. e. non mutantur, non refiguntur. Hevsinc. *Tibi fatum, sicuti C. Curioni.* Ita cum Vaticano codices Regii. Lallem. Probat hoc merito etiam Heinsius ad illud Claudiani II. in Eutrop. 478. *unaque cuncto Poena manet generi.* Probant alii docti viri: nec fero, Gruterum et Verb. ab hac lectione discessisse, quamvis Nonius ex Antonii epistola XIII. Phil. 20. recitet p. 349. *sin autem aliud me patum manet*, hac alia constructione non observata. Apud Virgil. etiam x. Aen. 471. *et iam sua Turnum fata manent*, legitur in MSis Pierii: sed ipse, aliique omnes iure praeferunt, *vocant.* In Vatic. praenomen Curionis manu illa recentiore additum fuit. Gar. *Manet*, quum de rebus futuris dicitur, et dativum et accus. personae post se habet, si est i. q. *reliquum est*, *reservatur*, habet

tum, sicuti C. Curionem, manet: quoniam id domi tuae est, quod fuit illorum utrique fatale.

post se dativum. Phaedr. 5, fab. 5. *latinis dum manebit pretium litteris.* Sen. ep. 5. *manet mihi semper caedis memoria.* Liv. 1, 53. extr. *manere his bellum,* sie haben ihn noch zu fürchten. Loco enim Virgiliano Aen. 2, 157. *parce metu, Cytherea, manent immota tuorum Fata tibi,* qui locus nostro simillimus esse videtur, quoque etiam Heusingerus ad hanc rationem nostri loci, a multis libris vetustis confirmatam, tuendam usus est, nihil proficimus, namque verborum istorum apud poëtam sensus hic est: Fata illa ipsa erunt tuorum, seu tui eadem illa fata experientur (tibi), quae tu optas; at si inserviret hic locus nostrae rationi tuendae, sensus esset: tu adhuc experieris eadem fata, quae tui experti sunt. Ipse Servius notat: *tibi* aut vacat, aut *tibi fata* sunt tua fata. Immo apud Virg. fere semper: *fata te manent,* Aen. 2, 194. *manere fata nepotes nostros,* 10, 438. Simili modo *latere* atque *celare* etiam subinde cum dativo struuntur. Cat. 1, 2. *nihil agis, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore.* Cat. 1, 6. *ut tibi ad forum Aurelium praestolarentur armati.* Vat. *tibi* et *Curioni.* quam lectionem probat Muretus; dativos etiam in suo codice se invenisse dicit Graevius. Ien. *tibi.* Gud. *te ibi factum.* Teeg. *tibi factum;* deinde *Curionem.*

Quoniam id domi tuae est] Non satis scio, quid hoc esse dicam, quod in optimo libro legitur: *Quoniam id domus tuae est,* nisi, quicquid est, visum est tamen ut admonerem. MVRETVS.

Quod fuit utrique fatale] Fatalis maritis suis Fulvia, quod eos et ambitione inflaret, et ad ciendas turbas excitaret. Plutarchus in Antonio: *Nuptiis animum adiecit, ducens Fulviam, quae olim Clodio, populari concionatori, nupserat, mulierem neque lanificio, neque rei domesticae deditam, neque viro privato imperare dignantem, sed magistratum obtinenti praeesse, et imperanti volentem imperare.* Adeo ut in proscriptione triumvirali multos ipsa suo nomine proscripserit, ut referunt Dio et Appianus, et tum ipsa, tum Antonius Senatum ludibrio habuerint, ut auctor est Dio lib. 48: *Eas ludibrio habuerunt, tum aliis modis, tum Senatum Caligam vocantes, quod Senatores calceamentis militaribus uterentur.* Et ipsa post victos Brutum et Cassium, absente Antonio, bellum contra Caesarem Octavianum, qui in Italiam redierat, excitarit. Quo bello, ut ibidem narrat Dio, Fulvia *et gladio accingebatur, et militibus tesseram dabat.* Haec illa est Fulvia, quae tam foede insultavit absciso capiti Ciceronis. Idem Dio, lib. 47: *Fulvia autem id caput arreptum, priusquam auferretur, insultansque amarulentis verbis et conspuens genibus suis im-*

Non placet M. Antonio consulatus meus. At placuit P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius

posuit: orique eius aperto linguam extractam acubus (quales secum comendi capitis caussa mulieres ferunt) compunxit, additis crebris ac turpibus opprobriis. utor Xylandri versione. Vt mirum non sit, turbulentam hanc mulierem Antonio dici fatalem. Etsi enim insanus amor Cleopatrae extremam ei pestem invexit, id tamen Plutarchus Fulviae refert acceptum: *Vt mercedem Fulviae, quod ancillari Antonium docuisset foeminis, debuerit Cleopatra, quae plane cicurem et velut a tirocinio institutum ad obtemperandum foeminis accepit.* Haec Plutarchus. Neque tamen uxorem solum, sed etiam equum fatalem habuisse creditus est Antonius. Vide Gellii lib. 3. Noct. Attic. c. 9. Abram. De Fulvia vide P. Baile in Lex. Flor. IV. 5. Plutarch. in Ant. p. 920. 929. unde apparebit, eam omnia alia curasse, quam quae feminam decent: imperare viris, eosque ad turbas concitare solitam. Sunt, qui Ciceronem hic *equum* quoque *Seianum* significasse putant, quem ab Antonio alitum fuisse, auctor est Gellius III. 9. Id vero nugatorium est. Hevsing. Quibus Fulvia, uxor tua, nupsit, ii omnes eo fato nati esse videntur, ut immatura morte intereant, ab ipsa ad turbas concitati. Clodius a Milone caesus est, et Curio, Caesaris dux, cum exercitu in Africa periit a Iubae copiis oppressus. Paullo post dicit Cicero satis acerbe in Antonium, eius uxorem haud avaram iam diu debere populo Romano tertiam pensionem.

Non placet M. Antonio] Postquam Antonium in invidiam et contemptum adduxit, eum cum viris clarissimis et Consularibus componit. Abram.

At placuit Pub. Servilio] Pub. Servilius Vatia Isauricus hoc ipso anno diem obierat extrema senectute confectus, quo anno Caesar est interemptus, ut auctor est Dio. Cum Appio Claudio Pulchro Consul fuerat, anno ab urbe condita 676. sedecim annis ante Ciceronem, eo ipso anno, quo Sulla dictatura se abdicavit. Idem.

Vt eum primum nominem] *Primo*, o. l. s. quod tamen abiudico. Ferrarivs. *Vt eum primum nominem*] Ita solus antiquus liber, nam alii omnes *primo*. Faern. Alios intellige Ferrarianos, et suos: adde Barb. secundum. Nam omnes quidem editi cum Vat. et Barb. primo, et aliis *primum* recte servarunt, probante Ferrario ipso, et postea Nic. Heinsio ad Claudian. I. in Rufin. 302. quem vide; etiam Drakenborchium consule ad Liv. xxxiv. 14. quem porro vi. 11. edidisse mallem; *primus omnium ex patribus popularis factus*, ex MSis saltem tribus, quos coniectura Tan. Faber anteverterat, Dukero et Perizonio plaudentibus: minus enim recte ibi ceteri *primum*. Sic idem

temporis consularibus, qui proxime mortuus est, placuit Q. Lutatio Catulo, cuius semper in hac re pu-

Livius XXXII. 10. *Thessalos primos omnium nominavit Consul,* ubi similiter variatum fuit. I. de Offic. 5. *ex ea parte, quae prima descripta est,* ubi libri nonnulli, *primo*. GARATON.

Qui proxime est mortuus] Caesare quintum et Antonio Consulibus, ut auctor est Dio, *extrema senectute diem clausit.* Huius primo loco facit mentionem, vel quod esset eius memoria recentior, quam caeterorum, vel quod non mediocris esset eius auctoritas, ut ex eo videri potest, quod oratione de Provinciis Consularibus cap. 1. verbis Valerii Maximi retulimus. eadem refert Dio: *Vsque adeo qui tum erant Romani eos, qui aliqua dignitate praestarent, reverebantur. eosque oderant, qui vel in minimis rebus fuissent imprudentes,* ut eum, qui, Servilio praetereunte, ex equo honoris causa non descenderat, non audita eius defensione damnarint. ABRAM. Etiam in Vat. *est mortuus.* GAR.

Placuit L. Catulo] Sic omnes fere lib. scripti, *Q. L. Catulo.* quod ego interpretor, *Q. Lutatio Catulo.* ut in Acad. *innumerabiles Q. Lutatii Catuli.* FERRAR. *Placuit Q. Lutatio Catulo*] Antiquus liber, *placuitque Catulo,* quod ego interpretor *Q. Catulo.* nec puto voluisse Ciceronem tribus hunc nominibus appellare; alios omnes duobus tantum. FAERN. *Placuit Qu. Lutatio Catulo*] Consul fuit anno proxime sequente Servilii Consulatum. Ei Ciceronis Consulatus ita placuit, ut eum parentem patriae nominarit, in Pisonem. Tantae fuit auctoritatis, ut id ei contigerit, quod narrat Cicero pro lege Manilia: *Cum ex vobis quaereret, si in uno Pompeio omnia poneretis, si quid ab eo factum esset, in quo spem essetis habituri, cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce in eo ipso vos spem habituros esse dixistis.* Obiit secundo anno post Consulatum Ciceronis, ut scribit Dio. ABRAM. In meo codice legitur: *placuit C. V. Catulo.* Coloniensis et Franc. *placuitque L. Catulo.* Vera est correctio Faërni, quam et Muretus et Lambinus approbarunt. Sic paullo post in duobus MSS. legitur, *M. Crassoque Hortensio,* pro *M. Crasso, Qu. Hortensio.* GRAEV. Ienens. *Q. L. Catulo,* id est, Q. Lutatio Catulo, ut ab aliis plene scribitur. Is consularis, et censorius mortuus est anno DCXCII. Dio lib. XXXVII. HAVSING. Contigerat hic permutatio praenominis: pro Q. ambo Barb. et editi ante Manut. habent perperam L. h. e. *Lucio.* In aliis utrumque recipiebatur, quod cum Ferrarius male interpretatus esset, P. Man. Car. Stephan. repet. Lamb. Grut. Verb. Oliv. et Lallem. male adoptarunt, *Lutatio.* GAR. Notavit Graevius, in suo

blica vivet auctoritas; placuit duobus Lucullis, M. Crasso,

codice esse: *C. V. Catulo.* Heusingerus autem dicit, in Ien. reperiri *Q. L. Catulo*, quae diversitas lectionum suspicionem excitat, non esse eundem codicem. Vat. *placuitque Catulo*, in quo merito opinatur Faërnus latere Q. Catulo. Mortuus est consularis a. u. c. 692. praeter Servilium Isauricum, qui eodem anno cum Caesare mortuus est, reliqui, Catulus, M. et L. Lucullus, Hortensius, C. Curio pater, ante belli civilis initium mortui sunt.

Duobus Lucullis] Lucius Consul fuerat anno 680. Marcus anno 681. mortui sunt paulo ante bellum civile, ut ait Velleius. de anno non constat. Lucius et Marcus fratres fuerunt, ut ex Plutarcho constat et Cicerone. Diem suum obiit Lucullus Lucius Philippo et Marcellino Consulibus. Hunc enim oratione pro Sextio appellat, nulla mortis facta mentione: *A Lucullo summo viro atque Imperatore pulsus.* ut autem dicitur lib. 2. ad Q. Fratrem epist. 3: *Ad quintum idus Februarii Sextius ab indice Cn. Nerio Pupinia de ambitu est postulatus, et eodem die a quodam M. Tullio de vi*, ut ea causa non videatur peragi potuisse, ante Martium ineuntem. quo tempore Luc. Luculli, tanquam adhuc superstitis, facit mentionem. Paulo post tamen excessit e vita. Nam oratione de Provinciis Consularibus, quam habitam fuisse constat ante comitia Consularia, indicatur diem obiisse: *Vtinam Lucius etiam Lucullus ille viveret.* De Marco Lucullo nihil constat, nisi eum Lucio fratri superstitem fuisse, ut ibidem indicatur; et tamen ante bellum civile vitam finisse. Velleius lib. 2: *Nunc proposito operi sua forma reddatur, si prius gratulatus ero Q. Catulo, duobus Lucullis, Metelloque et Hortensio, qui cum sine invidia in republica floruissent, eminuissentque sine periculo, quieta aut certe non praecipitata, fatali ante initium bellorum civilium morte functi sunt.* Quanta autem Lucullorum fuerit auctoritas, de Lucio, Imperatore clarissimo, dicendum non est, de Marco oratione de Haruspicum responsis: *Quae tanta religio est, qua non in nostris dubitationibus, atque in maximis superstitionibus, unius P. Servilii ac M. Luculli responso ac verbo liberemur.* Abram.

M. Crasso] M. Licinius Crassus Consul fuerat cum Pompeio anno 684. quo anno Cicero Verrem iudicio postulavit, septem annis ante suum Consulatum. Crassus in suspicionem coniurationis vocatus est, ut ait Dio, sed is rumor brevi intercidit. Et eum probasse gesta Ciceronis ex eo constat, quod, cum fasciculum litterarum ab ignoto quodam accepisset, et unas a quopiam coniurato sine nominis subscriptione missas aperuisset, eas detulit ad Ciceronem, ut auctor est Plutarchus. A Parthis occi-

Q. Hortensio, C. Curioni, M. Lepido, C. Pi-

sus Cn. Domitio Calvino et M. Valerio Messala Consulibus, uno anno ante quam Orator Milonem defenderet. Vide epist. 13, lib. 1. ad Atticum, quantopere Crassus probaverit M. Tullii Consulatum. IDEM.

Qu. Hortensio] Consul fuerat proxime post Crassum et Pompeium, sex annis ante Ciceronem, quorum, ut dicitur praefatione libri de claris Oratoribus, coniunctissimus fuit consiliorum omnium societate. Diem obiit extremum anno, qui proxime bellum civile antecessit, ut indicat ibidem Noster his verbis: *Cum e Cilicia decedens Rhodum venissem, et eo mihi de Qu. Hortensii morte esset allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem*, et clarius eodem libro: *Est autem L. Paulo, C. Marcello Consulibus mortuus.* IDEM.

C. Curioni] C. Scribonius Curio cum Cn. Octavio Consul fuerat tredecim annis ante Ciceronem: eiusdem amantissimus, pro quo etiam legationem ad Senatum Equestris ordinis nomine suscepit cum Qu. Hortensio. Obiit eodem anno, quo Crassus, quia, ut videmus, Cicero eo anno in P. Crassi locum augur suffectus est, cum in Italia filius Curio non esset, qui non videtur plus anni spatio abfuisse: at eodem tempore Curio pater mortuus est. Epist. 2. ad Curionem: *Gravi teste privatus eum amoris summi erga te mei, patre tuo, clarissimo viro: qui cum suis laudibus, tum vero te filio, superasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut ante te videret, quam a vita discederet.* Quantum autem illi placuerit Tullii Consulatus, constat ex epist. 15, lib. 1. ad Atticum: *Sed heus tu, videsne Consulatum illum nostrum, quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat, si hic factus erit, fabulam ac mimum futurum?* IDEM.

M. Lepido] Tres fuerunt M. Æmilii Lepidi Consules sedecim annorum decursu ante M. Tullii Consulatum, unus Qu. Lutatii Catuli collega: alter anno proxime sequente cum D. Iunio Bruto: tertius cum L. Volcatio Tullo tribus annis ante Ciceronem. Primus superstes non fuit, sed Bruto et Lepido Consulibus, dum patriae bellum infert, a Catulo et Pompeio victus in Sardiniam fugit, ibique morbo extinguitur. De caeteris duobus non constat uter superstes fuerit, et approbaverit Tullii Consulatum. ABRAM.

C. Pisoni] Calpurnius Piso Consul fuit cum M' Acilio Glabrione, quatuor annis ante Ciceronem, quibus Consulibus Pompeius bellum piraticum *extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.* Iure igitur pro *M. Labeoni* rescribitur *M. Glabrioni.* De Volcatio iam dictum est, M. Lepidi fuisse Collegam. IDEM.

soni, M. Glabrioni, L. Volcatio, C. Figulo,

M. Labeoni] *Glabrioni* emendo. quod ex quodam loco epist. ad Attic. licet intelligere, quo in loco horum fere, qui hic appellantur, omnium mentionem facit, Consularium putat leviores fuisse, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, etiam M. Acilii Glabrionis, Silani, Murenae designatorum Coss. Hic autem Glabrio C. Pisonis collega fuit in consulatu. Iam Col. liber sententiam nostram comprobat. Ferrar. *Ma. Glabrioni, Ma. Lepido*] Inopia librariorum hic peccatum est: quod ea nota carerent, qua *Manii* praenomen exprimitur. eorundem errore admissum est, quod statim sequitur, L. *Volcacio:* vera enim scriptura, *Volcatio.* Haec addo subinvitus. Sed nolo, quantum id quidem a me praestari potest, cuiquam de meis libris errandi occasionem obiici. Mvretvs. *M'. Glabrioni*] Est a coniectura Ferrarii, sed quam sustentat Pal. sec. in quo *Clabrioni.* vulgata *L. Labeoni.* Grvt. Confirmat et Coloniensis, in quo est *M. Calabreoni.* Graev. Nihil certius. Barb. prim. *Labrioni*, unde factum est *Labeoni.* Muretum video etiam *Manio Lepido* dedisse, atque ita sane Fastorum ordinatores eum vocant, qui cum L. Volcatio Tullo Consul fuit. In Vatic. est, *C. Pisoni, M. Glabrioni; M. Lepido:* in qua collocatione gesti Consulatus ordo servatur: qui quidem in omnibus accurate servatus esset, hac traiectione facta, nisi eum turbaret adhuc mentio Curionis, qui Consul fuit ante Lucullos. Nihilominus Volcatio Lepidus vel idcirco proximus esse debet, quod Consulatum cum eo gessit. Puto autem amplitudini eximiae Lucullorum, Crassi, et Hortensii hoc fuisse a Tullio tributum, ut eo ante Curionem, antiquiorem Consularem, nominaret. Garaton.

L. Volcatio] Superstes fuit initio belli civilis, et Caesari se adiunxit. Lib. 8. ad Attic. epist. 1: *Nec me M. Lepidi, L. Volcatii, Servii Sulpicii comitum poeniteret: quorum nemo nec stultior est quam L. Domitius, nec inconstantior, quam Appius Claudius.* Et Atticus fragmento quodam epistolae, quae habetur lib. 9, epist. 12: *Si M. Lepidus et Luc. Volcatius remanent, manendum puto.* Et videtur, quantum in ipso fuit, pacis auctor fuisse. Eodem lib. epist. 22: *Etiam equidem Senatusconsulta facta quaedam iam puto: utinam in Volcatii sententiam.* Abram.

C. Figulo] C. Marcius Figulus cum L. Iulio Caesare Consul fuit eo ipso anno, quo Cicero Consul est designatus. De obitu non constat. De Decio Iunio Silano, et Luc. Licinio Murena Consulibus designatis, eorumque in Ciceronem studio nota res est, quamvis de obitu nihil mihi compertum est. Mirari quis possit, praeteritum fuisse L. Gellium Publicolam, qui Consul fuerat

D. Silano, L. Murenae, qui tum erant consules designati; placuit idem, quod consularibus, M. Catoni: qui quum multa, vita excedens, providit, tum quod

cum Cn. Cornelio Lentulo Clodiano, et ut dicitur in Pisonem, Senatoribus audientibus, *civicam coronam deberi a rep. dixit Tullio*. Idem.

D. Syllano] *Sillano*, e. l. v. ego de auctoritate veterum monumentorum, Silano. Ferrarius.

Qui tunc erant] *Tum*, omnes libri scripti. Idem.

M. Catoni] Peculiarem M. Porcii Catonis facit mentionem, etiamsi Consularis non esset, sed duntaxat quaestorius et designatus Tribunus plebis: tum quia propter morum sanctitatem praecipua fuit eius auctoritas, tum quia praecipuus auctor fuit illius Senatusconsulti de coniuratis in carcere iugulandis. Quantum placuerit Catoni Tullii Consulatus, indicio est, ut alios omittam, illud quod ait Plutarch. in Cicerone: *Ciceronis Consulatum ita verbis extulit in concione, ut honores illi omnium qui unquam fuerunt maximos decreverit, et patrem patriae nominarit. Huic enim primo videtur contigisse, cum eum ita Cato appellasset in concione.* Nam quanta fuerit Catonis auctoritas, ex eo patet, quod eum adolescentulum, antequam rempublicam attigisset, Pompeius et iam Consularis, et triumphalis, et Imperator verebatur et observabat. Idem in Catone: *Nemo dubitabat, quin illud Pompeii studium erga Catonem observantiae magis esset, quam amoris.* Quid? quod, cum rem incredibilem indicare vellent, in proverbium abierat: *Hoc quidem neque Catone dicente probabile est.* Vt mirum non sit, eius auctoritatem Consularibus adiungi. Quid autem moriens praeviderit, neque videre voluerit, ostendit Dio lib. 43: *Filium iussit ad Caesarem ire. Rogante vero adolescente, Quid tu igitur istud non facis? respondit, Ego quidem in libertate et vivendi, et loquendi nutritus, non possum tam subita rerum mutatione servitutem in senectute addiscere. Tibi vero in hoc rerum statu et genito, et educato convenit eam sortem amplecti, quam tibi deus obtulerit.* Sed profecto ineptiorem propositae brevitatis oblitus,

Grandia si vellem morituri
verba Catonis

dicere pluribus. Abram.

Vita excedens] Victis a Caesare in Africa Iubae et Scipionis exercitibus, eorumque castris uno die expugnatis, Cato Vticae sibi manus intulit violentas, vitamque finivit, ne in victoris manus deveniret, et videret oppressam servitute rempublicam. In omnibus publicis cladibus ponit Antonii Consulatum, quod is maximum reipublicae vulnus inflixerit: quasi ob eam praecipue causam sibi necem intulerit, ut se ab ea calamitate subduceret. Idem.

Providit] Praecavit, dum vo-

te consulem non vidit. Maxime vero consulatum meum Cn. Pompeius probavit: qui, ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse dixit. Sed quid singulos commemoro? Frequentissimo senatui sic placuit, ut esset nemo, qui mihi non, ut parenti, gratias ageret: qui non mihi vitam suam, liberos, fortunas, rem publicam referret acceptam.

luntaria morte obiit. Donatus ad Terent. Andr. I. 1. 3. *Providemus malum, sicut, si quis eminus veniens telum provideris, atque caverit.* Hevsing.

Cn. Pompeius] Separatam facit Pompeii mentionem, vel quia illustrior eius quam caeterorum fuit auctoritas, et ideo agmen claudere debuit: vel quia Pompeius rebus a Cicerone gestis non interfuit, sed biennio post reversus est ex Asia Syriaque decedens M. Pupio Pisone et M. Valerio Messala Consulibus. Cum res gestae sunt, eas non admodum probavit Pompeius, deque eo Tullius conquestus est epistola quadam, quae libro ad familiares quinto septima numeratur: *Res eas gessi, quarum aliquam in tuis litteris gratulationem expectavi, quam abs te praetermissam arbitror, quod verebare, ne cuius animum offenderes. Sed scito, ea, quae nos pro salute patriae gessimus, orbis terrae iudicio ac testimonio comprobari.* Postea tamen in iis laudandis liberalior fuit. De officiis lib. 3: *Mihi quidem vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in rempublicam beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus.* De eius auctoritate et obitu dicere non attinet. Abram.

Gratulans] Forte *gratulatus.* Lamb. leneus. *et complexus; et congratulans.* Vide I. de Offic. 22. Hevsing. Solita est, atque hoc loco nihili putanda unius codicis permutatio, *congratulans*, de qua vide, quae ad c. 6. pro Marc. adnotavimus. Gar. len. *et complexus et congratulans.*

Qui non mihi vitam suam, liberos, fortunas] Sic o. v. *Vitam suam, fortunas, liberos.* Quem ordinem quoque servavit in Pisonem, *A me se habere vitam, fortunas, liberos.* hoc amplius, quod *referret acceptam*, non *acceptum* probant. quod placet. Ferrar. *Fortunas, remp. referret acceptam*] Fragmentum Coloniense, *accepta.* quod melius: nisi forte rectum est, *acceptum.* Grvt. Conspirant cum Ferrarianis mei libri veteres. Graev. *Acceptum* habent editi ante P. Manut. sed ambo Barb. *acceptam.* Sed praeterea Rom. et Ven. *fortunam*, de qua le-

VI. Sed quoniam illis, quos nominavi, tot et talibus viris res publica orbata est: veniamus ad vivos, qui duo e consularium numero reliqui sunt.

etione dixi ad locum illum similem in Pison. II. Totus vero locus in Vat. ita legitur: *qui mihi non ut parenti gratias ageret, qui mihi non vitam suam, fortunas, liberos, rempublicam referret acceptam.* GARATON.

Sed quonium illis] Transitio ad vivos cum deploratione publicae calamitatis, ad augendam invidiam, quia scelere Antonii bellum civile excitatum fuerat, et respublica plerosque eorum bello civili amiserat. ABRAM.

Veniamus ad eos, qui duo e consulari numero] Antiquus liber pro *eos* habet *vivos.* quod vero sequitur, ita in eo est, iuxta etiam coniecturam Ferrarii, *de Consularium numero.* FAERNUS. [*Veniamus ad vivos*] Est a Pal. sec. Maur. et S. Victoris. prius vulgati, *ad eos.* GRUT. Vides iam dudum sic ex Vaticano Faërnum emendasse. et hinc quoque patet, nunquam Faërni notas vissas esse Grutero. GRAEV. Etiam Car. Stephanus in suo cod. invenerat, *ad vivos.* GAR. Ien. *veniamus ad eos, qui duo ex consulari numero.* Teeg. *veniamus ad eos, qui duo et consulari numero,* quam lectionem cum consuetudine latina pugnare iamdudum Ferrarius, postea Faërnus et Lambinus notarunt, et veram lectionem receperunt e cod. Vat. qui unus omnium exhibet hanc lectionem.

Qui duo e consulari numero] Sic loqui solet Latina consuetudo, ut dicat *e numero* disertorum, amicorum, civium: e numero tribunorum militum, centurionum, equitum: cuius rei plurima exempla apud M. Tullium et Caesarem passim licet invenire. Iam Livius, ut propius accedam, lib. IX, *Legatos*, inquit, *e consularium numero mittendos ad eum Senatus censuit.* Et Suetonius in Tit. Vespas. *Curatores restituendae Campaniae e consularium numero sorte duxit.* Quorsum haec, inquies? ut videas, rectumne sit, *e numero consulari:* an *consularium* pro *consulari* reponendum sit: praesertim cum hoc et eiusmodi caetera per notas scriberentur. ut ex eo facile error creari potuerit. FERR. *Consularium* recepit recte Faërnus et Lambinus ex Vaticano. *um* in *consularium* absorpsit sequens *num* in *numero,* ut saepe. GRAEVIUS. Intellige eos, qui Cicerone Consule fuere Consulares. Ien. *ad eos* (pro *vivos*), *qui duo ex consulari numero,* ut plures: *consularium* vero legendum esse, docuit Graevius. HEUSING. *E consularium numero,* recte Ferrarius, et Graevius, pro vulgato, *e consulari numero.* LALLEM. Divinavit profecto Ferrarius. Sed eas divinationes magnopere laudo, quibus elegantius aliquid et verius est restitutum. Cum autem exquisitioribus vulgaria sub-

L. Cotta, vir summo ingenio, summaque prudentia, rebus iis gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis: eique illi ipsi, quos modo nominavi, consulares, senatusque cunctus assensus est: qui honos, post conditam hanc urbem, habitus

stituuntur, optimos ipsos codices suspectos habeo, ut hic Vaticanum. Nam reliqui omnes libri habent hypallagen, de qua generatim diximus tum alibi, tum ad c. 18. pro Planc. cui saepe generi fuerunt emendatores infesti. Sed, ut huic loco magis adfinia proferam, ita pro Arch. 12. *quique est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti:* quem locum Lamb. sollicitabat, cum plures eiusmodi intactos reliquerit, veluti pro Marc. 7. *ex eo numero, qui una tecum fuerunt*, et in SCo VIII. ad Div. 8. *si ex eo numero, quos ex SCo in provincias ire oporteret.* Plinius VI. Epist. 5. *quosdam e nostro numero*, ubi vide Cortium. Adhuc propior nostro est locus II. in Verr. 50. *cum esset ex vetere numero quidam Senator demortuus:* ita enim veteres editi, non *veterum*. Dicitur etiam *Consularis numerus*, ut *Consularis locus* I. Phil. 6. et alibi, h. e. eorum, qui Consules fuerunt, ut *Sertorianus numerus* V. in Verr. 58. h. e. eorum, qui cum Sertorio fuerant. Muretus igitur perite fecit, cum, Ferrarii adnotatione perlecta, et Vaticano codice inspecto, retinuit tamen, *e Consulari numero.* Variant praepositiones. Lamb. ex Vatic. hic *de*, ceteri *e*, quomodo in loco Suetonii Tit. VIII. et in Liviano IX. 58. nunc editur *ex*. Sed nihil refert. GARATONIVS.

Luc. Cotta] Luc. Aurelius Cotta Consul fuit cum Torquato duobus annis ante Ciceronem. Huius etiam prudentiam celebrat Orator pro domo sua: *Vir prudentissimus et cum reipublicae, tum mihi, tum etiam virtuti amicissimus Luc. Cotta.* Pro Sextio: *Disputavit etiam multa prudenter.* quo loco dicitur, *Princeps rogatus sententiam Luc. Cotta.* Vnde liqueat, quanta fuerit eius auctoritas. ABRAM.

Verbis amplissimis] In eius verba videtur factum S. C. de quo 4. in Catilinam: *Caeteris enim semper bene gestae, mihi uni conservatae reipublicae gratulationem decrevistis.* et in Pison. *Mihi togato Senatus, non ut multis bene gestae, sed ut nemini consecratae reipublicae, singulari genere supplicationis Deorum immortalium templa patefecit.* Tertia Catilinaria: *Atque etiam supplicatio Diis immortalibus pro singulari eorum merito meo nomine decreta est, Quirites, quod mihi primo post hanc urbem conditam togato contigit, et his decreta verbis est,* QVOD. VRBEM. INCENDIIS. CAEDE. CIVEIS. ITALIAM. BELLO. LIBERASSEM. IDEM.

est togato ante me nemini. L. Caesar, avunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua gravitate sententiam dixit in sororis suae virum, vitricum tuum? Hunc tu quum auctorem et praeceptorem omnium consiliorum, totiusque vitae debuisses habere, vitrici te similem, quam avunculi esse maluisti. Huius ego, alienus, consiliis consul usus sum: tu sororis filius,

Luc. Caesar] Duo Lucii Caesares eodem tempore floruerunt, quorum alter bello civili Caesari haesit, alter Pompeio. Priorem Dio lib. 42. urbi praefectum fuisse scribit post seditionem Trebellii et Dolabellae, quae secuta est pugnam Pharsalicam. Alter post victoriam Africanam iussu Caesaris occisus est. Dio 43: *Luc. Caesarem propinquum suum, ultroque sibi supplicem factum, tamen quod toto bello contra se stetisset, primam caussam dicere iussit, eo consilio, ut iudicio victum condemnasse videretur: verum cum eum sua voce morti addicere vereretur, iudicio suspenso* ὕστερον καὶ κρύφα ἀπέκτεινε, *postea clam interemit.* Quare hic locus de priore capiendus est, qui paulo post a triumviris proscriptus, sorore sua, matre Antonii, annitente incolumis evasit. Consul autem hic fuerat cum C. Marcio Figulo proxime ante Ciceronem. De hoc oratione quarta in Catilinam: *Nisi forte cuipiam Luc. Caesar, vir fortissimus et amantissimus reipublicae, crudelior nudiustertius est visus, cum sororis suae, foeminae lectissimae, virum praesentem et audientem vita privandum esse dixit, cum avum iussu Consulis interfectum, filiumque eius impuberem legatum a patre missum in carcere necatum esse dixit.* Abram.

Vitricum tuum] Virum matris tuae, nam mater Antonii fuit Iulia, Lucii Caesaris soror: quam post mortem Antonii patris P. Lentulus Sura duxit uxorem: Lentulus autem inter coniuratos iussu Ciceronis est in carcere iugulatus. Id.

Hunc tu] Digressio ad insectationem Antonii; ne, dum se defendit Cicero, adversarium interim respirare patiatur. Idem.

Quam avunculi esse maluisti] Dictio *esse* non est in antiquo libro: in quo paulo post ita collocantur haec verba, *alienus consiliis.* Faernus.

Huius ego] Ex comparatione sui cum Antonio per opposita invidiam magis inflammat. Abram.

Huius ego alienus consiliis consul usus sum] *Huius ego consiliis alienus.* C. Ferrarius. Male hoc imitati sunt Gruterus et recentiores. Rectius vetustiores cum Vaticano et aliis MSS. Nam *alienus* pulchrius iungitur cum *consiliis.* Graevius. Ien. et alii, quos cum Graevio sequor, *huius ego alienus consiliis.* Cave,

ecquid ad eum umquam de re publica retulisti? At ad quos refert? Dii immortales! ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt. Hodie non descendit Antonius. Cur?

ne *alienus consiliis* coniungas. Hevsing. Ita etiam uterque Barb. et veteres editi. Gar.

Quid ad eum unquam de republica retulisti?] *Et quid*, o. I. v. *Ecquid* ego. res perspicua. Ferrarivs. Mei omnes, *quid*, ante P. Manutium, qui eum recte postea Ferrario mos gestus. Gar.

Ad quos refert] Geminata est dictio *ad* in antiquo libro. nos ita legimus, *at ad quos refert?* nam et haec vox, et multae aliae, quas subiecimus, per *t* scriptae in hoc libro saepe inveniuntur antiquo more, *set*, *quit*, *aput*, *aliut*, *illut*. Faern. Male *at* neglexerunt Gruterus et recentiores editores, quod ex Vaticano receperant Faërnus, Muretus, Lambinus, Manutius. Graevivs. *At ad quos refert*] Indignitatem exaggerat exclamatione: et ex eo, quod spretis avunculi sui consiliis hominibus nequissimis familiariter uteretur, eosque ad consilium adhiberet. Abram. Vat. unus omnium ad vim oppositionis exaggerandam addit *at*. Post verba, *quorum nobis*, omittit Ien. *etiam* immerito.

Quorum nobis etiam dies natales] Per indignationem, quod eorum dies natales tanto strepitu celebrentur, ut etiam ad Senatus aures eorum fama dimanet. Abram. In Ien. *etiam* deest, quod tamen deesse non debebat. *Nobis etiam* est Senatoribus etiam, quasi non maiora his curanda sint. Hevsing.

Hodie non descendit Antonius] Non venit in Senatum. Adverte dialogismum pulcherrimum. Descendit, in forum, inquit Manutius, nam in collibus nobiliores habitabant. Ego vero hanc explicationem libens amplecterer, tum quod magna sit apud me tanti viri auctoritas, tum quod non habeam meliora. Sed Antonius non in collibus habitabat, verum in Carinis, ubi domus erat Cn. Pompeii. auctor est P. Victor libello de urbis regionibus. Plutarchus libro 2: *Cum Pompeio quoque circa Misenum pax inita: qui haud absurde, cum in navi Caesaremque et Antonium coena exciperet, dixit: in Carinis suis se coenam dare, referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur.* Ne tamen nihil omnino dicamus, videtur hic eodem pene sensu dici *descendere*, quo divinatione in Q. Caecilium: *Subito nunc mutata voluntate ad accusandum descenderim.* Et pro Coelio: *Sic constituetis, iudices, nec descensurum quemquam ad hanc accusationem fuisse.* Eleganter Valla elegantiarum lib. 5, cap. 36: *Descendo in proelium, descendo in forum, de-*

scendo in campum dicimus, non quia de loco superiore in inferiorem descendimus, sed quia de loco tuto in locum discriminis: opinor, quod qui in loco celsiore se tenet, pugnam detrectare existimatur, quem cum relinquit, et in locum aequum venit atque descendit, mentem se pugnandi habere declarat. Ponit exemplum XI. Æneidos:

Instructos acie Tiberino a flumine Teucros,
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.

Horatius lib. 3. carm.

——— *Hic generosior*
Descendit in campum petitor.

Acies totis campis descendit in Martis aleam, candidatus sive petitor in campum Martium honoris et existimationis periculum subiturus, accusator in forum, Consul in curiam. Abram. Manutius optime rationem reddit, cur *descendere* sic accipiatur. Proprie quidem *descendere* dicebantur, qui in collibus habitabant, in quibus habitabant nobiliores Romani, postea generatim *descendere* dicebantur, qui prodibant, sive in collibus habitarent, sive in plano, ut *descendere* sit idem quod prodire. Exempla passim sunt obvia. Graevius. Est figura, quam Rhetores μίμησιν appellant. Exprimit enim verba, et gestus alicuius, quem, Antonium parum sontica de causa in Senatum non venire, indicantem facit. Desinit ea in verba, *tum Ballioni.* Abram. et Graevius Manutii interpretationem verbi *descendere* hic non ferunt: quod Antonius, qui in Carinis, depressiore urbis vico, domum habuit, non ex editiore loco venerit: idque adeo pro *prodire* positum putant. Sic Lactant. III. 3. 16. *Quod si existimarent, descensurum esse aliquem, qui eos, delirare, ac mentiri doceret.* Ita enim ibi interpretandum videtur, non *de caelo descendere.* Etsi vero facile concedo, id non semper propriam significationem retinere; hoc tamen loco non ideo ea aliena est, quod Antonius in Carinis habitavit; quippe quas apud Horatium grandis natu Philippus *foro nimium distare* queritur. Inter forum itaque et Carinas colles interiacebant, e quibus in forum descensus erat. Heusing. Carinae iacebant in valle Esquilias inter et Coelium, quibus extremis a fori parte Sacrae viae caput erat, per quam in proximum forum ibatur. Confer Donat. II. Rom. Vet. 12. et ab eo dissentientem Nardinum III. 9. et 14. qui tamen hos Carinarum terminos, Esquilias, et Sacram viam, non potest effugere. Iam vero locum a Manutio allatum inspice IV. ad Att. 3. A. D. III. *Idus Novembr. cum Sacra via descenderem, insecutus est me cum suis.* Res confecta est. Et tamen ex sua ad eum locum adnotatione quaedam hoc adhibet Graevius. Garaton. Non opus erat, ut Heusingerus defenderet Manutii notam, descendisse A. in forum merito dici, quod nobiliores vulgo habitarint in locis editioribus, ideoque in loca tum depressiora iis eundum fu-

Dat natalicia in hortis. Cui? Neminem nominabo.

isse, contra Abramum et Graevium, monentes quippe, Antonium in Carinis domum suam, quae antea fuerit Pompeii, habuisse, hinc in depresso, non in edito loco, habitasse. Namque contendit, nihilominus recte dici posse descendere, quod inter Carinas, longo intervallo remotas, et forum multi colles interiecti fuerint. *Descendere* nihil aliud est, quam *prodire*, ut saepe alias. Tusc. Dispp. 2, 26. Suet. Aug. c. 96. *descendere in certamen.* pro Mur. 27. *non qui odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderent.* ad Div. 8, 8. *ad aequam conditionem descendere.*

Dat natalicia in hortis] In antiquo libro est *nataliciam*: ego subaudio *cenam*. ut intellegamus, Antonium in natalibus teniorum amicorum suorum natalicias cenas eis dare consuesse, quas alioqui ipsi, quorum natales erant, dare aliis debuissent. is enim mos antiquorum erat, teste Marco Evangelista cap. VI. Item Gellio libro XIX, cap. IX. Item Martiale lib. X: *Natali, Diodore, tuo conviva Senatus Accubat.* FAERNVS. Hic etiam maluerunt Vaticanum sequi Faërnus et Lambinus, quam vulgatos aut minoris pretii et antiquitatis libros, qui *natalitia* scribunt, quamvis id possit ferri. GRAEVIVS. *Dat natalicia*, subintellige *munera*, vel cum codice Vaticano lege *nataliciam*, puta *coenam*. Haec perverse ab Antonio fieri indicat Cicero, qui parasitorum diebus natalibus det natalicias coenas, quas suis natalibus Romani ditiores aliis dare solebant. HEVSING. Censorinus de Die Nat. cap. I. p. 4. ed. Haverc. *quodcumque hoc libri est, meis opibus comparatum, natalicii titulo tibi misi:* ubi vide Lindenbrog. Subauditur ibi *muneris.* Sed munera natalicia nihil occupassent Antonium: deinde cur subiiceretur, *in hortis?* Omnino, utrovis modo legas, convivium est intelligendum, quod in hortis dabat Antonius, ut natalem amici diem celebraret. Huiusmodi convivio nomen est *natalicia*, quemadmodum *sponsalia* ei convivio, quod sponsae pater sponso dabat. H. ad Q. Fratr. 6. A. D. VIII. *Idus April. sponsalia Crassipedi praebui*, cui Tullia fuerat pridie Nonas desponsata. Plane similia sunt, *M. Cicero sponsalia Crassipedi praebet, M. Antonius dat natalicia Phormioni*, sollemne nempe convivium, ille genero propter filiae desponsationem, hic parasito propter natalem ipsius parasiti diem. *Nataliciam* quoque dicebant ἐλλειπτικῶς, ut *adventiciam*. Petronius cap. XC. p. 568. *hac me adventicia excipere frequentia solet:* ubi Glossae, *Adlusio ad coenae praebitionem, quae adventoria dicitur.* Erant autem haec Antonii convivia deliciarum plena, et de die. Confer Lipsium ad Tacit. XIV. Ann. 2. Exc. A. et interpretes ad c. 6.

Putate tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum Ballioni. O foeditatem hominis flagitiosam! O impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam!

pro Mur. ne horas, quibus Senatus habebatur, convivio tributas fuisse mirere. GARATONIVS.

Cui?] In Graevianis exemplaribus vitiose *cur* expressum. HEVSING. Id operarum culpa commissum emendavimus. GAR.

Putatote eum Phormioni alicui, tum Gnathoni. c.] *Tum* pro *eum* mihi magis arrideret: sed o. l. refragantur. FERRARIVS. *Putatote eum*] Idem liber, *putate tum*, et paulo post addendo dictionem *etiam*, legendum, *tum etiam Ballioni*. FAERNVS. *Putate tum*] Alii, *Putatote eum*. hoc quod nos scripsimus, e vetere libro expressum est. MVRETVS. Equidem hic quoque longe melius Vaticanus, ut Faërnus et Muretus docuit et expressit, sequentibus Manutio et Lambino. Male respuerunt recentiores editores. GRAEV.

Phormioni] Parasitis, quales sunt Phormio et Gnatho apud Terentium, et lenonibus similibus illi Ballioni, qui apud Plautum inducitur. ABRAM.

Ballioni] Ballio leno apud Plautum in Pseudolo. de quo Tullius pro Roscio Com. *Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum, si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? qui idcirco capite et superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur. cuius personam praeclare Roscius in scena tractare consuevit, neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. Nam Ballionem illum improbissimum et periurissimum lenonem cum agit, agit Chaeream. Persona illa lutulenta, impura, invisa in huius moribus, natura, vitaque est expressa.* Non absimilis autem locus Demosthenis 2. Philippica, quam alii Olynthiacam secundam vocant: *Εἰ δέ τις σώφρων ἢ δίκαιος ἄλλως, τὴν καθ' ἡμέραν ἀκρασίαν τοῦ βίου, καὶ μέθην, καὶ κορδακισμοὺς οὐ δυνάμενος φέρειν, παρεωρᾶσθαι καὶ ἐν οὐδενὸς εἶναι μέρει τὸν τοιοῦτον· λοιποὺς δὲ περὶ αὐτὸν εἶναι λῃστὰς καὶ κόλακας καὶ τοιούτους ἀνθρώπους, οἵους μεθυσθέντας ὀρχεῖσθαι τα τοιαῦτα, οἷα ἐγὼ νῦν ὀκνῶ πρὸς ὑμᾶς ὀνομάσαι. Si quis autem temperans aut aliter iustus est, qui quotidianam* Philippi *intemperantiam, ebrietatem et impuras saltationes ferre non possit, eum quidam aiebat contemni et nullo loco haberi. Reliquos autem, qui circa ipsum sunt, esse latrones, assentatores, eiusmodi denique homines, ut ebrii saltationes impuras exerceant, quas piget apud vos nominare.* Item: *Πολὺ τῶν θαυματοποιῶν ἀσελγεστέρους ὄντας, Καλλίαν ἐκεῖνον τὸν δημόσιον, καὶ τοιούτους ἀνθρώπους μίμους γελοίων, καὶ ποιητὰς*

Tu quum principem senatorem, civem singularem, tam propinquum habeas, ad eum de re publica nihil refers: ad eos refers, qui rem suam nullam habent, tuam exhauriunt? Tuus videlicet salutaris consulatus, perniciosus meus.

αἰσχρῶν ᾀσμάτων, ὧν εἰς τοὺς συνόντας ποιοῦσιν ἕνεκα τοῦ γελασθῆναι, τούτους ἀγαπᾷ, καὶ περὶ αὐτὸν ἔχει. *Praestigiatoribus longe impuriores, Callium illum carnificem, et huiusmodi homines ridicularios mimos, et poëtas turpium cantionum, quas in eos, quibuscum versantur, faciunt, ut rideantur: hos ille amat, et circa se habet.* Abram. Legendum ex Vat. *tum etiam Ballioni*, penitus persuadebit, opinor, Manutii adnotatio. Supra ex *putato tum* forte ortum est *putatote eum:* sive potius duae lectiones coniunctae, *putate*, et *putato*, quod est in V. L. Graevii, et optimum mihi videtur. A *cum*, quod pro *tum* habet Barb. prim. ut passim fit, deinde manavit *eum*. Barbador. legit, *putatote tum*. Gar. *Etiam*, quod exhibet Vat., non omittere debebant Graevius, Ern. et Heusing., namque vim habet suam, quod Ballio, qui patet e Plauti Pseudolo, inhonestior adeo persona erat, utpote leno, quam illi e Terentii comoediis, qui erant parasiti.

Tu cum] Tu cum Luc. Caesarem virum praestantissimum avunculum habeas, eum non consultas de rebus ad reipublicae salutem spectantibus: consultas autem nescio quos parasitos, qui iampridem sua bona devoraverunt, nunc tua devorant, et liguriunt. Abram.

Nihil refers, ad eos refers, qui domum suam nullam habent] In antiquo libro hic totus locus ita legitur: *Ad eum de rep. nihil referas? referas ad eos, qui suam rem nullam habent.* Faernus. *Nihil referas, referas ad eos*] Quanto sit hoc melius, quam quod antea legebatur, *Nihil refers, ad eos refers*, qui per se vident, me monitore non egent: qui non vident, eis non laboro. Itaque talia plurima sciens prudens praetermitto: quod mihi, credo item ceteris, nihil aeque displiceat, quam charta verborum plena, rerum inanis. Muretus. Miror et hic Gruterum frugibus inventis glandes maluisse, cum tamen Manutius et Lambinus iam veram ostenderint scripturam. Graev. Etiam Ien. *domum suam:* at Graev. e Vat. *suam rem*, ut haec opponantur verbis, *de re publica.* Viderunt hoc iam Faërn. Muret. et Manut. Heusing. Ita post red. in Sen. 5. *cum rem suam non minus strenue, quam postea publicam, confecisset:* quem locum cum aliis eiusmodi citat I. F. Gronov. IV. Observ. 11. Gar.

Tuus videlicet] Obiectio Antonii. Abr. Haec in omnibus exemplaribus superiori sectioni adhaerent, cum nova hinc pars ora-

VII. Adeone pudorem cum pudicitia perdidisti, ut hoc in eo templo dicere ausus sis, in quo ego senatum illum, qui quondam florens orbi terrarum praesidebat, consulebam: tu homines perditissimos cum gladiis collocasti? At etiam ausus es (quid autem

tionis incipiat. Iure igitur hic septimi capitis initium constituitur. Connectenda vero haec sunt cum c. 5. *Non placet Antonio Consulatus meus.* Heusing. Pravam distinctionem sustulimus. Gar.

Adeone] Huius obiectionis impudentiam et indignitatem demonstrat a contrario et comparatione sui rerumque gestarum cum Antonio: et a loco, ubi haec dicebantur. Nam haec dicebat Antonius in templo Concordiae, ubi Cicero Senatus auctoritatem servaverat, eum consulens de republica Antonius hominibus armatis ibi collocatis eius libertatem oppresserat. Abram.

Pudorem cum pudicitia] Frequenter duas has voces convertit. ut Verrina de suppliciis: *Quot praesidia, quam munita pudoris et pudicitiae vi et audacia ceperit, quid me attinet dicere?* Pro Milone: *Per me unum effectum est, ut ius, aequitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent.* Vide Coelianam cap. 3, et Sextianam cap. 34. Idem.

In eo templo] In eadem Concordiae aede, in quam, detecta coniuratione Catilinaria, Cicero Senatum vocaverat. Sallust. Catil. xlvi. extr. infra c. 8. Sita haec erat ad Capitolii adscensum, ita ut forum spectaret. Heusing.

Qui quondam florens] Pathos a praeterita Senatus dignitate, antequam tot reipublicae lumina bello civili, sed potissimum scelere Antonii essent extincta, sublataque eius auctoritas et ad eos translata, qui civium libertatem oppresserant. Abram.

Orbi terrarum praesidebat] Penes Senatum erat, decernere provincias, Imperatores et legatos eligere, dispensare pecunias ex aerario, Sociorum et Regum controversias dirimere, audire legatos, ipsos magistratus in officio continere, etc. Quae Senatus esset potestas, vide pro Sextio cap. 65: *Nosse descriptionem civitatis*, etc. in Vatinium cap. 15: *Eripueras Senatui provinciae decernendae potestatem, Imperatoris deligendi iudicium, aerarii dispensationem*, etc. Pro Milone cap. 33. Curiam appellat *Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium*, etc. vide Notas, e quibus satis appareat, cur dicatur orbi terrarum praesidere. Abram.

Collocasti?] Ita Barb. uterque ac Lamb. Reliqui mei editi; *collocavisti?* Vatic. *cum gladiis conlocavisti?* Gar.

At etiam] Ratio, cur Antonius diceret, perniciosum fuisse Tullii Consulatum. Abram.

est, quod tu non audeas?) clivum Capitolinum dicere, me consule, plenum servorum armatorum fuisse. Ut illa, credo, nefaria senatusconsulta fierent, vim afferebam senatui. O miserum, sive illa tibi nota non sunt, (nihil enim boni nosti,) sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare!

Clivum Capitolinum] Vide infra cap. 8. IDEM.

Plenum servorum armatorum] Arma servis non sunt permittenda. Notum illud ex libro 7. in Verrem: *Luc. Domitium Praetorem in Sicilia, cum aper ingens ad eum allatus esset, admiratum requisisse, quis eum percussisset. Cum audisset, pastorem cuiusdam fuisse, eum ad se vocari iussisse: illum cupide ad Praetorem, quasi ad laudem atque ad praemium accurrisse. Quaesisse Domitium, qui tandem bestiam percussisset: illum respondisse, venabulo. Statim deinde iussu Praetoris in crucem esse sublatum.* Hinc Orator in Pisonem eum reprehendit, quod a Clodio delectum servorum haberi permisisset. IDEM.

Credo] Εἰρωνικῶς frequenter apud Oratorem. Vide Sextianam, et alibi. IDEM.

S. C. tum fierent] Abest dictio *tum* ab antiq. libro. in quo paulo post est, *o miser.* item non multo post, *esse meminisset*, adiectione verbi *esse*, quod in aliis libris interciderat. FAERNVS. Nefaria ex mente Antonii, legitima et salutaria Ciceronis iudicio. Ien. *SCa tum fierent*, recte. HEVSING. Suo tantum codici, et ed. Man. *tum* a Graevio tribuitur. Sed abesse id arbitror a solo Vaticano. Omissum inde a Lamb. nec ab eius repet. revocatum, omisit etiam Grut. Adest in Ald. Naug. Cam. Man. Car. Steph. etc. et in Barb. ambobus: retinetur etiam a Barbadorio. Rom. et Ven. *SCa tunc cum fierent*, duabus unius *tum* permutationibus receptis. GAR.

O miserum] Seria refutatio per dilemma. Infra: *O miserum te, si intelligis; miseriorem, si non intelligis.* ABRAM. *O miser* reposui secutus Vatic. ex Faërni, Mureti et Lamb. edd. cum in vulgatis sit *o miserum*. GRAEV. Praefero Ien. et aliorum lectionem, *o miserum*, quia sic et infra c. 22. HEVSING. At Manut. cum eo simul alium locum attulit XIII. 17. *O miser, cum re, tum hoc ipso, quod non sentis, quam miser sis!* Mox cum cod. Graev. et Ien. si non sit idem, habet Barb. prim. *tam impudenter loquere!* GAR. Graev. e Vat. *O miser!* Ien. Teeg. Gud. *o miserum!* uti infra 22, 4. *o miserum te.* Paullo post *loquere* pro *loquare* in Ien.

Apud tales viros] Senatores omni honore et reverentia dignos, apud quos, nisi pudenter non est loquendum. ABRAM.

Quis enim eques Romanus, quis, praeter te, adolescens nobilis, quis ullius ordinis, qui se civem meminisset, quum senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? Quamquam nec scribae sufficere, nec tabulae nomina illorum capere potuerunt. Etenim quum homines nefa-

Quis enim] Ab enumeratione eorum, qui, cum Senatus in aede Concordiae haberetur, praesidii caussa convenerant, ostendit impudentiam Antonii, qui clivum Capitolinum plenum servis armatis fuisse obiecerat. Idem.

Adolescens nobilis] Cuius maiores curulibus magistratibus essent perfuncti. Pro Milone *Adolescens nobilissimus* vocatur. Nobilis genere paterno, cuius avus fuit ille M. Antonius orator. Matrem habuit Iuliam, e Caesarum familia, gente Iuliorum, quae quam nobilis fuerit, indicant Caesaris verba, quae a Tranquillo in eius vita cap. 6. referuntur. Quamvis, cum nobilitas Romana non ab antiquitate, sed a curulibus magistratibus peteretur, videri potuit non admodum nobilis, quod, ut notant viri docti, ea gens sero ad magistratus emerserit. Idem. Nobilium utique adolescentum numero habendus erat Antonius, qui solus a ceteris dissenserat. Avum habuerat M. Antonium, oratorum principem, consularem, censorium, ac triumphalem. Pater Praetor fuerat, et *infinitum illud imperium* gesserat, de quo Cicero Verr. IV. 3. v. 91. et, ut multis videtur, Lactantius I. 11. 32. Mater erat Iulia e Caesarum familia. Conditorem gentis suae ferebat *Antonem*, Herculis filium. Vide Plutarch. Ant. p. 916. 917. Appian. III. Civil. p. 870 et 875. Nec ideo tamen ex patricia familia erat; quippe qui et ipse Tribunus pl. fuit, et cuius avus primus, quod constet, curules honores adeptus est. Heusing.

Quis ullius ordinis] Omnes ordines ad retinendam libertatem exarserant, ut dicitur orat. 4. in Catilinam, Equites, Tribuni aerarii, Scribae, omnis ingenuorum multitudo. ibid. libertini homines, etiam servi. ibid. *Servus est nemo, qui modo tolerabili conditione sit servitutis, qui non audaciam civium perditorum perhorrescat, qui non obstare cupiat*, etc. Abram. Restitue cum omnibus, quos vidi, libris, *quis ullius:* neque enim differre hoc debet a ceteris in anaphora. De v. *esse* mox addito aegre tui Vat. adsentior. Gar.

In hoc templo] Mox: *Cum in hac cella Concordiae, o Dii immortales, in qua me Consule salutares sententiae dictae sunt, quibus ad hanc diem viximus, homines cum gladiis collocati stent.* Abram.

Quis nomen non dedit] Nomen dare dicuntur, qui in de-

rii de patriae parricidio confiterentur, consciorum indiciis, sua manu, voce paene literarum coacti, se urbem inflammare, cives trucidare, vastare Italiam, delere rem publicam consensisse: quis esset, qui ad salutem communem defendendam non excitaretur? Praesertim quum senatus populusque Romanus ha-

lectu in militum matriculam referuntur. Livius libro 2: *Delectuque decreto nemo nomen dedit.* Paulo post: *Omisso certamine nomina dedere.* Lib. 4: *Cognitio vacantium militiae munere post bellum differtur. Ita dubii quoque inclinant ad nomina danda.* Libro 5: *Cognoscendis caussis eorum, qui nomina non dedissent, bello perfecto se daturos tempus.* Libro 6: *Neque duci addictos tribuni sinebant, neque iuniores nomina dabant.* Idem.

Voce pene litterarum] Apuleius apologia: *Oro te, Maxime, si litterae ita, ut partim vocales dicuntur, etiam propriam vocem usurparent: si verba ita, ut poetae aiunt, pinnis apta vulgo volarent: nonne, cum primum epistolam istam Rufinus mala fide excerperet, pauca legeret, multa et meliora sciens reticeret, nonne tunc caeterae litterae scelestae se detineri proclamassent? verba suppressa de Rufini manibus foras evolassent? totum forum tumultu complessent?* etc. Certe, ut Bisciolae nostri verbis utar lib. 6. Subcesivarum cap. 12: *Mirabantur et nostro seculo Indi papyrum loquentem, ut ipsi putabant, quod a rerum Indicarum scriptoribus narratur.* Quo in genere lepida est narratiuncula de illo puero, qui iussu heri fiscellam ficubus plenam ad herilem amicum deferens, partem ederat in via, partem ei reddiderat, ad quem fuerant destinatae. Et rem per litteras de hero detectam admirans, paulo post cum eandem ferendarum ficuum accepisset provinciam, litteras, ne quid illae resciscerent, in terram defodit, ficusque, ut rebatur, sine arbitris manducavit. Vide Richeomum Valedictione animae, Hermannum Hugonem praefatione libri de prima scribendi origine, et Angelinum Gazaeum libro Piorum Hilariorum, et alios, et Hieronymum Benzonem libro 2. novae novi orbis historiae cap. 17. et in eum locum notas Vrbani Calvetonis, partim ex Gomara, partim ex Lerio non absimilia referentem. Vnde et Nonnus quarto Διονυσιακῶν, τύπον ἀσιγήτοιο σιγῆς litteras nominabat. Vide v. 260, et sequentes. Idem.

Consensisse] Vetus liber, *consensissent.* mihi, ne quid dissimulem, non nihil suspectus est locus. Mvretvs. Supra Lamb. monuit, alios habere, *cum consciorum*, quod recepit Graev. retinuitque unus postea Heusing.

beret ducem; qualis si qui nunc esset, ubi idem, quod illis accidit, contigisset.

VIII. Ad sepulturam corpus vitrici sui negat a

egoque in Vat. Rom. et Ven. inveni. Hinc in iisdem legitur *consensissent*, quod imperite aliquis existimavit ab illo superiore *cum* postulari. Sed repeti deberet potius ἀπὸ κοινοῦ *confiterentur;* siquidem *cum* retineri oporteret, quod ego cum libris plerisque deleo. Est enim repetitio illa communis verbi duriuscula, et liquidiora sunt omnia, si particulam minime opportunam repudies. Quam ego quidem a sequentis syllabae adfinitate genitam censeo, ut mox videbimus vocem *comprehensio* alterum *cum* peperisse, quod ante illam positum fuit. Est autem in mea librorum paene omnibum lectione quaedam enallage, quae fortasse immerito ab aliquibus damnabatur. Paria essent ista inter se, si diceretur, *cum se patriae patricidas esse confiterentur, se consensisse etc.* Hanc aequalitatem tollit enallage, Latinorum elegantium more usurpata, *cum de patriae parricidio etc.* Quamquam *se consensisse etc.* explicatio superioris dicti, et amplificatio existimari optime potest: imo plane ita est, ac sine alia figura satis est subaudire *videlicet.* GARATON.

Qualis siquidem nunc esset] *Qualis siqui nunc esset*, o. l. v. quod probo. FERRARIVS. *Qualis siqui nunc esset*] Hanc lectionem, quae et in antiquo libro est, probo. *Siqui* autem una vox est, pro *siquis* vel *si aliquis.* FABRIVS. Vulgo, *siquidem*: at Ien. *si quis*, optimi, *si qui.* Sic III. Epist. 8. *quod si qui me astutiorem fingit*, ubi Cortium leges: VIII. Epist. 17. *hoc si quis pati non potuit, mori debuit.* HEVSING. Ien. et Gud. *si quis*, at Ciceroni est dictio ista solemnis, *si qui.* Fere semper mutatum est *si qui* in *si quis* a librariis. de Off. I. 16, 8. ubi ex uno cod. Heus. *si qui.* I. Tusc. 2, 3. *nec tamen si qui magnis ingeniis in eo genere extiterunt, non satis Graecor. ingenio responderunt;* in Pis. 29. Est Graec. constructio εἴ τις pro ὅστις, quicunque. v. Goerenz de legg. p. 179. et Bremi ad Nepot. Epam. c. 1.

Ad sepulturam corpus vitrici sui negat a me datum] *At*, L. Lang. more veterum. de quo ita Quintilianus, *Illa quoque a multis est servata differentia, ut Ad, cum esset praepositio, D. litteram, cum autem coniunctio, T. acciperet. Itemque Cum, si tempus significaret, per Q. si comitem, per C. si vero Quum, per duas sequentes uu scriberetur. frigidiora iis alia, ut Quicquid C. quartam haberet, ne his interrogare videretur, et Quotidie, non Cotidie: ut sit Quot diebus. verum haec iam etiam inter ipsas ineptias evanuerunt.* Hic quidem liber modo *Ad*, modo *At* sine distinctione

me datum. Hoc vero ne P. quidem Clodius dixit umquam; quem, quia iure ei fui inimicus, doleo a te iam omnibus vitiis esse superatum.

scribit. FERRARIVS. *Ad sepulturam*] Obiicit Antonius, me adeo fuisse crudelem, ut, cum Lentulum vitricum suum, id est matris suae maritum, iussissem in vinculis necari, corpus eius non reddiderim, ut sepulturae mandaretur. Plutarchus in Antonio: *Dicit igitur Antonius, ne corpus quidem Lentuli ad sepulturam sibi suisque redditum fuisse, priusquam mater coniugem Ciceronis exoraret. Hoc autem manifeste falsum: nemo enim eorum, qui tum a Cicerone morte multati sunt, prohibitus est sepultura.* ABRAM.

Hoc vero ne P. quidem Clodius] Impudentiam tam aperti mendacii non solum inficiatione, sed etiam indignatione confutat, et in auctorem aculeum orationis exerit, eo nomine quod Antonius ipsum Clodium impudentia superarit. Clodius enim cum undequaque crimina ad invidiam consulatui Ciceronis conflandam corraderet, veritus erat huiusmodi mendacium confingere. IDEM.

Doleo a te iam omnibus vitiis esse superatum] In libris antiquis ordo verborum est immutatus, sic, *Doleo a te omnibus vitiis iam esse superatum.* FERRARIVS. *Iam esse superatum*] In antiquo libro pro *iam*, *cum* legitur. quod quia manifesto supervacaneum est, reiicimus et lectionem vulgatam tenemus. FAERNVS. Ien. *iam esse superatum*, quod et Ferrar. in suis libris reperit. Graev. *iam* delet. HEVSING. Deest omnino *iam* in Barb. secundo: primus cum Ien. etc. consentit, et cum secutus est ordinem Heusing. Reliqui editi, *a te iam*, exceptis iis, qui *iam* omittunt, in V. L. numerati. Ego vix omiserim. Sed varietas collocationis suspicionem iniicit: cui tamen in vocula, quae optime adesse potest, nimium tribui nollem. Nisi Vaticano adsentiri mavis, in quo testor ita esse perscriptum: *quem, quia iure ei inimicus fui, doleo a te omnibus vitiis eum esse superatum.* Pleonasmus est, cui similem habemus pro Mur. 15. *quem L. Sulla maximo et fortissimo exercitu pugna excitatum, non rudis imperator, ut nihil aliud dicam, eum bello invectum totam in Asiam cum pace dimisit.* pro Domo 42. *qui, quae maiores nostri religionibus tuta nobis et sancta esse voluerunt, ea iste non solum contra religionem labefactavit, etc.* Imo etiam sine ulla verborum interpositione QVOI. EI. VITA. DEFECIT. legitur in monumentis Scipionum antiquissimis: quod tamen vitasset Cicero, ut mea fert opinio. GARATONI. Non probo, quod Graevius delevit *iam*, quia desideretur in Vat. Nam quum notaverit Faernus, loco huius vocis legi *cum*, non dubito, quin eadem lectio sit cod. Vat. ad quod acce-

Qui autem tibi venit in mentem, redigere in memoriam nostram, te domi P. Lentuli esse educatum?

dit, quod vocula ista non, uti Ern. suspicatur, languet, quum in loco praesenti hanc vim habeat, maturius aliquid factum esse, quam quis exspectaverit. Adest *iam* in Ferrarii Codd. Ien. Teeg.; in Gud. deest. Neque vero etiam Ern. eam part. eiecit, dum modo ordinem hunc verborum *omnibus vitiis iam esse superatum*, qui est omnium Codd. Ferrarii, Ien. Teeg., servasset.

Qui autem tibi venit in mentem] *Quid*, non *Qui*, o. l. v. ut hic idem locutus est pro Rosc. Com. *Quid ita Flavio sibi cavere non venit in mentem?* et 1. lib. de orat. *Heus tu* (inquit) *quid tibi in mentem venit ita respondere?* Plaut. quoque in Trin. *Quid in mentem venit tibi, istaec dicta dicere?* Non ignoro, hunc eundem et Terentium *Qui* pro *Quapropter* usurpare. ut ibi, *Nam qui istaec tibi incidit suspectio? quia.* c. Mihi tamen magis probatur *Quid*. Ferrarius. *Qui autem*] Alius orationis aculeus, a P. Lentuli, apud quem educatus fuerat Antonius, impuritate, a quo puer pravis moribus imbutus est. Abram. Receperunt *quid* P. Man. et Car. Steph. et firmat Barb. secundus. Adde cod. Graev. in V. L. Ceteri omnes, *qui*, ne ipsius quidem Steph. cod. excepto. Sed nihil interest. Gar.

Te domi P. Lentuli esse educatum] Operae fuerit pretium Lentuli mores ex Plutarcho in vita Ciceronis cognoscere: *Cornelius Lentulus, Sura cognomine, homo nobilis ille quidem, sed praeteritae vitae flagitiis et sordibus infamis, et iam ante Senatu motus, tunc autem Praetor secundum, ut moris est illis, qui recuperare volunt Senatoriam dignitatem.* Adverte morem, quem etiam Dio libro 37. de hoc ipso Lentulo loquens non omisit: *Post gestum consulatum Senatu exciderat, ac Senatoriae dignitatis recuperandae caussa praeturam tunc gerebat.* Pergit Plutarchus: *Adhaesisse autem illi dicitur Surae cognomentum hanc ob causam. Cum Sulla rempublicam obtineret, ipse Quaestor magnam pecuniae publicae vim perdidit ac dissipavit. Indignante vero Sulla, et in Senatu rationem exigente contemptim, plane accedens ait se non reddere rationem, sed suram caedendam exhibere, ut solebant pueri, cum pila ludentes erraverant. hinc Sura est agnominatus.* Addit et aliud impudentiae non minoris exemplum: *Rursum cum reus esset, et quosdam iudices corrupisset, postquam duobus tantum sententiis absolutus est, in superfluos sumptus immersum esse dixit, quod alteri iudicum dedisset. Satis enim esse, si una tantum absolverentur sententia.* Eum equidem esse crediderim, de quo Seneca tertio de Ira cap. 38: *Cato noster melius: cui cum causam agenti in*

An verebare, ne non putaremus natura te potuisse tam improbum evadere, nisi accessisset etiam disciplina? Tam autem eras excors, ut tota in oratione tecum ipse pugnares: ut non modo non cohaerentia inter se diceres, sed maxime disiuncta atque contraria? ut non tanta mecum, quanta tecum tibi esset

frontem mediam, quantum poterat, attracta pingui saliva inspuisset Lentulus ille patrum nostrorum memoria factiosus et impotens, abstersit faciem, et, affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere. Idem.

Ne non putaremus] Variant hic male libri nonnulli: sed recte sic etiam Nonius p. 293. ed. Merc. apud quem infra pro *tam* perperam est *non.* Gar.

Tam autem eras excors] Antonii stultitiam demonstrat, quod Ciceronem vituperare volens laudaverit, Senatumque, apud quem loquebatur, quemque demereri oportebat, offenderit. Abram.

Vt tota in oratione tua tecum ipse] Post haec verba adde dictionem *tua* ex antiquo libro. quod vero paulo post sequitur, *ut non modo non cohaerentia,* in eo libro non est vox, *ut*; nos putamus legendum vel *nec modo,* vel *et non modo.* pristinam tamen lectionem tenemus. Faernvs. Hoc cum Mureto et Lambino sequimur. Graev. Reiecit *tua* Heusing. ab Ienensi abesse testatus: retinuerunt Verb. Oliv. et Lallem. Solus autem Vaticanus eam vocem addit, quae non immerito suspecta Heusingero fuit. Retineo sequens *ut,* interrogandi nota ante posita, quae deerat. Gar. Addit Vat. *tua* post *oratione,* quod etiam recepit, reiecit autem Ern., quod elegantiorem esse putat orationem sine pronomine, idque adiici nonnisi ambiguitatis vitandae caussa. At nos neque istam elegantiam, neque eiusmodi legem agnoscimus, immo tali in contextu apte et non sine quadam vi dici contendimus, *pugnare secum in oratione sua,* quippe a semet ipse composita. Paullo post Vat. omittit vocem *ut* ante *non modo,* in cuius locum non putaverim cum Faërno *et* aut *neque,* ut sit *neque modo* pro *non modo,* substituamus opus esse.

Vt non modo non cohaerentia inter se diceres] *Vt non modo cohaerentia,* Lang. caeteri cum impressis consentiunt. quos sequor. Ferr. Meus etiam codex, *ut non modo cohaerentia.* Cicero sane saepe *non modo* pro *non modo non* posuit, ut Muretus in Variis lectionibus et alii observarunt. Graev. Binos hosce codices, alterum *non* omittentes sequitur Bunemannus ad Lactant. V. Div. Inst. 3. me ceteris adhaerente. Gar.

Quanta tecum tibi esset contentio] *Quanta tibi tecum,* o. l. v. Ferrar. *Tibi tecum,* Ien. et

contentio? Vitricum tuum fuisse in tanto scelere fatebare, poena affectum querebare. Ita, quod proprie meum est, laudasti; quod totum senatus est, re-

alii, quos Graev. secutus est. Idem liber: *Vitricum tuum fuisse in tanto scelere,* ut Graev. Heusing. Retineo, *tecum tibi,* cum utroque Barb. et meis omnibus editis, atque ipso Heusing. Gar. Ien. Teeg. Gud. *quanta tibi tecum.* e c. Vat. et Ferrarii codd. *tecum tibi;* qui ordo servandus est.

Vitricum] Lentulum Suram, matris tuae Iuliae maritum, coniurationis convictum fuisse, et in vinculis ob coniurationem necatum fuisse fatebare. Abr.

Vitricum tuum in tanto fuisse scelere fatebare] *Fuisse in tanto scelere fatebare,* o. l. v. praeter unum Gud. qui sic, *Fuisse in tanto scelere comprehensum fatebare.* Superiorem scripturam sequor: praeterquam enim quod libros et plures, et vetustiores auctores habet: Ciceronem praeterea ita locutum fuisse aliis in locis invenimus: ut pro Sulla, *Si hic esset in eodem scelere.* Qui autem bonorum latinitatis auctorum ita locutus sit, *Comprehensus in scelere,* adhuc inveni neminem. Ferr. Barb. etiam uterque, *fuisse in tanto scelere,* nec aliter cum P. Man. et Car. Steph. ipse Muretus, et postea Lambinus. Severianum p. 338. et 344 Rhet. Capp. haec pessime adferentem castigavit iam Schottus I. Nod. Cic. 15. Gar. Ien. et Vat. hunc ordinem servant merito. Teeg. *in tanto scelere fatebare fuisse.*

Ita quod proprium meum est, laudasti: quod totius senatus est, reprehendisti] Sic o. l. v. *Ita quod proprie meum est, laudasti: quod totum Senatus.* e. Vt hic idem dixit in epist. fam. *Quod tu ipse tam amandus es, tamque in omni genere iucundus, id est proprie tuum.* Et pro domo sua, *Non igitur in hoc officio, quod fuit praecipue meum.* Et pro Marcello, *Totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum inquam tuum est.* valde placet. Ferrar.

Quod proprie meum est, laudasti: quod totum Senatus etc.] Ita mss. Ferrarii, acceduntque Pal. sec. Maur. P. S. Victoris. prius impressi, *quod proprie meum* etc. *totius Senatus.* Gruter. Sic et Faërnus, Muretus, Manutius, Lambinus. Graev. *Quod proprie meum est*] Detectionem coniurationis occultae, comprehensionem, indicium et prolationem litterarum. Abram.

Quod totum est Senatus] Supplicium coniuratis irrogatum. Idem. Retinuit Graev. omnesque postea ordinem Gruterianum. Lamb. *quod totum est Senatus,* atque ita omnes ait veteres codices habere: neque aliter Vaticanus, et editio Mureti. In Ien. plane omittitur *est,* nec male, nescio an etiam verius. Supra Barb. ambo, et Ien. firmant *proprie.* Gar.

prehendisti. Nam, comprehensio sontium, mea; animadversio, senatus fuit. Homo disertus non intelligit, eum, quem contra dicit, laudari a se; eos, apud quos dicit, vituperari. Iam illud cuius est, non dico audaciae, (cupit enim se audacem) sed, quod minime vult, stultitiae, qua vincit omnes,

Nam comprehensio sontium mea; animadversio senatus fuit] Habent et istud quoque nostrum quatuor, quae adnoto, quod P. Manutius et Lambinus istaec quoque receperint in textum, neque tamen meminerint unde. e mss. scilicet Hier. Ferrarii. cui Philippicae istae nimium quantum debent. Grvt. Mei omnes ante Lamb. editi: *nam, cum comprehensio sontium mea, animadversio Senatus fuerit:* neque notavit quidquam Ferrarius. Eiecit *cum*, rescripsitque *fuit* Lambinus, auctore cod. Vaticano, et suorum aliquo, addidit enim notam v. c. Lambinum Aldus nepos de more secutus est. Ienensis auctoritatem adiecit Cl. Heusingerus, cum Graevius in suo cod. *fuit* invenerit, sed etiam *cum*, ut ego in utroque Barb. Nimirum ex prima syllaba vocis *comprehensio* natum est *cum*; deinde Latinitatis caussa emendatum *fuerit*. Garaton.

Quem contra] Anastrophe pro *contra quem*. Plinius I. Epist. 23. 3. *si forte me appellasset vel ille, cui adessem, vel ille, quem contra*. Virgil. V. Aen. 370. *Solus, qui Paridem solitus contendere contra*. Heusing.

Iam illud] Quoniam alia sunt scelera, de quibus etiam frequenter improbi gloriantur, alia, de quibus erubescunt, posterius vitiorum genus adscribit Orator M. Antonio. Audacia, crudelitas, ultio, latrocinia, caetera huiusmodi, quae vim aliquam et potestatem desiderant, hominibus nefariis gloriandi segetem praebent. Stultitia, invidia, et alia, quae vel a stupore mentis, vel ab animi pravitate manant, sunt pudori, et eam ob rem Orator Antonio non audaciae, sed stultitiae labem adspergit. Abram.

Non dico audaciae] Simile est illud Vatinianae: *Cogitarisve in illo tuo intolerabili, non regno, (nam id cupis audire) sed latrocinio augur fieri in Q. Metelli locum*. Id.

Cupit enim se audacem dici] Meus codex: *coepit enim se audacem dicere*. Graevius. In Vaticano neque *dici* exstat, neque *dicere*, verum tantummodo, *cupit enim se audacem:* eique Muretus est obsecutus. Ita fere II. de Orat. 60. *ut iste, qui se vult dicacem, et mehercule est, Appius:* ut egregio codici haud nimium detulisse Muretum appareat. In eodem mox, *qua vincit omnis*, et paullo infra, *omnis ordines, omnis cives*. Garaton. Notat Graev. in suo codice, quem

clivi Capitolini mentionem facere, quum inter subsellia nostra versentur armati? quum in hac cella Concordiae, o dii immortales! in qua me consule,

dicunt esse Ienensem, se reperisse *coepit enim se audacem dicere*, quam lectionem in eo codice frustra quaeras.

Clivi Capitolini mentionem facere] Dicere, clivum Capitolinum armatis servis plenum fuisse. Huius autem obiectionis stultitiam ostendit 1. a loco: in quo duo spectanda sunt, videlicet Numen, cui dedicatus hic locus, Concordiae nimirum, quae maxime est ab armis et discordiis aliena, et res in eo prius gestae, dictae olim sententiae reipublicae salutares, quibus duobus adiectis facti atrocitas, et stultitia criminis ostenditur. In monte Tarpeio tria potissimum fuerunt, quorum frequentem inveniat mentionem. Capitolium ipsum, sive templum Iovis Opt. Max. arx, clivus Capitolinus. Pub. Victor libello de urbis Romae regionibus, regione octava: *Aedes Vaeiovis inter arcem et Capitolium prope Asylum.* Marlianus libro 2. cap. 1: *Dividunt autem montem hunc in arcem et Capitolium: arcemque aquilonem versus, tanquam firmiorem locum aedificant. Capitolium vero ad Tiberim locum natura munitum extruunt.* Idem cap. 8: *Clivum Capitolinum vocabant antiqui locum et viam, qua in Capitolium adscendebatur*, etc. *Alii ad eam arcis partem, quae Aventinum respicit, ubi nunc S. Gregorii templum in Velabro est, fuisse affirmant: alii inter Saturni et Concordiae templa, prope Severi arcum, ad Senatoris stabula. Arcus autem Severi ad radices Capitolii in fori Romani capite excitatus: sub quo transeuntes triumphaturi in Capitolium adscendebant. Fuit ergo clivus Capitolinus ad forum Romanum silice a Censoribus stratus*, etc. *Cornelius Tacitus Capitolium priscis temporibus varios habuisse aditus scribit, et hinc tam variae de Capitolino clivo natae sunt opiniones.* Abram. Verissima est eorum sententia, quae statuit, clivum Capitolinum fuisse, qua adscenditur ex foro, ubi nunc est arcus Septimii Severi, in Capitolium. Vide Alex. Donatum lib. 11, cap. 8, et Nardinum de vetere Roma lib. v, cap. 11. cuius tamen sententia doctis viris non probatur. Graev.

In hac cella Concordiae] Deprehensis coniuratorum litteris, ut narrat Plutarchus in Cicerone, *Senatui in cellam Concordiae convocato litteras recitavit, et indices audivit.* Unde illud pro Sextio: *Erat eodem tempore Senatus in aede Concordiae, quod ipsum tempus repraesentabat memoriam consulatus mei.* Fuit autem haec aedes illud Luc. Opimii *monumentum celeberrimum in foro*; de quo eadem oratione. Marlianus lib. 3, cap. 11: *In area Volcani templi Concordiae aedem Fulvius libertino pa-*

salutares sententiae dictae sunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladiis homines collocati stent? Accusa senatum; accusa equestrem ordinem, qui tum cum senatu copulatus fuit; accusa omnes ordines, omnes

tre natus trecentis tribus annis post Capitolii extructionem, si populo ordinem Senatorium reconciliasset, vovit. Extructam deinde ex condemnatorum foeneratorum multatitia pecunia in Palatini radicibus, Opimius Consul postea restauravit. ABRAM. Fuit ad clivum Capitolinum. vide Alex. Donatum 11 Vet. Romae, cap. 14. GRAEV.

Collocati stent?] In rebus atrocibus solet una syllaba periodum terminare. ut pro Milone: *Insidiatori vero et latroni quae potest afferri iniusta nex?* Pro Ligario: *Ad ea arma profectus sum, quae erant sumpta contra te.* Idem: *Non tu ergo hunc patria privare, qua caret, sed vita vis.* quae clausula est, ut ait Pedianus in Divinationem, *de industria durior ad exprimendam sententiam.* ABRAM.

Accusa Senatum] A comparatione hominum, qui tam in utriusque consulatu arma sumpserunt, stultitiam obiectionis ostendit: Cicero Senatus, Equestris ordinis, omnium civium usus est praesidio, Antonius Barbarorum. IDEM.

Cum Senatu copulatus] Plinius lib. 33, cap. 2: *M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo ei Senatum concilians*, etc. Quae ordinum coniunctio diu non stetit. Nam biennio post, ut dicitur lib. 1 ad Attic. epist. 16. pene distracta est Q. Metello Celere et Afranio Consulibus: *Nos hic in republica infirma, misera, commutabilique versamur. Credo enim te audisse, nostros equites pene a Senatu esse disiunctos, qui primum illud valde graviter tulerunt, promulgatum S. C. fuisse, ut de iis, qui ob iudicandum pecuniam accepissent, quaereretur.* Paulo post: *Ecce aliae deliciae Equitum vix ferendae, quas ego non solum tuli, sed etiam ornavi. Asiani, qui de Censoribus conduxerunt, questi sunt in Senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse, et ut induceretur locatio postulaverunt*, etc. *Summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, plane alienarentur a Senatu.* Paulo post: *Tueor, ut possum, illam a me conglutinatam concordiam.* Quo tempore res confecta non est, nec retineri diutius potuit ordinum inter se consensio. Epistola 17: *Consul est impositus nobis, quem nemo praeter nos philosophos adspicere sine suspirio posset.* (M. Puppium Calpurnianum intelligit, quem epist. 13. vocaverat inertem, somni plenum, imperitum, ἀπρακτότατον.) Pergit: *Quantum hoc vulnus? facta S. C. de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata: exagitatus Senatus, alienati equites Romani.*

cives, dum confiteare, hunc ordinem, hoc ipso tempore, ab Ityreis circumsederi. Haec tu non propter au-

Sic ille annus duo firmamenta reipublicae per me unum constituta evertit. Nam et Senatus auctoritatem abiecit, et ordinum concordiam disiunxit. Epistola 18: *Vidi nostros publicanos facile a Senatu disiungi, quanquam a me non divellerentur.* Etiam apertius epist. 1. lib. sequentis: *Nunc vero cum equitatus ille, quem ego in clivo Capitolino, te signifero, ac principe collocaram, Senatum deseruerit, nostri autem principes digito se coelum putent attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant: alii autem negligant: nonne tibi satis prodesse videor, si perficio, ut nolint obesse, qui possunt?* Abram.

Ab Ithyreis] Barbaris ab Ithyra urbe in Tauro monte. Videntur autem optimi iaculatores fuisse, et eam ob causam Maro in Georgicis,

Ithyraeos taxi torquentur in arcus.

Vibius Sequester in nominibus gentium: *Ithyraei Syrii usu sagittae periti.* Idem. Sunt Ituraei Syriae, quos quasi satellites adduxerat Antonius, quum sub Gabinio ibi militasset: homines truces, et audaces, κακοῦργοι πάντες (Strab. l. xvi. p. 520.) in primis sagittandi artis periti. Hinc Virgilio II. Georg. 448. *Ituraei arcus*, et Lucano VII. 230. *Ituraeae sagittae* laudantur. Etiam *sagittarii Ituraei* Vopisc. in Aurel. c. XI. Cellar. Ien. *habiti reis circumsideri,* male divisis vocibus, additaque a principio adspiratione. Apparet tamen, *Ityreis*, non *Ithyreis*, ac potius *Ityraeis* scriptum fuisse, quia Graece Ἰτουραῖοι dicuntur, non Ἰτουρεῖοι. Vide Cellar. Orb. Ant. III. 13. p. 623. *Circumsederi* cum doctioribus servavi. Vide Drak. ad Liv. IX. 2. Heusing. Hi sunt, de quibus infra V. 6. *certum agminis locum tenebant barbari sagittarii:* quos postea in auxiliis Imperatores habere consueverunt, ut non modo ex Vopisco patet, verum etiam luculentius ex antiquis marmorum inscriptionibus, in quibus cohortem aliquam, et alam eorum nomine appellari aliquando videmus: quamvis non soli essent iis adscripti numeris Ituraei: quo de more multa collegit Hagenbuchius T. X. Miscell. Amstel. Nov. p. 360. Unum eiusmodi marmor, Grut. CDXLIV. 5. Imp. Hadriani temporibus positum, Beneventi est, et a V. C. Ioh. de Vita docte illustratur T. I. Ant. Benev. p. 232. ubi de Ituraea post Cellarium, Dresemium, et alios agit, Tullianos quoque locos attingens, quorum orthographiam in edd. ait nondum constare. Ei tamen, si vidisset, satisfacere poterat Heusingerus, qui edidit *Ityraeis.* Nam in eo marmore, quod haud minus, quam Ciceronis, Virgilii, Lucani, Plinii,

daciam dicis tam impudenter, sed quia tantam rerum repugnantiam non vides. Nihil profecto sapis. Quid

et aliorum codices, describentium opera in varietates incurrerat, ita scriptum esse testatur, PRAEF. COH. III. ITYRAEOR. quomodo etiam in Virgilio Burmannus edidit, optimis, opinor, MSis adnuentibus (in Mediceo est *Ityreos*): eamque scripturam cum Cellario l. c. num. 253. heic, et infra c. 41. Tullio ipse restituit. Atque adeo nunc hoc in loco egregium codicem Vaticanum illi et Heusingero auctorem profero. Alio etiam in lapide Grut. DXXXIII. 9. EQ. ALAE. AVG. ITYRAEORVM. (sive ITYREORVM. ut apud Dausq. T. II. Orthogr. p. 170.) DOMO. ITYRAEVS. Sed in Graeca derivatione ii utrique falli videntur. Vnum etenim vidi Casaubonum ad Vopisc. l. c. ita ponere, *Ityraeos*, Ἰτυραίους: cum tamen Graeci, teste Pierio ad Virgil. l. c. Ἰτουραίους dixerint, quod et ipse Heusing. habet, et in omnibus, qui ad gentis huius notitiam proferuntur, Graecorum locis inspexi. Ad eam rationem *Ituraeam* et *Ituraeos* videbis iam in Sacris Libris, apud Lucan. l. c. Plinium V. Hist. Nat. 23. etc. quam heic etiam, et infra Ferrettus est recte secutus. Neque huic quoque parti marmorea monumenta desunt, nisi quis forte inspector eripiat. Apud Grut. DXIX. 5. non modo est ALBAN. BALVI. F. DEC. ALAE. AVGVSTAE. ITVRAEORVM. DOMO BETAVOS. verum etiam LVCANVS. DEC. ALAE. AVG. ITOVRAEORVM. quo nihil Graecum est magis. Apud Reines. VIII. 41. PRAEF. COH. I. AVG. ITVREOR. (rectius in Ind. *Ituraeorum*) ET. VI. THRACVM. Antiquiorem habet notam insignis lapis Murat. DCLXX. 1. IDEM. IVSSV. QVIRINI. ADVERSVS. ITVREOS. IN. LIBANO. MONTE. CASTELLVM. EORVM. CEPIT. Omnino per V. legendum est, si vox a fonte Graecorum arcessi debet, ut placuit iam Pierio, Dausquio, Oudendorpio, aliisque doctissimis. Certe, cum hoc nomen utroque modo scribi pro Latinorum more V. passim Graecos Υ. substituentium Cl. de Vita adfirmaret, erat ei probandum, Graecos per Υ. scripsisse, non per ΟΥ. quod non licet in Υ. convertere. Barb. ambo, *Itireis*, ut alibi quoque variant codices. GARATONIVS. Teeg. *Ituraeis*. Ien. *habitis reis*.

Sed qui tantarum rerum repugnantiam non videas] *Tantam*, o. l. v. Liber Col. non *qui*, sed *que*. nonnulli *quia*. quod probo. Sic enim interpunctiones ponendas arbitror: *Haec tu non propter audaciam dicis tam impudenter: sed quia tantam rerum repugnantiam non videas. Nihil profecto sapis.* FERR. *Sed qui tantam rerum repugnantiam etc.*] Hic locus varie scriptus est in lib. manusc. varieque impressus in vulg. Miror autem, Faërnum et Muretum non modo non indicasse, quomodo in optimo illo cod. manuscr. scriptum

sit, verum etiam dissimiliter hunc locum edidisse. sic enim Faërnus: *sed quia tantarum rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis.* Muretus sic: *sed qui tantarum rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis. Quid enim,* etc. Neminem esse puto, qui non videat, quantum inter has lectiones intersit. Quoniam ergo, quo modò in codice illo Romano scriptum sit, cognoscere non possumus: ad nostros confugiamus. hi sic habent, ut edidit Muretus, nisi quod pro *tantarum* habent *tantam*. nostros igitur secuti sumus. Licet tamen etiam sic legere, *sed quia tantam rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis.* Lambinus. Meus codex, *sed qui tantam rerum repugnantiam non videbas*, quod non inconcinnum, si pro *qui* cum vulgatis scribas *quia*. Aut, si *videas* cum aliis retineas, omnino legendum est *qui*, quod mei libri quoque prae se ferunt. Graevius. Ien. *sed qui tantam rerum repugnantiam non videbas*, ita tamen, ut *b* littera subnotata sit. Suspicor a Ciceronis manu fuisse, *sed quia, tantam cum rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis*, vel, *sed quia, qui tantam r. r. non videas.* Heusing. In cod. Vatic. ita plane locus hic legitur, ut eum ex suis MSis constituit Ferrarius: *sed quia tantam rerum repugnantiam non videas:* neque aliter legendus est. Graevium vidimus etiam pro Marc. 9. hoc non tulisse, *omnis voluptas praeterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit.* Neque is item pro sua consuetudine *quia* cum subiunctivo probare potuit in Lael. 4. quem tamen locum optime vindicarunt Cortius ad Sallust. Catil. XVIII. 3. et Drak. ad Liv. II. 8. Adde III. de Offic. 32. extr. *non esse utilia, quia sint flagitiosa, foeda, turpia;* quem locum Graevius intactum reliquit, item illum Auct. ad Herenn. IV. 50. *negat se, quia villae incensae sint, accedere posse.* Nos ergo summi viri iudicium heic quoque iure contemnimus. Iustius in eod. Lael. 2. Graevius retinuit, *quia habebat*, ex Grut. Man. Lamb. Victor. et aliis: neque aliter ed. Nivelliana MDLVI. duo antiqui libri apud Roger. codices Lamb. Man. aliorum, et quatuor a me consulti Barberini. Tamen suspecta ea mihi lectio est, cum *haberet* invenerim in ed. Ven. MCDXCVIII. quae cum Omniboni commentario prodiit, in Froben. MDXXVIII. in ed. Seb. Gryph. MDXLIX. quarum non est vilis auctoritas; denique in ea, quam Roger. emisit anno MDXLVII. quinque pervetustis MSis usus ex Parisiensi bibliotheca S. Victoris, uno Lemovicensi, et XX. antiquis edd. qui libri omnes, duobus tantum exceptis, auctores huius lectionis Rogerio fuerunt, quam tandem repet. Lamb. revocaverant. Sic ergo isti: *Atilius* (sapiens est appellatus), *quia prudens esse in iure civili putabatur, Cato, quia multarum rerum usum haberet: multa eius etc. fereban-*

est enim dementius, quam, quum rei publicae perniciosa arma ipse ceperis, obiicere alteri salutaria?

tur: propterea quasi cognomen iam habebat in senectute sapientis. Vt reponeretur *habebat*, ad frequentiorem indicativi usum id quoque caussae accessit, imo fuit ea causa praecipua, quod antecedit, *quia putabatur:* cum praeterea nonnulli huc adgregent *ferebantur*, habentes *multaque eius*, a quibus tamen cum plerisque et melioribus Barberini omnes codices recte dissentiunt. Sed quo magis probata Tullioque adserta nunc est ea modorum varietas, eo probabilior et iustior mea suspicio est. Similiter in loco Plinii V. Epist. 8. 1. Cortius iudicavit, similemque attulit ex Miloniana c. 22. ubi vide. GAR. Ien. *sed qui tantam rerum repugnantiam non videbas* (lineola tamen sub *b* notata). Teeg. et Gud. *sed qui tantam rerum repugnantiam videas, nihil profecto sapis.*

Contra remp. perniciosa arma] *Reip. perniciosa*, o. l. v. perspicue rectum. FERRAR. *Ipse reip. perniciosa arma*] Et hoc ab iisdem membranis, nec non Pal. primo. prius editi, *ipse contra remp. perniciosa*, GRVTERVS. In hac optima lectione recipienda unum ex iis, quos vidi, Muretum Grutero praeivisse miror. Ordinem Vaticani secutus ille fuerat, in quo sic inveni, *cum reip. perniciosa arma ipse ceperis, obicere alteri salutaria?* GAR.

Arma ipse ceperis] Imo a Senatu concessa, si credimus Appiano. Prima Philippica, postquam egit de sublata Dictatura: *Liberatus caedis periculo paucis post diebus Senatus: uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat.* Hunc fugitivum Epitome Chamacem, Valerius Maximus Herophilum medicum equarium, Amatium vocat Appianus. Hic, ut auctor est Valerius, cum se Marii septies Consulis filium simularet, ita credulam plebem sibi conciliavit, ut vivente adhuc Caesare eum multa municipia, et veteranorum Coloniae patronum adoptarent. Sed ab eo eiectus in exilium, cum in urbem audita Caesaris nece rediisset, Senatum trucidare volens ab Antonio comprehensus et necatus est. Enimvero plebs in Antonium sic exarsit, ut in omnem eius necandi occasionem immineret, ut narrat Appianus initio tertii civilium: *Senatus manifeste compertum habens, Antonio insidias a plebecula comparari, concessit, ut excubias sibi constitueret e veteranis praesentibus. Is porro, sive id unum rebus ante gerendis spectaverat, sive occasionem forte oblatam amplexus est, delectum stipatorum habuit, semper numerum augens usque ad sena millia, non e militibus quos facile, si qua necessitas incumberet, aliunde se habiturum esse sperabat, sed omnes Centuriones, ut qui ordines ducere pos-*

At etiam quodam loco facetus esse voluisti. Quam id te (dii boni!) non decebat! In quo est tua culpa non-

sent, et magnum usum haberent rei militaris, sibi cognitos e bellis, quae imperatore Caesare gesserant. ABR.

At etiam quodam loco facetus esse voluisti] Coniicit And. Schottus, *ioco.* lib. 1. Nodor. cap. 12. qui adeatur. GRUTERUS. *At etiam quodam loco*] Non satis tibi fuit Consulatum meum vituperare, nisi versum a me scriptum de meo consulatu,

Cedant arma togae, concedat laurea laudi,

irridere, et in eum iocari voluisses. ABRAM.

Quam id] Antonii iocum ioco diluit, primum in eius insulsitatem exclamans, deinde familiariter reprehendens, tertio caussam ridiculam afferens, cur reprehendendus esse videatur. IDEM.

Te non decebat] hominem humanitatis ignarum, et omnis leporis expertem. IDEM. *Quam id, dii boni,*] Ex antiquo libro post *quam* interponé pronomen *te*: ut sit, *quam id te, dii boni, non decebat.* FAERN. *Te* perperam omissum est in editionibus recentibus, cum id ex Vaticano restituerit Faërnus et Muretus, consentiente Lambino et Manutio. GRAEV. Omiserat tamen pronomen istud Graevius, nolens profecto et imprudens. Itaque restituimus: sed quo loco est in Vaticano, a quo uno servatur, non ante *non*, ut Verb. Oliv. Lall. et Heusing. GAR. *Te,* quod unus omnium Vat. habet, et Graevius, qui in nota id valde probat, et Ern. in textum recipere debebant, quo demum restituto suam quasi vim recipit tota oratio. Namque haec non universe disputata aut dicta accipi volebat, sed iactabat haec in Antonium, quem ridebat, quod facetus videri vellet, quum tamen esset ingenio a leporibus et facetiis alienissimo, quod patet e verbis sequentibus: *in quo est tua culpa nonnulla, aliquid enim salis ab uxore mima trahere potuisti,* quae verba etiam in plurimis codd. in Ien. Teeg. Gud. depravata sunt, quum pro *nonnulla* habeant *nulla.* Sensus enim est: *tu mihi ineptus videris, quod facetum te esse simulas, id enim naturae tuae repugnat, quanquam trahere aliquid potuisses ex uxore mima.* Ex quo intelligitur, istius vocis omissione Ern. hunc locum depravasse.

In quo est tua culpa nulla] *Nonnulla,* 1. Col. recte. FERRAR. *Nonnulla*] Hanc vocem addit ad extenuandam accusationem, ut familiarius compellet. ABRAM. Ien. *nulla*, ut quidam alii, deinde, *mima uxore,* de qua vide c. 24. HEUSING. Barberini quoque *nulla*, sed perperam. Ipse Grut. retinuit *nonnulla* ex Lamb. Car. Steph. et Man. atque ita Vatic. in quo tamen, *a mima uxore.* GAR.

nulla. Aliquid enim salis ab uxore mima trahere potuisti. CEDANT ARMA TOGAE. Quid? tum nonne cesserunt?

Aliquid salis] Aliquid facetiarum, leporis, et festivitatis discere potuisti ab amica tua Cytheride ludia, quacum tam familiariter et tam libere vivis, ut uxor tua videri possit. *Salis*, *leporis*, ut apud Catullum,

Qui tum denique habent salem ac leporem.

Item:

— nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis. Abram.

Ab uxore mima] Cytheride, sive Volumnia, de qua infra dicendum. Ea verene uxor fuerit Antonii, an tantum amica, dubitari merito possit. multas enim habuit uxores. Prima fuit Bambalionis filia, de qua dictum supra. Altera fuit C. Antonii filia, de qua infra: *Filiam eius, sororem tuam eiecisti, alia conditione quaesita et ante perspecta.* ubi non optime Lambinus emendat *uxorem tuam.* fuit enim illa vere soror patruelis Antonii. Quam autem conditionem quaesierit Antonius, et ante perspexerit, dubitari potest, Fulviaene, quae mortuo paucis ante mensibus Curione vidua relicta fuerat, an Cytheridis mimae, non satis liquet. Certe cum, ut ex Plutarcho et Cicerone constat, statim post repudiatam Antoniam Italiae oppida obierit cum illa mimula, non videtur adhuc de Fulviae nuptiis cogitasse, ne recentem uxorem iis flagitiis offenderet. Quare nihil obstat quominus ille Cytheridem vere tum uxorem acceperit, ut loquitur Orator, a qua tamen paulo post fecit divortium, et Fulviam duxit uxorem. Deinde, ut societatem cum Caesare Octaviano coalitam arctius conglutinaret, et Octaviam Caesaris sororem in matrimonium adscivit, et postea repudiavit in gratiam Cleopatrae. Sed haec postea contigerunt. Idem.

Cedant arma togae] Hunc et alios huiusmodi versiculos, ut ait Fabius libro 11, cap. 1, *non desierunt carpere maligni.* vide in Pisonem cap. 29 et 30. Sallustius in Ciceronem: *Etiamne aures nostras onerabis tuo odio? Etiamne molestissimis verbis insectabere?*

Cedant arma togae, concedat laurea linguae.
Quasi vero togatus et non armatus ea, quae gloriaris, confeceris? Victorius lib. 5. Var. cap. 24. legit *linguae,* non *laudi.* Hunc autem versum reprehendebant, non quasi elegantia carentem, ut putavit hoc loco Manutius, sed quasi arrogantem. Plutarchus: *At Ciceronis immoderata de se loquendi consuetudo intemperantem in eo gloriae cupiditatem arguebat, cum exclamaret*

Cedant arma togae, concedat laurea linguae. Idem.

Quid tum? nonne cesserunt?] Incorrupta verba, sed perperam, meo quidem iudicio, distincta. Nam sic interpungendum arbi-

At postea tuis armis cessit toga. Quaeramus igitur, utrum melius fuerit: libertati populi Romani sceleratorum arma, an libertatem nostram armis tuis cedere. Nec vero tibi de versibus plura respondebo;

tror, *Quid? tum nonne cesserunt?* Illud declarat, quod sequitur, *at postea*, quod ad *tum* refertur. Cicero de Provinciis Consul. *Tum, inquam, Bizantii, et postea signa illa, et reliqua urbis ornamenta sanctissime custodita tenuerunt.* Ferr. *Quid? tum*] Quid? in meo consulatu nonne arma Catilinae meae togae cesserunt, cum ego togatus coniurationem oppressi? Abram.

At postea] Anno quartodecimo post meum consulatum bellum civile tuis nefariis intercessionibus concitasti, et Caesarem contra patriam armasti: quo tempore tuis armis cessit pax et tranquillitas reipublicae. Idem.

Nec vero tibi de versibus respondebo] Hic quoque post *versibus* interpone ex antiqui exemplaris fide vocem *plura*, meo iudicio necessariam. Item paulo inferius, post *breviter*, vocem *te*, quae in subsequentibus deleatur. Faernus. *Plura* recepit cum Faërno Lambinus. cur non vero receperit Muretus et Manutius, causam non video. Graev. *Nec vero tibi*] Quod me ob scriptos a me versus tanquam Graeculum otiosum et sophistam irrides, indigna est, cui respondeatur, illa obiectio. respondet tamen breviter, se ita animum ad poësim, ad philosophiam, ad caeteras eruditionis partes appulisse, ut nec amicis suis, quorum commodis serviebat, nec reipublicae, cuius saluti consulebat, defuerit, et suis omnimodae litteraturae monumentis nomini Romano laudem pepererit, et utilitatem iuventuti. Abram. Lamb. et Graev. cum *plura* ex Vat. recte adderent, eo debebant loco interponere, quo in MSo haberi Faërnus vere indicarat, ut esset, *nec vero tibi de versibus plura respondebo.* Gar. Caussam non perspicere possum, cur Ern. omiserit *plura*, quod post verba *de versibus* in uno Vat. legitur. Putat Ernestius, omnino nihil ab eo de versibus responsum esse, sed tantum additum esse: Antonium versus non scribere posse. At ego contendo, propterea a Faërno, Lambino, Mureto, Manutio, Graevio denique hanc lectionem e Vat. receptam esse, quod de versibus illis: *Cedant arma togae* etc. Antonio satis acerbe responderat: *Quid? tum nonne cesserunt? At postea tuis armis cessit toga.* Paullo post ante verba: *neque illos*, ex auctoritate Vat., quod ab editoribus nondum observatum est, rectius ponitur *te*, quam vulgo post *illos*, quod oppositum est sequenti *me*

De versibus] M. Tullius, ut est apud Plutarchum, iam inde a pueritia *erat aliquo modo ad poësim propensior. Procedens ae-*

tantum dicam breviter: neque illos, neque ullas te omnino literas nosse; me nec rei publicae, nec amicis umquam defuisse, et tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis subsecivis, ut meae

tate et maiore varietate huiusmodi musas exercens, visus est non solum orator, sed etiam omnium Romanorum optimus poeta. Quamvis secutis temporibus *poesis eius, cum sequens aetas multos ad poesim idoneos protulisset, facta est omnino ingloria et inhonorata.* Cuius tamen unius studio si se penitus tradidisset, posteris etiam fortasse palmam praeripere potuisset. Siquidem Caesare rempublicam obtinente, iam annos sexaginta natus, *facilitate, quam ad poesim habebat, ludens utebatur. Dicitur enim, cum ad aliquid eiusmodi dilaberetur, versus una nocte fudisse quingentos.* Atque eam ob rem ab inimicis carpebatur, quasi, posthabitis amicorum commodis abiectaque reipublicae cura, quasi Graeculus quidam in eius unius studium se penitus immergeret. Abram.

Omni genere monumentorum] Calenus invectiva contra Tullium apud Dionem lib. 46: *Et Sophistam, et Poetam, et Philosophum, et Oratorem, et Historicum esse se simulat.* Plutarchus: *Sic erat ab ipsa natura comparatus, ut Plato indolem doctrinae sapientiaeque cupidam requirit, adeo ut omnem doctrinam amplecteretur, neque ullum eruditionis genus posthaberet.* Idem.

Operis subcisivis] *Subsecivis*, Lang. Col. Sc. et caeteri l. v. *Operae* autem *subsecivae* sunt, non principales (ut ita dicam), sed proximae, quas ludis et feriis, scilicet quas a functione munerìs in remp., forum, amicos, studiis ac Musis damus. Dictae (opinor) *subsecivae* ab iis, quae in agrorum assignationibus subseciva nominantur: quae sunt tanquam assignatorum finium reliqua: de quibus Frontinus, *Subsecivum*, inquit, *est quod a subsecante linea nomen accepit. Subsecivorum genera duo: unum, quod in extremis assignatorum finium centuria expleri non potuit. alterum genus subsecivorum, quod in mediis assignationibus et integris centuriis intervenit. quicquid enim inter IV limites minus, quam interclusum est, fuerit assignatum, in hac remanet appellatione, ideo quod is modus, qui assignationi superest, linea claudatur et subsecetur: nam et reliquarum mensurarum actus, quicquid inter normalem lineam et extremitatem interest, subsecivum appellatur.* Idem, et eo plus etiam Agennus et Vrbicus tradunt. haec autem, ut scribit Higinus, divisionum atque assignationum auctores fere sibi reservabant. Ab hac similitudine igitur operae, horae, tempora, quae amicorum, fori, reip. supersunt atque ex ii-

vigiliae, meaeque literae, et iuventuti utilitatis, et nomini

eripiuntur, et quasi subsecantur, quae nobis reservamus, nec perire sinimus, sed in legendo, commentando, scribendo consumimus, subseciva nuncupantur. Quare apud Varr. lib. 1. de Re rustica in. *subsecivum*, non *subcisivum*, apud M. Tull. multis in locis, apud caeteros scriptores eodem modo scribendum est. Haec ex Angeli Colotii thesauris deprompsimus, quem omnes a litteris non alieni pene venerari debemus, non solum propter eius eruditionem atque doctrinam prope singularem, sed etiam propter incredibilem quendam in hoc hominum genus amorem et charitatem: ita eius omnis gratia, opes, domus, atque adeo ipse totus omnibus studiosis patet. Ferrarivs. *Operis subsecivis*] Harum duarum vocum in optimo illo libro ne tenuissimum quidem vestigium est: quod tamen librarii culpa factum puto. Mvretvs. *Operis subcesivis*] Absunt haec duo verba ab antiquissimo libro Vaticano. Fvlv. Vrsinvs. *Operis succisivis*] Noster 2. de Oratore exeunte: *Quid enim poterit dicere? Consularem se esse hominem et censorium? Eadem nostra caussa est. An aetatem afferet? Quadriennio minor est. An se nescire? Quae ego sero, quae cursim arripui, quae succisivis operis, ut aiunt, iste a puero summo studio, summis doctoribus.* Praefatione libri primi de legibus: *Subcesiva quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior, ut, si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quae scribimus.* Abr. Ien. *subsicivis*, ut saepe in vetustis monumentis. Hevsing. Recte *subsecivis* Barb. ambo cum melioribus. Gar.

Nomini Romano laudis aliquid afferrent] Quantum eius lucubrationes nomini Romano laudis attulerint, paucis ostendit Velleius lib. 2: *Vt vita clarus, ita ingenio maximus, qui effecit, ne, quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur.* Testis etiam Apollonius ille Rhetor apud Plutarchum, qui cum Ciceronem adolescentem adhuc Graece declamantem audisset, caeteris plaudentibus, ipse mente confusus et cogitabundus haerebat: *Graviter id ferente Cicerone, dixit, Te quidem, o Cicero, laudo et admiror. Sed miseror Graeciae fortunam, videns, quae sola nobis pulchra et honesta supererant, ea per te ad Romanos pervenisse, eruditionem et eloquentiam.* Sed quis Caesare locupletior testis, qui Anticatonem scribens, non solum Pericli Tullium comparabat, ut scribit Plutarchus, sed etiam, ut narrat Plinius libro 7, cap. 30. scripsit, eum *omnium triumphorum lauream adeptum maiorem, quanto plus est ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam imperi.* ut merito exclamarit Silius lib. 8:

Ille super Gangem, super exauditus et Indos
Implebit terras voce, et furialia bella
Fulmine compescet linguae, nec deinde relinquet
Par decus eloquii cuiquam sperare nepotum. Abr.

Ien. *et viventium utilitati, et nomini Rom. laudis afferrent,* omissa voce *aliquid.* Placet *viventium,* quod a Graevio non observatum miror: quia Cicero non tantum iuvenibus, sed et viris ingenii monumentis profuisse sibi visus est. Itaque legendum fortasse: *ut meae vigiliae, meaeque litterae et viventium utilitati, et nominis Romani laudi aliquid afferrent.* Ita verbum *adfero* pro *adstruo*, *confero*, usurpatum legitur pro Marc. 4. *At vero haec tua iustitia, et lenitas animi florescet quotidie magis, ita ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum adferat laudibus.* I. Tuscul. 3. *Quare, si aliquid oratoriae laudi nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiae fontes aperiemus.* Heusingo. Altera emendatio, licet a MSo profecta, mihi plane displicet, qui non puto esse Tullianum, *viventium utilitati*; quique scio Tullium de suis orationibus ita locutum in Bruto c. 32. *certe enim boni aliquid attulimus iuventuti, magnificentius, quam fuerat, genus dicendi, et ornatius;* item IV. ad Att. 2. *itaque oratio* (pro Domo) *iuventuti nostrae deberi non potest;* qui denique non dubito, quin philosophicos etiam libros iis potissimum Cicero scripserit, qui ei se studio essent postea tradituri. De suis utique omnibus et oratoriis, et philosophicis libris, verum de his potissimum, ita loquitur II. de Divin. 2. *quod enim munus reip. adferre maius, meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus iuventutem?* Altera vero necessaria non est. Loco illo ex Tuscul. *oratoriae laudis* defendentem Wopkensium vide I. Lect. Tull. 9. p. 49. quem summopere adiuvant ea, quae Cortius adnotat ad Plin. II. Epist. 1. 6. Atque illa eadem lectio visa fuerat Mureto probabilis, qui omnes in eam libros veteres consentire monuerat. Recepta quoque a Gebhardo fuit ex octo MSis, et in illius Crepundiis adserta: iisque accedit codex Reg. ille antiquissimus, et editio Rom. MCDLXIX. Sed Victor. Camer. P. Man. Car. Steph. Lamb. Ald. Nep. et editio Vascosani celebris MDXLIX. item cod. Barb. habent ibi *oratoriae laudi,* quod praetulit Bentleius, et in ed. sec. ac tertia Davisius. Garaton. Vnus cod. Ien. *meaeque litterae et viventium utilitati, et nomini Romano laudis afferrent,* quam lectionem propterea maxime attuli, quod Graevius, quum alioquin omnes lectt. non absonas ex eo codice, quem dicunt eundem esse, attulerit, hanc potissimum non memoravit, adeo ut vel ex eo suspicari possis, aut librum esse diversum, aut a Graevio non accurate collatum. Heusingero placet ista lectio, dummodo scripseris *laudi aliquid afferrent,* quasi Cicero non tan-

Romano laudis aliquid afferrent. Sed haec non huius temporis; ad maiora veniamus.

IX. P. Clodium meo consilio interfectum esse dixisti. Quidnam homines putarent, si tum occisus esset, quum tu illum in foro, inspectante populo Romano, gladio stricto insecutus es, negotiumque transegisses, nisi ille se in scalas tabernae librariae coniecisset, hisque oppilatis impetum tuum compressisset?

tum iuvenibus, sed etiam viris, ingenii monumentis suis prodesse voluerit, in quo cum eo non consentio.

Sed hoc non huius temporis] *Haec*, o. l. v. Ferrarius.

Ad maiora veniamus] Antiquus liber *maiora videamus*. Faernus. Vaticani lectionem iure probavit Muretus, Lambinus, Manutius, male respuerunt recentiores. Graevius. Sic Vat. Vulgo: *ad maiora veniamus*. Ad sensum perinde est, quidquid scripseris. Graev. et Heusing. Vat. sequuti sunt. Ernestius recepit vulgatam.

Spectante populo Romano] *Inspectante*, l. Col. et alii nonnulli. utrumque omnino probabile. mihi tamen hoc magis arridet. Ferrarius. Recte *inspectante* P. Man. Car. Steph. Grut. et omnibus suis MSis confirmantibus Lambinus; accedit cod. Graev. In Barb. sec. *populo spectante*. Sed Vatic. *spectante P. R. gladio insecutus es*. Gar.

Negociumque transegisses] *Negotium*, l. v. et ita scribi oportere, docent inscriptiones veterum monumentorum. Ferrar.

Nisi ille se sub scalas tabernae librariae coniecisset] Liber Col. et alter non minoris vetustatis non *sub scalas*, sed *in scalas*. Quid verum sit, divinandum. Asconii tamen verba subscribere placuit, quae pro Col. videntur facere: *Et cum in scalas quasdam Cominii fugissent*. Hanc eandem rem pro Mil. commemorat. Idem. *Nisi ille se sub scalas*] Antiquus liber *nisi se ille in scalas*. Faernus. *Nisi ille se in scalas etc.*] Sic duo vetustissimi Ferrario inspecti, probatque Asconius, nec recedit Pal. sec. aut S. Victor. antea cusi, *sub scalas*. Gruterus. Cod. len. *sub scalas*. Gud. *sub scala*. o. *in scalas*, et paullo post, *hisque quidem oppil*. φ. et ψ. *sub scalas*.

Tabernae librariae] Horatius lib. 1, Sat. 4:

Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.

Taberna proprie et stricte dicitur locus tabulis clausus, ut notant Festus, et Isidorus, quamvis, ut ait Vlpianus de verb. significat. lib. 185, *Tabernae appellatio declarat omne utile ad habitandum aedificium*. ubi notat Godefredus reperiri tabernam

Quod quidem ego favisse me tibi fateor, suasisse ne tu quidem dicis. At Miloni ne favere quidem potui. Prius enim rem transegit, quam quisquam eum su-

argentariam. D. de contrahend. empt. l. 32. lanionis. de orig. iuris l. 2. §. 24. ferrariam. D. de leg. l. 88. casea riam. D. si servit. vindicet. cauponiam. D. de instr. l. 13. institoriam. de instit. l. 3. 18. pistrinariam. D. de instructo l. 15. purpurariam. D. de leg. l. 91. ABRAM.

Sed quid ego] In antiquo est, *quod quidem ego.* et est ordo, *quod quidem ego fateor, favisse me tibi.* FAERNVS. *Sed quid ego? favisse me tibi etc.*] Ita videtur distinguendum, non ut publicatur, *Sed quid? ego favisse* etc. non male etiam Guilielmius coniiciebat: *Ecquid ego? favisse.* GRVT. Malui et hic sequi veterrimum codicem Vaticanum cum Mureto et Lambino, quam triviales libros. GRAEVIVS. *quod quidem ego favisse me tibi fat.*] Lectio vulg. *sed quid? ego favisse* etc. sane nullum sensum praebet, neque eam lectionem Ern. probat, vult autem eam hunc in modum mutari: *Quid? ego favisse me tibi fateor.* Lectionem autem Vat., quam Lambinus, Muretus, Manutius, Graevius, Heusingerus denique exhibuerunt: *quod quidem ego fav.* propterea deserit, quod haec loquutio paullo durior sit, et explicationem requirat, quum tamen in lingua latina nihil sit frequentius quam accusativum pron. relativ. in tali contextu ponere, ut sit i. q. *in quo*, adeoque durior usus eius accusativi deprehendatur, v. c. Ter. Andr. 4, 3, 2. *sed si quid est, quod mea opera opus sit vobis.* Adelph. 5, 3, 49. *quod illos aetas sat acuet.* Liv. 5, c. 34. *Alpes visae insuperabiles, nulla dum via (quod continens memoria sit,) superatas.* Ien. Gud. *Sed quid ego fuisse me tibi fateor.* o. et φ. *sed quid ego fuisse me tibi fat.* φ. *favisse.*

Favisse] Plausu significasse tuum factum sive potius conatum mihi probari. Prudenter autem huius rei meminit, non solum ut crimen defendat, sed ut etiam in Antonium retorqueat. Cuius enim impudentiae fuit, obiicere alteri consilium patrati facinoris, quod ipse sua manu, non solum consilio, patrare voluerat Antonius. ABRAM.

Quam quisquam tum] *Tum* a libris v. abest. FERRARIVS. *Quam quisquam suspicaretur eum facturum esse*] Tu ita emenda iuxta antiquam scripturam, *quam quisquam eum facturum id suspicaretur.* FAERN. *Suspicaretur*] Cum nemo suspicari posset fore, ut Clodius et Milo eo die sibi in via Appia prope Bovillas occurrerent. ABRAM. Ien. *quam quisquam suspicaretur facturum eum esse.* Vaticanum secutus sum: suspectum tamen est *eum*, quod adeo

spicaretur facturum esse. At ego suasi. Scilicet is animus erat Milonis, ut prodesse rei publicae sine suasore non posset. At laetatus sum. Quid? Ergo in tanta laetitia cunctae civitatis me unum tristem

in libris locum variat. Heusing. Barb. ambo cum veteribus editis, *quam quisquam tum suspicaretur eum facturum esse.* In Vat. est *quisquam eum*, ut habet Faërnus; ac praeterea, *ne fabere quidem potui suadere.* Vltimum verbum pro varietate adscriptum arbitror: sed perperam. Gar. Ien. Gud. *quam q. suspicaretur facturum eum esse;* idem habent *o.* et *ψ.* praeter *φ.*, qui exhibet: *suspicetur.* Ern. edidit: *quam quisquam eum suspicarêtur facturum esse.* Teeg. *quam quisq. sciscitaretur fact. esse.* Vat. lectionem merito receperunt Graev. et Heusing. ille modo hoc ordine: *quam eum quisquam* —.

At ego suasi] Alio argumento probat, se necandi Clodii consilium non dedisse, petito a persona Milonis, qui suasoribus haudquaquam indigebat: idque honoris causa tribuit eius amori in rempublicam, quod tribui potuerat eius audaciae. Abram.

At laetatus sum] Argumentabatur a consequenti Antonius, Ciceronem necandi Clodii fuisse suasorem, quod eius morte laetatus esset. Id confutat Orator, tanquam commune, et quod omnibus bonis, qui Clodii morte laetati sunt, conveniret. Idem.

In tanta laetitia] Boni civis est in publica laetitia gaudere, publicasque gratulationes privatis doloribus anteferre. quare maligne magis et inimice quam merito Æschines obiecit Demostheni, quod in publica laetitia civitatis post necem Philippi: *Septimo die post filiae mortem, prisquam eluxisset, eique iusta solvisset, coronatus et albam vestem assumens boves immolavit*, quod ille reprehendens mire paratragoediat oratione contra Ctesiphontem. Quanto melius Æschinem carpit Demosthenes oratione de Corona: *Hanc elegisti gerendae reipublicae rationem (quando, ut id facares, tibi venit in mentem), in qua, si qua patriae felicitas contigisset, leporis vitam agebas, timens et tremens, et semper plagam expectans, in aliorum rebus adversis audax et confidens ab omnibus videbare.* Item: *Et ego libenter Æschinem rogaverim, cum haec fiebant, cum zelo, laetitia, laudibus plena civitas erat, utrum sacrificabat, et simul cum aliis laetabatur, an tristis et gemens, et publicis commodis infestus domi sedebat.* Subdit: *Quomodo dignus non est, qui non una morte pereat, si, ob quae caeteri laetabantur, ipse moerebat cum videret?* Abram.

esse oportebat? Quamquam de morte P. Clodii fuit quaestio, non satis prudenter illa quidem constituta. Quid enim attinebat nova lege quaeri de eo, qui hominem occidisset, quum esset legibus quaestio constituta? Quaesitum est tamen. Quod ergo, quum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis post tu es inventus qui diceres?

Quanquam de morte P. Clodii] Occurrit tacitae obiectioni, *Si omnes, ut dicis, Clodii morte laetati sunt, cur igitur Milo damnatus est?* Id acceptum refert non causae Milonis, quae fuit optima, sed institutioni novae quaestionis. de qua multis queritur pro Milone. Idem.

Legibus quaestio constituta] De quaestionibus vide Milonianam cap. 5. De quaesitoribus eandem cap. 8. Quibus autem legibus fuerit quaestio constituta, patet ex Pomponio D. de origine iuris: *Cornelius Sulla quaestiones publicas constituit, veluti de falso, de parricidio, de sicariis.* Sed vide D. ad legem Corneliam de sicariis et veneficis. Abram.

Quid ergo? cum res agebatur, nemo in me dixit: et tot annis post tu es inventus, qui diceres] L. veteres partim sentiunt cum impressis: partim pro *Et*, *At*: nonnulli *Vt*, ut Lang. Col. Id quod mihi aditum patefecit ad investigandum verum, atque etiam (fieri potest, ut fallar) inveniendum. sic enim corrigendum puto, *Quod ergo, cum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis.* c. Conflati autem mendi causam cum quaererem, hanc inveniebam, quod antiqui, ut *Ad* et *At*: *Sed* et *Set*: sic *Quod* et *Quot*: *Quid* et *Quit*: *Id* et *It* dicebant. De *Quot* apparet Romae in quodam monimento, in quo ita inscriptum est: *Monimentum, quot filius patri facere debuerat, ipse fecit.* De *Quit*, in quadam sanctione in aes incisa haec sunt verba, *Id ei ne fraudi esto: neve quit ob eam rem populo dare debento.* De *It* Cere in tabula marmorea vetustissima, in qua cum plurimis aliis haec quoque verba incisa sunt, IN. QVO. SCRIPTVM. ERAT. IT. QVOD. INFRA. SCRIPTVM. EST. Librarii igitur cum ad hunc locum venissent, hac in re haesitantes, videntes autem, *It* verbum non convenire, ut alius aliud senserat, ita partim in *Et*, partim in *At*, nonnulli in *Vt* mutaverunt. quod idem opinor evenisse in eum locum, qui est in III. lib. de Leg. quem infra scripsi: *Quod qui permovet, cum agi nihil potest, vim quaerit, cuius impunitatem amitti hac lege quitur illud.* quod sic emendandum arbitror, *Cuius impunitatem amittit hac lege. quit illud? intercessor rei malae.* c. Nam cum illud quasi caput legis interpretatus esset: *Ast, qui turbassit in agendo, fraus*

actoris esto: ad aliud huic proximum cum vellet aggredi, dixit: *Quid illud? intercessor rei malae.* c. FERRARIUS. Postremo diluit crimen necis Clodianae a tempore, quo obiectum est, quia, cum recens esset nex Clodii, id nemo dixit, quod nunc tot annis, id est octavo post Clodii necem anno, criminatur Antonius. ABRAM. Meus liber vetustus ceteris una voce auctior est: *Quid igitur? cum res caesi agebatur, nemo in me dixit,* etc. non absurde. Si plures libri consentirent, facile meum etiam assensum haec lectio impetraret. GRAEVIUS. Ien. *quid ergo?* perperam id quidem, sed praeeuntibus plerisque aliis libris, unde factum fuisse dixi, ut librarii, cum bis *quid ergo* scriptum esset, primum paullo ante, iterum hic, intermedia omiserint. HEUSING. Coniecturam Ferraril a P. Man. receptam nemo deseruit: nemo tamen monuit ab aliquo eam vetusto codice confirmari. Elegans profecto est, atque probabilis. Sed lectio prius editorum, quae a Barb. utroque servatur, a qua vix aliqui codices in una particula differre dicuntur, cum superioribus, sine traiectionis ullius ope, nisi fallor, apte connectitur. *Quamquam de morte P. Clodii fuit quaestio non satis prudenter illa quidem constituta (quid enim attinebat etc.) quaesitum est tamen. Quid ergo? cum res agebatur, nemo in me dixit: et tot annis post tu es inventus, qui diceres.* Naug. et Cam. *tum, cum res etc.* non male. Particula vero *et* ita ponitur, ut pro Deiot. 12. in optimo Erfurt. *quae semper in civili victoria sensimus, et te victore non vidimus.* Sed Vaticanus coniecturam istam Ferrarii mirifice comprobat, atque in una tantum voce non tam ab ea, quam a ceteris libris omnibus differt, nullo tamen sensus discrimine: habet enim, *quod igitur,* et, *id tot annis etc.* plane ut Muret. edidit. Me vero Heusingeri ratio neutra in lectione commovet. GARATON. *Quanquam de morte P. Clodii etc.*] Nescio qui factum sit, ut hoc in loco interpretando Heusingerus caecutiret, haec ipsa quippe verba cum superioribus, nulla omnino ante Clodii caedis mentione facta, non cohaerere ideoque totum sermonem ita ordinandum esse existimans, ut illam interrogationem: *ergo in tanta laet.* etc. exciperent verba: *quaesitum est tamen,* utpote verba Antonii id ipsum obvertentis. At optimo ordine hic omnia sequuntur. Sententiam proximam: *communem omnium laetitiam Clodii caede excitatam esse,* orator quodammodo restringit dicens: *tamen de caede quaestio constituta, quanquam non satis prudenter,* sc. a Pompeio. Nimirum is unus erat in hac causa iudicanda paullo difficilior, iam dudum a Milone, caedis auctore, insidias metuens, ideoque, vetere iudiciorum ratione mutata, extraordinariam quaestionem institui curabat. v. p. Mil. 5, 6. *Quod ergo, cum etc.* Tunc nemo mihi Milonis

X. Quod vero dicere ausus es, idque multis verbis, opera mea Pompeium a Caesaris amicitia esse disiunctum, ob eamque causam mea culpa civile bellum esse natum: in eo non tu quidem tota re, sed,

caussam defendenti id obvertit, nunc tu id obiicere audes. Gud. et Teeg. *quid igitur*. Ien. *quid ergo*. Teeg. *at tot annis*. Male.

Nemo in me dixit] Imo pro Milone: *Scitis, iudices, fuisse qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero maioris alicuius. Me videlicet latronem ac sicarium abiecti homines et perditi describebant. Iacent suis testibus ii, qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro auditum esset, rediturum fuisse. Respiravi, liberatus sum. Non vereor, ne, quod ne suspicari quidem potuerim, videar id cogitasse.* Sed vel temporis causa mentitur, vel id dicit, quia revera nemo id in ipsum dixerat nominatim, sed tantum personam obscure et suspiciose descripserat. Abram.

Quod vero] Quarta obiectio M. Antonii. Idem.

Esse disiunctum] Vatic. *diiunctum*, et infra, *a mea familiaritate diiunxit*, quomodo alibi scriptum in bonis codicibus viri docti offenderunt. Vtrumque Muretus adscivit. Sic VI. ad Div. 6. ubi hanc eamdem rem tractat, *diiunctione* habet optimus cod. Medic. cum aliis quibusdam, ab eaque lectione ortum est mendum utriusque Barb. *divinatione*. Locum vide infra apud Abram. et consule Pareum in Lex. Crit. p. 358. 359. Gesner. in Lex. Rust. I. F. Gronov. ad Gell. II. 7. XVI. 8. etc. Sed hanc scripturam, quam Tullio dignam Gebhardus existimavit, aliique docti, veteres Grammatici repudiabant, ut nobis iam non admodum tuta sit visa ad cap. 21. pro Sulla, ubi eam Gruterus admiserat. Mox Vat. *culpa mea*. Garaton.

In eo non tu quidem] Responsio. Fateor, inquit, me suasisse Pompeio, ut a Caesaris amicitia discederet. Sed tum suadebam, cum adhuc Caesar ita non stabilierat suam potentiam, ut ab eius offensione civilium armorum metus immineret. et eo consilio suadebam, ne Caesar amicitia Pompeii adeo potens evaderet, ut, cum vellet, bellum patriae posset inferre. At vero postquam ducta in matrimonium Iulia Caesaris gener factus est Pompeius, nec suadere ausus sum, nec persuadere Pompeio potuissem, ut, hanc societatem dissolveret. Duabus tamen occasionibus conatus sum suadere Pompeio, ne Caesarem ad nimiam potentiam promoveret, eumque contra rempublicam armaret. Quod cum ille nihilominus fecisset, tum advertens iam tantam esse Caesaris potentiam, ut facile bellum civile posset excitare, et opprimere rempublicam, semper pacis et com-

quod maximum est, temporibus errasti. Ego M. Bibulo, praestantissimo civi, consule, nihil praetermisi, quantum facere enitique potui, quin Pompeium a Caesaris coniunctione avocarem. In quo Caesar fuit felicior. Ipse enim Pompeium a mea familiari-

positionis auctor fui, ne, quod evenit, armis Caesaris everteretur respublica. Abram.

M. Bibulo Consule] Quindecim abhinc annis, quo tempore Marcus Bibulus cum Caesare gessit consulatum. Suetonius in Iulio cap. 20. agens de Caesaris consulatu violenter gesto, postquam is Bibulum collegam e foro armis expulisset: *Vnus ex eo tempore omnia in republica, et ad arbitrium administravit: ut nonnulli urbanorum, cum quid per iocum testandi gratia signarent, non Caesare et Bibulo, sed Iulio et Caesare actum scriberent,* bis eundem *praeponentes nomine atque cognomine: utque vulgo mox ferrentur hi versus:*

Non Bibulo quicquam nuper, sed Caesare factum est.
Nam Bibulo fieri Consule nil memini.

Nunc vicissim Orator, ut Caesarem vicissim ob rempublicam ita gestam non fuisse Consulem indicet, videtur solum Bibulum Consulem nominare. Idem.

Praestantissimo cive] *Civi*, Lang. et caeteri fere. *Cive* autem et *civi* recte dicitur: ut grammatici tradunt. Ferrar. Hic tamen *cive* servat Vaticanus. Gar.

Enitique] leg. *innitique*. Heusing. Solus Graev. *nitique*; unde autem, non admonet. Restituto igitur *enitique*, ut in aliis omnibus. Confer Cortium ad Sallust. Catil. xxxviii. 2. Iug. xxv. 2. Gar. Ern. et Schütz. *nitique*. Cod. Teeg. et Gud. *innitique*.

Pompeium a mea familiaritate] Signanter. ubique enim videri voluit Pompeium sibi amicum fuisse, licet suspicionibus quibusdam subortis desierit esse familiaris, quo tempore ipse Clodii factionibus eiectus est e civitate. Vide orationes pro domo et pro Sextio. In Pisonem: *Me Cn. Pompeius, multis obsistentibus eius erga me studio atque amori, semper dilexit, semper sua coniunctione dignissimum iudicavit*, etc. *Vestrae fraudes, vestrum scelus, vestrae criminationes insidiarum mearum, illius periculorum nefarie fictae*, etc. *effecerunt, ut ego excluderer.* id est eius sermone et aditu prohiberer. vide locum. Has autem criminationes Vatinio tribuit orat. pro Sextio. Sed cum Vatinius fuerit Caesaris amicus, ad eiusque nutum se omnino confinxerit, haec merito ipsi Caesari accepta referuntur, quod Caesar per Vatinium fictis delationibus Pompeium a Ciceronis familiaritate distraxerit. Abram.

tate disiunxit. Postea vero, quam se totum Pompeius Caesari tradiderat: quid ego illum ab eo distrahere conarer? Stulti erat sperare; suadere impudentis. Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Caesarem Pompeio suaserim. Ea velim reprehendas, si potes: unum, ne quinquennii imperium Caesari prorogaret; alterum, ne pateretur ferri, ut absentis eius ratio haberetur. Quorum si utrumvis persuasissem, in has miserias numquam incidissemus.

Postea vero] Libet rem Velleii Paterculi verbis exponere. *Inter eum*, Caesarem videlicet, *Cn. Pompeium et M. Crassum inita potentiae societas, quae urbi orbique terrarum, nec minus diverso quoque tempore ipsis exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompeius caussam habuerat, ut tandem acta in transmarinis provinciis, quibus multi obtrectabant, per Caesarem confirmarentur Consulem. Caesar autem, quod animadvertebat se cedendo Pompeii gloriae aucturum suam: et, invidia communis potentiae in illum relegata, confirmaturum vires suas. Crassus, ut, quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompeii, viribus teneret Caesaris.* Boni civis igitur officio functus est Tullius, qui societatem hanc tum primum coalescentem distrahere voluit, et Pompeium a Caesaris amicitia disiungere. Pergit: *Affinitas etiam inter Caesarem Pompeiumque contracta nuptiis, quippe filiam C. Caesaris Cn. Magnus duxit uxorem.* Quo tempore omnem dissolvendae huius amicitiae cogitationem abiecit Orator, quia stulti erat sperare, suadere impudentis. Idem.

Vnum, ne quinquennii imperium Caesari prorogaretur; alterum, ne pateretur fieri] Antiquus liber, pro *prorogaretur*, *prorogaret*, pro *fieri*, *ferri* habet. ac de hoc posteriore res perspicua. de illo altero dubitari posset, ne forte id ab aliquo ita acciperetur, quasi solus Pompeius prorogandi imperii ius haberet, quod erat vel Senatus, vel populi, vel utriusque. sed nos ita intelligamus: prorogasse Pompeium, quia eius arbitrio atque impulsu confecta res est in absentis Caesaris gratiam. Faernvs. *Ne pateretur fieri, ut absentis etc.*] Victorius lib. xxii. Var. lect. putat legendum *ferri*; non male. Grvtervs. *Ferri* haustum est ex Vaticano, itaque merito receperunt Faërnus, Muretus, Lambinus, Manutius, quos non consuluisse Gruterum mirum est. Graevivs. Ien. *prorogarem*, solus Vatic. *prorogaret*, et postea *ferri* pro *fieri*, quod solus Grut. non recepit. Hevsing. *Prorogaret.* Ita Graeviani codices, et nostri pro vulgato *pro-*

rogaretur. Lallem. Ii tantum, qui Vat. codicem sequebantur, utramque lectionem adoptaverant: quamvis *ferri* de coniectura egregie proposuerit Victor. l. c. cap. 7. quod etiam Olivet. adscivit, qui retinuit, *prorogaretur:* quod nunc video contra Vaticani fidem a Mureto quoque retentum. Sed ista imperii Caesaris prorogatio Pompeio tribuitur etiam VIII. ad Att. 3. nec certe Trebonio legem ferenti, aut populo iubenti magis, quam Pompeio rerum potienti, Caesaremque immodice ornanti est tribuenda. Verb. ne *ferri* quidem adscivit: maluit a Vaticano plane discedere. Gar. *prorogaret; alterum, ne pat. ferri*] Vulg. lect. *prorogaretur,* et *fieri.* Ien. *prorogarem.* Gud. o. ψ φ. *prorogaret,* et *fieri.* Teeg. *propugnaret, fieri.* Veram lectionem, quam Vat. exhibet et omnes priores editt. ac, nominatim etiam Graev. et Ern. amplexi sunt, in textum recepimus.

Vnum, ne quinquennii] *Caesari decretae in quinquennium Galliae,* inquit Velleius, de quo pluribus dictum erat de Provinciis Consularibus. Quarto post anno Pompeius et Crassus secundum consulatum inierunt, ut subdit aliquanto post idem Velleius: *Caesari lege, quam Pompeius ad populum tulit, propagata in idem spatium provincia.* Atque hoc est unum tempus, quo Cicero contra Caesarem aliquid Pompeio suasit, eum adhortans, ne legem hanc a Trebonio Tribuno plebis ferri pateretur, Caesare iam septimum annum Gallias obtinente. *Consternatae P. Clodii caede republica* (verba sunt Tranquilli in Iulio c. 26.), *cum Senatus unum Consulem, nominatimque Cn. Pompeium fieri censuisset, egit cum Tribunis plebis collegam se Pompeio destinantibus, id potius ad populum ferrent, ut absenti sibi et quandocunque imperii tempus expleri coepisset, petitio secundi consulatus daretur, ne ea causa maturius, et adhuc imperfecto bello decederet.* Id non Caesare, sed ipso Pompeio auctore narrat Dio lib. 40. ne Caesar, si collega non fuisset Pompeii, omnino neglectus videri, iustamque irae causam habere posset. Sed quocunque auctore factum fuerit, hinc (ut subdit Tranquillus) exitia rerum extiterunt. *Quod ut adeptus est, altiora iam meditans, et spei plenus, nullum largitionis aut officiorum in quemquam genus publice, privatimque omisit,* ut prudenter eam Cicero legem voluerit impedire. His enim duabus legibus de prorogatione imperii, et petitione consulatus omnes opes et suas et populi Romani Pompeius ad Caesarem deferebat. Sequenti anno *M. Marcellus Consul edicto praefatus de summa se republica acturum, retulit ad Senatum, ut ei succederetur ante tempus.* Quo tempore id dissuasisse videtur Cicero, ne praetextus Caesari daretur belli contra patriam inferendi: biennio post reversus e Cilicia, quam uno anno Proconsul obtinuerat, cum iam iam civile bellum, quod ali-

quot annis tumuerat, erumperet, pacis et compositionis auctor esse non destitit, ut omnes historici prodiderunt. Ceterum Cicero in patriam revocatus, et Pompeium et Caesarem complexus est, Attici sui consilio, cui iam ante monenti, ut ipso initio, cum Caesar, Crassus et Pompeius societatem inierant, eumque Caesar *in tribus sibi coniunctissimis Consularibus esse voluit*, ut dicitur orat. de Provinciis Consularibus, obtemperare noluerat, quod hanc coniunctionem videret esse contra rempublicam. lib. 7. ad Attic. ep. 1: *Videsne, ut te auctore sim utrumque complexus: ac vellem a principio te audisse amicissime monentem:*

> Ἀλλ' ἐμὸν οὔ ποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες.
>
> Ὡς οὐδὲν γλυκίον ἧς πατρίδος.

Sed aliquando tamen persuasisti, ut alterum complecterer, quia de me erat optime meritus: alterum, quia tantum valebat. Feci igitur. Itaque effeci omni obsequio, ut neutri illorum quisquam esset me charior. Haec enim cogitabamus, nec mihi coniuncto cum Pompeio fore necesse peccare in rempublicam aliquando: nec cum Pompeio sentienti pugnandum esse cum Caesare: tanta erat illorum coniunctio. Nunc impendet, ut et tu ostendis, et ego video, summa inter eos contentio: me autem uterque numerat suum: nisi forte simulat alter, etc. Quare ex eo tempore concordiae causa, quibus potuit rebus, quae modo non erumperent in apertam perniciem reipublicae, Caesarem ornavit. Pro Cornelio Balbo: *C. Caesarem Senatus et genere supplicationum amplissimo ornavit, et numero dierum quindecim. Idem in angustiis aerarii victorem exercitum stipendio affecit, Imperatori decem legatos decrevit, lege Sempronia succedendum non censuit. Harum ego sententiarum et princeps et auctor fui: neque me dissensioni meae pristinae putavi potius assentiri, quam praesentibus reipublicae temporibus et concordiae convenire.* Pantagathus pro *lege Sempronia* legebat *lege Trebonia*, sed ἀνιστορικῶς. Bis enim actum est de Caesaris provinciis, et prius quidem in Senatu lege Sempronia, Philippo et Marcellino Consulibus, et tunc Cicero auctor fuit, ut successor Caesari non mitteretur: qua de re extat oratio de Provinciis Consularibus. Rursus actum est de provinciis Caesaris, et lex a Trebonio lata de prorogatione quinquennii, sed actum in concione, non in Senatu, neque eodem anno, sed sequenti, Pompeio et Crasso Consulibus, neque legis huius auctor fuit Cicero, sed potius dissuasor: eamque legem non magis probavit, quam exilium sibi olim irrogatum. lib. 7. ad Attic. epist. 3: *De qua potentia dimicant homines hoc tempore periculo civitatis: nam si respublica defenditur, cur ea Consule isto ipso defensa non est?* puto legendum, *Cur ea Consule isto ab ipso defensa non est?* Id est, si nunc respublica a Pompeio defenditur, cur

Atque idem ego, quum iam opes omnes, et suas, et populi Romani, Pompeius ad Caesarem detulisset; seroque ea sentire coepisset, quae ego multo ante provideram, inferrique patriae bellum nefarium viderem: pacis, concordiae, compositionis auctor esse

ea Consule Caesare a Pompeio defensa non est? pergit: *Cur ego, in cuius causa reipublicae consistebat, defensus postero anno non sum? cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum est? cur tantopere pugnatum est, ut de eius absentis ratione habenda decem Tribuni plebis ferrent? His ille rebus ita convaluit, ut nunc in uno cive respublica ad resistendum imbecilla sit, quae mallem tantas ei vires non dedisset, quam tunc tam valenti resisteret.* Prudenter igitur faciendum putavit, quod monet Æschylus Aristophanem in Ranis:

Catulum leonis civitas ne nutriat.

Ita est, leonem nulla civitas alat.

Quod si hunc aluerit, obsecundet moribus. Abram.

Atque idem ego, cum iam omnes opes suas et reip. Pompeius ad Caesarem detulisset, seroque eadem sentire coepisset, quae ego ante multo provideram] Sic l. v. *Atque idem cum iam omnes opes et suas, et populi Romani Pompeius ad Caesarem detulisset, seroque ea sentire coepisset, quae multo ante praeviderам.* Ferrar. *Provideram*] *Praevideram*, liber Vaticanus. F. Ursinus. Cod. Vatic. *Atque idem ego*: deesse *ego* non debere visum est multis, etsi in scriptis plerisque, et Ien. deest. Idem Vatic. *praevideram*, non *provideram*, ut Graev. legit. Accedit, ni fallor, et Ienensis. Heusing. *Atque idem ego*] Vocem ultimam cum Graevio restituimus, quam servant Regii codices. Lallem. *Ego, cum iam opes omnis*, ex Vatic. et *quae ego multo ante* ex Ferr. et Barb. MSIs, item Rom. et Ven. In Graevianam irrepsit *ante multo* ex Grut. repet. Lamb. Cam. Naug. et Aldo sen. Vox *ego* priore loco in Barb. ambobus omittitur, secundo adest. Placet autem mihi *reip.* quamvis in Barberinis, aliisque sit P. R. et in Vatic. diserte *populi Romani*: qui porro codex habet *multo ante provideram*, non *praevideram*, ut testabatur Ursinus. Gar. *atque idem ego*] *ego* deest in codd. Gruter. in o. Ien. et Gud. Merito receptum est e Vat. ab editoribus, quod hic opponit ea, quae ipse sensit, illis, quae erant Pompeii. Graev. *provideram*, quod etiam est in φ. aliisque in libris scriptis. Vat. recte, *praevideram*, quam lectionem Ern. recepit et Heusing. quod *providere* est vulgo, praevidendo cavere, mederi; *praevidere* simpliciter praesentire denotat.

Pacis, concordiae] Vide orationem pro Marcello, *de pace*

non destiti; meaque illa vox est nota multis: *Utinam,*

agendum. Epistola 10 ad Tironem: *Incidi in ipsam flammam civilis discordiae, vel potius belli: cui cum cuperem mederi et, ut arbitror, possem: cupiditates certorum hominum (nam ex utraque parte sunt qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt.* Et epistola sequenti declarat conditiones pacis a Caesare propositas: *Feruntur omnino conditiones ab illo, ut Pompeius eat in Hispaniam: delectus qui sunt habiti et praesidia nostra dimittantur: se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum: ad Consulatus petitionem se venturum: neque iam velle absentis rationem haberi sui: sed praesentem trinundinum petiturum.* Hae quoque ut acciperentur conditiones, et Pompeius iret in Hispaniam, auctor fuerat. Epistola ad Caecinam, quae est [illegible]ta libri sexti ad famil. *Eundum in Hispaniam censui. quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset. Rationem haberi absentis non tam pugnavi ut non liceret, quam ut, quando ipso Consule pugnante populus iusserat, haberetur.* Sic emendo *non tam pugnavi, ut non liceret,* addita negatione, cum vulgo legatur, *ut liceret,* et sic interpretor: Non tam pugnavi, ut id privilegium Caesari non concederetur ab initio, quam ut conservaretur, postquam semel illi concessum fuerit, ne, si eriperetur illi privilegium a populo concessum, offenderetur Caesar, et inde praetextus belli civilis nasceretur. Et sane hoc privilegium contra suam auctoritatem consessum Caesari fuisse, praeter superius dicta etiam declarat epist. 3, lib. 8. ad Attic. *Nihil actum est a Pompeio nostro sapienter: nihil fortiter: addo etiam nihil nisi contra consilium, auctoritatemque meam. Omitto illa vetera, quod istum in rempublicam ille aluit, auxit, armavit,* etc. *Ille provinciae propagator: ille absentis in omnibus adiutor: idem etiam tertio Consulatu, postquam esse defensor reipublicae coepit, contendit, ut decem tribuni plebis ferrent, ut absentis ratio haberetur. quod idem ipse sanxit lege quadam sua. Marcoque Marcello Consuli finienti provincias Gallias Kal. Mart. restitit.* Pergit epist. ad Caecinam: *Causa belli orta est: quid ego praetermisi aut monitorum, aut querelarum? cum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem.* Abram.

Meaque illa vox est nota multis] Eadem epistola ad Caecinam: *Plurimi sunt testes, me et initio, ne coniungeret se cum Caesare, monuisse Pompeium, et postea, ne seiungeret. Coniunctione frangi Senatus opes, disiunctione civile bellum excitari videbam: atque utebar familiarissime Caesare, Pompeium faciebam plurimi: sed erat meum consilium cum fidele Pompeio, tum salutare utrique. Quae*

Cn. Pompei, cum C. Caesare societatem aut numquam coisses, aut numquam diremisses! fuit alterum gravitatis, alterum prudentiae tuae. Haec mea, M. Antoni, semper et de Pompeio, et de re publica consilia fuerunt: quae si valuissent, res publica staret, tu tuis flagitiis, egestate, infamia concidisses.

XI. Sed haec vetera: illud vero recens,

praeterea providerim, praetereo. Quid autem providerit, praeterit veritus Caesaris offensionem, qui tum rempublicam obtinebat, sed aperte lib. 7. ad Atticum epist. 6: *Pace opus est. Ex victoria cum multa mala, tum certe tyrannis existet.* IDEM.

Cn. Pompei] Graev. praenomen *Cn.* Vaticani auctoritate omisit: mox *Caesare* pro *C. Caesare.* Vtrumque praenomen est tamen in Ien. HEVSING. Praenomen Caesaris deest in Barb. primo: sed utrumque servat secundus, cum omnibus, uno Vat. excepto, imo vero etiam cum Prisciano, quem sequor, p. 798. exhibentem: *Vtinam, Cnaee Pompei, cum C. Caesare societatem etc.* In meis Lambinianis omissio praenominum pro varietate tantum adponitur. Apud M. Senecam Suas. VII. Cestius: *Si te audissent Caesar et Pompeius, neque inissent turpem societatem, neque diremissent.* Satis absurde. GAR. *utinam, Pompei, cum Caesare*] Ien. et reliqui codd., quibus usus sum, praenomina *Cnei* et *C. Caes.* exhibent, unus, haud dubie Vat. cod., omittit ea, quem sequutus est Graev. et Heusing., non item Ernest. et Schütz.

Sed haec vetera] Ordo rerum gestarum exigebat, ut prius de castris Pompeii, quam de nece Caesaris loqueretur. Sed fortasse respondendo secutus est eum ordinem, quem Antonius obiiciendo servarat: et ut ostenderet, Ciceronem natura turbulentum esse, et seditionibus delectari, crimina per quinque personas digesserat: ipsum Antonium, cuius ille amicitiam violarat: Lentulum, quem praetextu coniurationis Consul in carcere iugularat: P. Clodium, quem suis consiliis manu Milonis occiderat: Caesarem, quem et a Pompeii coniunctione primo distraxerat, unde civile bellum exarsit; deinde suo consilio Consul interfecerat, Brutum et Cassium, suos necessarios, ad eius necem impellens: ipsum denique Pompeium, cuius animum bello civili partim moestitia, partim iocis alienarat. Ex quibus omnibus colligebat, Ciceronem, qui neminem amaret, a nemine etiam amari, adeo ut omnibus odio esset, nec a quoquam amicorum heres scriberetur. Haec igitur fuit causa, cur, ordine et tempore intermisso, omnia, quae ad personam Caesaris pertinebant, oratione coniunxerit. ABRAM.

Illud vero recens] Obiectio Antonii. IDEM.

Caesarem meo consilio interfectum. Iam vereor, Patres conscripti, ne, quod turpissimum est, praevaricatorem mihi apposuisse videar, qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis. Quis enim meum in istius gloriosissimi facti conscientia nomen

Caes. meo cons. interf.] Eam esse falsam criminationem, patet e lib. 10. ep. Cic. 28. et 12, 2, 3, 4.

Iam vereor] Obiectionis irrisio, quasi metuat, ne sibi praevaricatorem apposuisse videatur, id est, subornasse M. Antonium, qui accusationis praetextu ipsum dilaudet et colludat. Idem.

Praevaricatorem] Apuleius apol. 2: *Quae omnia tam falsa, tam nihili, tam inania ostendam, adeoque facile et sine ulla controversia refutabo, ut, mediusfidius, verear, Maxime, quique in consilio estis, ne demissum et subornatum a me accusatorem putetis, ut invidiam meam reperta occasione palam restinguerem.* Caeterum de hoc crimine Antonii ita lib. 12. ad familiares epistola 2. scripta ad Cassium: *Homo amens et perditus, multoque nequior, quam ille ipse, quem tu nequissimum occisum esse dixisti, caedis initium quaerit, nullamque aliam ob causam me auctorem fuisse Caesaris interficiendi criminatur, nisi ut in me veterani incitentur: quod ego periculum non extimesco, modo facti vestri gloriam cum mea laude communicet.* Et epistola sequenti: *Auget tuus amicus furorem in dies. primum in statua, quam posuit in Rostris, inscripsit,* PARENTI. OPTIME. MERITO. *ut non modo sicarii, sed iam etiam parricidae iudicemini. Quid dico iudicemini? iudicemur potius. Vestri enim facti ille furiosus me principem dicit fuisse.* Idem. *Praevaricatorem*] Proprie qui obliquus incedit, rectam lineam praetergreditur, deinde in rebus forensibus Dig. l. 48. tit. 16. 1. is dicitur, qui, dum fingit reum accusare, id agit, ut reus absolvatur, proditque causam suam proprias probationes dissimulando, et falsas rei accusationes admittendo.

Qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam honoraret alienis] *Oneraret*, o. l. v. ut Livius lib. IV, *Laudibusque haud immeritis onerarent*, dixit: ut *praeceptis*, Plautus: *commoditatibus*, Terentius: *promissis*, Sallustius. Ferrarivs. *Sed etiam oneraret alienis*] Verbum *oneraret* abest ab optimo libro Vaticano. F. Vrsinvs. Quamquam et abesse potest hoc verbum, et omissum a Mureto fuit, optime tamen a ceteris retinetur. Potuit quidem *oneraret* permutatio esse τοῦ *ornaret*, ut III. in Verr. 60. sed elegans est paronomasia, *ornaret*, *oneraret*, ut, *non honori*, *sed oneri*; de ... vide celeb. Kuhnken. ad Rutil. Lup. l. 3. In Lamb. marg. *q. v. c. non habent oneraret*: nescio, an suum aliquem adiungat Vaticano. Garaton.

Quis enim meum in istius so-

audivit? Cuius autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? occultatum dico? cuius non

cietate gloriosissimi facti nomen audivit?] Scripti libri partim sic, *Quis enim meum in istius facti conscientia gloriosissimi.* partim hoc modo, *Quis enim meum in istius facti gloriosissimi conscientia.* In eo congruunt universi, quod *conscientia*, non *societate*, probant. quod minime displicet: siquidem non obiiciebat Antonius Ciceroni, quod socius, sed quod conscius fuisset. Hoc ostendit oratio M. Antonii, ex qua locum illum, quem infra scripsi, Cicero transtulit: *M. Brutus, quem ego honoris causa nomino, cruentum pugionem tenens Ciceronem nominatim exclamavit. ex quo intelligi debet, eum conscium fuisse.* Hoc verbum pro Coel. in eadem sententia ponitur, *Qui non modo a facti, sed etiam a conscientiae suspicione abest.* et in VII. accusat. *Non modo eos persequi, ad quos maxima culpa corrumpendi iudicii, sed etiam illos, ad quos conscientiae contagio pertinebit.* FERRARIVS. *Quis enim meum in istius conscientia gloriosissimi facti nomen audivit*] Ex antiquo libro ita corrige, *quis enim meum in ista societate gloriosissimi facti nomen audivit.* FAERNVS. *In istius gloriosissimi facti conscientia*] Editi prius *societate*, proculdubio ignoratione vocis prioris, quam neque cepit Ferrarius, a quo tamen scimus, eam haerere in omnibus libris scriptis: neque aliter Pall. Gembl. Maur. et P. nec non S. Victor. GRVT. Sed nihil planius est scriptura Vaticani codicis, quam expresserunt Faërnus, Muretus, Manutius, Lambinus, a qua non erat recedendum cum Grutero. GRAEV. *Conscientia*] Ita Ien. et meliores: alii *societate*, quod vero merito exclusum est, quod Cicero non *socius* eius facti, sed *conscius* fuisse arguebatur. *In conscientia* est *inter conscios.* In Ien. ordo verborum hic est: *quis enim meum in istius facti conscientia gloriosissimi nomen audivit?* Mirum, qui ex h. l. in Fabriano thesauro, v. *Gloriosus*, exculpi potuerit, *gloriosissimum factum salutis capere:* quod si hic legeretur, furcillis expellendum esset. HEVSING. Firmant *conscientia* Barb. ambo: sed Rom. et Ven. cum Vaticano, quem Barbadorius etiam sequebatur, plane consentiunt. Ald. Naug. Cam. et repet. Lamb. *in istius societate.* P. Man. MDXLI. et Car. Steph. Ferrario de more adhaeserunt. Nihil admodum interesse arbitror, utrum malis. Statim, *ut fuisse in ea societate viderentur, cum conscii non fuissent*, ubi multi libri *socii* ex solita permutatione. Vera est tamen Ferrarii distinctio, etiamsi non semper observata fuerit, eaque vocem *conscii* infra eiicientibus opitulari fortasse potest. Verumtamen inferius c. 13. *ego, qui sum illorum . . . ut a te arguor, socius:* ibid. *in huius*

statim divulgatum? Citius dixerim, iactasse se aliquos, ut fuisse in ista societate viderentur, qui (socii) non fuissent, quam ut quisquam celari vellet, qui fuisset.

me tu consilii societatem, tamquam in equum Troianum, cum principibus includis? non recuso. GARATON.

Iactasse se aliquos] Vt C. Octavium, et P. Lentulum Spintherem. Eos tamen non appellat, quia nec necesse fuit, nec voluit Lentulum amicissimi quondam sui filium offendere. Dio lib. 43, et Plutarchus in Caesare: posterioris verba sunt, *Nonnulli vero et cum ipsis* Caesaris percussoribus *simul adscenderunt* in Capitolium, *seque cum illis miscuerunt, tanquam facti participes, eamque sibi gloriam arrogarunt. E quibus fuerunt C. Octavius, et Lentulus Spinther. atque hi quidem arrogantiae suae postea poenas dederunt, ab Antonio et Caesare iuniore de medio sublati. Neque opinionis illius, ob quam necati sunt, fructum perceperunt, nemine fidem eorum dictis habente. Neque enim, qui eos affecerunt suppliciis, facti, sed voluntatis poenas ab iis exegerunt.* Ipse certe Lentulus Spinther epistola quadam ad Ciceronem ait se consilii participem fuisse. Ea est epistola 14, lib. 12. ad familiares: *Ego me de republica puto esse meritum, ut non provinciae istius beneficium expectare debeam, sed tantum, quantum Cassius et Bruti, non solum illius facti periculique societate, sed etiam huius temporis studio et virtute.* Abr. Colon. *iactasse aliquos.* bene. GRAEV.

Vt fuisse in ista societate viderentur socii: cum socii non fuissent] Sic libri veteres, *Vt fuisse in ista societate viderentur: socii non fuissent.* Ego sic, *ut fuisse in ista societate viderentur, qui non fuissent.* FERRARIVS. *Vt fuisse in ista societate viderentur, qui socii non fuissent, quam ut quisquam celari vellet*] Multum antiquus liber variat ab impressis. sic enim habet: *ut fuisse in ea societate viderentur; cum conscii non fuissent, quam, ut quisquam celari vellet qui fuisset.* FAERN. *Viderentur socii, cum socii non fuissent*] Haec est scriptura priscarum editionum; neque abeunt mss. nostri, nisi quod Pal. pr. *viderentur socii quod fuissent.* recentiores admiserunt coniecturam Ferrarii, *viderentur, qui socii non fuissent.* non recte: si enim attendimus; videbimus, voces aliquot esse a librariorum sinistra liberalitate. itaque legendum erat: *viderentur, quam ut quisquam* etc. etsi non negem, posse etiam abiici, *quam ut quisquam* etc. GRVTERVS. Non argutaretur Gruterus, si vidisset Vaticani libri lectionem, quam cum Faërno, Mureto, Manutio complectimur, tanquam certissimam et verissimam. GRAEVIVS. *Cum conscii non fuissent*] Ita Graev. cum Vatic. pro vulg. *qui socii non fuissent*:

Quam verisimile porro est, in tot hominibus, partim obscuris, partim adolescentibus neminem

at Ien. *socii qui non fuissent.* Haec varietas nata est e prima scriptura, *conscii qui non f.* vel *qui conscii non f.* Nam ex *conscii* factum est *cum socii*, hinc *cum conscii.* Heusing. Recte omnino coniecerat Ferrarius. A glossa videtur esse tam *socii*, quod bis in utroque Barb. et ante P. Manut. editis legitur, quam *conscii.* P. Man. hanc coniecturam interpolavit edendo, *qui socii non fuissent, quam ut quisquam celare vellet:* cumque secuti sunt non modo Car. Stephan. repet. Lamb. et Grut. verum etiam, Vaticano contempto, Verb. Oliv. et Lallem. Permutantur sane *quum*, et *qui:* sed unus codex habet *qui*, aut forte alter, si Ienensis a Graeviano diversus est. Hic tamen codex Ferrarii coniecturam mirifice confirmat, cum *socii* ponat ante *qui non fuissent:* nam, glossa remota, quae semel tantum posita non commodo hic loco fuit, cui meliorem alii dare sibi visi sunt, pura ipsa remanet Ferrarii lectio. Quam denique lectionem Vaticanus ipse commendat, dum addit, *qui fuisset:* quid enim aptius respondeat τῷ *qui non fuissent?* Si tamen varietas placet, et fere omnium librorum consensus permovet, legas licet, *cum non fuissent.* Cetera omnia ex Vatic. sunt procul dubio cum Graev. et Heusing. edenda: tantum vox *conscii* merito suspecta est, et utrum *cum* legas, an *qui*, ambigi potest. Garaton. Teeg. *consc. glorios. facti.* Ien. *quis enim meum in istius facti conscientia gloriosissimi nomen audivit.* Gud. *gloriosissimum facti conscientia.* Habent *conscientia* etiam o. φ. praeter ψ. qui refert vulgatam *societate*, merito damnatam ab editoribus, qui Vat. lectionem propterea praetulerunt illi, quod Cicero non socius coniurationis, sed conscius esse arguebatur ab Antonio. Quapropter etiam paullo post Vat. lectio, Graevio et prioribus editoribus praeeuntibus, *quum conscii non fuissent*, recipienda est, quum Ern. vulgatam, *qui socii non fuissent*, quam etiam omnes libri nostri tuentur, retinuerit. Ien. *socii qui n. f.* Teeg. *socii quum socii non f.* Gud. φ. o. ψ. eandem lect. exhibent.

Quam verisimile] Sensum et ironiam loci Ern. non cepit, si putat, pro *quam* ponendum esse *an*, et paullo post *qui*, pro *si auct.* aut expungendum esse: *illis auctoribus.* Nam primum manet ironia in interrogatione, retenta voce *quam*, verba autem, quae sequuntur, *etenim si* etc. sunt expeditissima, dummodo verba *illis auctoribus* uncis inclusa cogites, et sic ea ceperis: absurde agerem, si opus esse putarem mea auctoritate ad patriam liberandam, quum non desint auctores, quoniam illi adsunt, tum maxime si Brutos impellere

occultantibus, meum nomen latere potuisse? Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis auctoribus, Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videvelim, qui de paternis maiorum imaginibus L. Iunii Bruti, qui Tarquinium olim eiecit; de maternis Servilii Ahalae (vid. in Cat. I. 1.), qui Sp. Melium, plebis auram, annona levanda, nimis captantem, occiderat, exemplum intuerentur.

Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis auctoribus] Si M. Brutus, Decimus Brutus, C. Cassius, qui conspirationis in Caesarem factae principes et auctores fuerunt, eguissent aliis auctoribus et impulsoribus ad illud facinus designandum, non opus erat, ut eos ipse hortarer, iisque tanti facinoris auctor essem, cum haberent domesticos hortatores et maiorum suorum exempla, et uterque Brutus inter paternas maiorum suorum imagines in atrio domus suae collocatas viderent imaginem Luc. Bruti, qui Tarquinios eiecit, et patriam ab eorum dominatione liberavit, M. Brutus etiam inter maternas maiorum imagines videret imaginem Ahalae Servilii, qui sua manu occidit Spurium Melium, qui annona levanda, iacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem venerat regni appetendi. Cassius haberet exempla maiorum suorum, e quibus ille fuit Cassius, qui filium suum legibus agrariis populares auras aucupantem, cum in suspicionem venisset affectati regni, dicitur interemisse, et bona eius Cereri consecrasse. ABRAM. *illis auctoribus*] Ea verba hic absurde posita esse Ernestius immerito contendit, coniiciens legendum esse pro *si auctores*, *qui auctores — illis auctoribus?* Schützius prorsus e textu eiecit ista verba. At non opus est multis verbis docere, eadem bonum et commodum sensum habere; ad quod accedit, quod nuspiam ullum varietatis lectionis vestigium deprehenditur.

L. Brut. imaginem] Plutarchus in Bruto primis verbis, *Vnus e M. Bruti progenitoribus erat Iunius Brutus, cuius statuam aeream veteres Romani mediam inter reges stricto gladio posuerunt, ut qui fortissime Tarquinios expulisset.* Id tamen alii negarunt, ut Dio libro 43. Dionysius Halicarnasseus lib. 5. his verbis: *Et Brutus quidem tali fato concessit sobolem neque virilis, neque sequioris sexus relinquens, ut, qui sagacius res Romanas investigarunt, scripto tradiderunt.* Cuius rei *signum, cui facile contradici non possit*, adferre se putat, *quia ille fuit ex patriciis, at qui ex ea gente se ortos esse praedicabant, Iunii et Bruti erunt omnes plebeii, eosque ges-*

serunt honores, quos lex permittebat plebeiis, ut aedilitatem, et tribunatum plebis. Quod, ut notat Plutarchus, illi dixerunt, qui Bruto propter necem Caesaris infensi in Augusti gratiam Bruti genus obscurare cupiebant, quasi non a Lucio Bruto, sed a quodam eius oeconomo familia Brutorum fuisset propagata. Neque sane illud Halicarnassei argumentum tam firmum est, ut ei refragari nemo queat: fieri enim potuit, ut ea gens a patriciis ad plebem transiverit, ut de gente Octavia tradit Suetonius in Augusto cap. 2: *A Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta in Senatum, mox a Servio Tullio in patricios transducta, procedente tempore ad plebem se contulit: ac rursus magno intervallo per D. Iulium in patriciatum rediit. Posidonius vero Philosophus,* inquit Plutarchus, *Bruti filios, qui ad pubertatem pervenerant, fuisse ait, ut ab historicis traditur,* iussu patris, *interemptos, tertium vero relictum fuisse infantem, a quo genus fuerit propagatum.* Addebat et alterum signum: *Quod eorum, qui ipsius tempore ex ea familia floruerunt, nonnulli quoad figuram et oris lineamenta ad similitudinem statuae Bruti accederent.* His duobus Posidonii argumentis tertium addi posset petitum ex gentilitiis Brutorum imaginibus, inter quas, ut vel ex hoc loco palam est, Lucii Bruti imago fuit, nemine refragante, antequam Brutus Caesari necem intulisset. Quod opponi possit malevolorum et Augusti gratiam aucupantium sermonibus. Idem.

Imaginem] Hunc locum non de statua L. Bruti inter reges in Capitolio posita, sed de eius effigie cerea in privatis Brutorum atriis servata intelligendum putavi. Statuas autem non in atrio, sed foris aut in ipso vestibulo collocabant. Ea porro fuisse videtur, si proprie loqui velimus, statuas inter et imagines distinctio, quod statuae e ligno, marmore, aere, auro, argento, aliave solida materia fierent: imagines essent aut expressi e cera vultus, aut etiam picturae in tabulis delineatae. Statuae non omnibus passim, sed vel ipsi patri familias viventi, vel iis, qui sua virtute praecipuam familiae claritudinem attulissent: imagines non solum defunctis, sed quibusvis maioribus, qui curulem gessissent magistratum. Vbi quis enim diem obierat, eius effigies exprimebatur e cera, quam post laudationem funebrem referebant in atrium, et inter gentilitias imagines collocabant. Vide dicta pro Milone. Quamvis Maro 7 Æneidos ad hanc ipsam consuetudinem alludens imaginem cum statua confuderit:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro Italusque Paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Ianique bifrontis imago
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges,

Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.

Vestibulo, inquit, adstabant, id est, stabant ante vestibulum. Crediderim tamen, has maiorum statuas non ad priorem ianuam in ipso vico fuisse positas, sed intra vestibulum ad ianuam interiorem, per quam a vestibulo ad atrium transitus patebat. Iuvenalis Sat. 7:

— Huius enim stat currus aheneus, alti
Quadriiuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus, et statua meditatur praelia lusca.

Nec Plinius alibi quam in vestibulo et ipsis foribus atrii videtur eas magnorum virorum statuas collocare. Sic enim lib. 35, cap. 2. postquam imaginum atrii fecit mentionem: *Aliae foris, et circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quae nec emptori refringere liceret: triumphabantque etiam dominis mutatis ipsae domus.* Quibus vides iterum imaginem cum statua confundi, ut, dum rem statuamus esse diversam, operae pretium non sit haec nomina superstitiose distinguere. Huiusmodi statuas Papinius 2 Thebaidos versu 215. Romanorum morem adumbrans, sed adumbrans, non exprimens, in ipso atrio ponit:

— laeto regalia coetu
Atria complentur: species est cernere avorum
Cominus, et vivis certantia vultibus aera.

Tria igitur, ut dixi, fuerunt etiam in domibus privatis gentilitiarum imaginum genera. Aliae fuerunt e ligno, lapide, metallo, quae in ipso vestibulo ponebantur: alia duo genera atrium occupabant: eo discrimine, quod imagines cereae suis includerentur armariis, tabulae pictae quotidie paterent. Armaria vero diebus festis tantum solebant aperiri, vel in publica totius civitatis, vel in privata familiae laetitia. De privata laetitia Noster pro Sulla: *Domus erit, credo, exornata, aperientur maiorum imagines.* De publica Flavius Vopiscus in Floriano: *Tantum illud dico, Senatores omnes ea laetitia esse elatos, ut domibus suis omnes albas hostias caederent, imagines frequentes aperirent, albati sederent, convivia sumptuosiora praeberent.* Vtramque Triarius causam complexus est apud Senecam controversia, quae ab aliis 21, ab aliis 22 numeratur: *Age hoc non est praemium unum omnium spectare cruces? etc. Indicit festum diem, aperiri iubet maiorum imagines, cum maxime tegendae sunt.* ob nuptias filiae *aperiri iubet, cum maxime tegendae sunt* ob luctum publicum, et supplicia de tam multis servis exacta, quamvis aliter interpretari possis. Praeter has imagines cereas armariis inclusas aliae, ut diebus singulis spectari possent, depictae erant in extima tabularum superficie, quibus illae cereae tegebantur. Plinius lib. 35, cap. 2: *Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent*

imagines, quae comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto totus aderat familiae eius qui unquam fuerat populus, stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas. En discrimen: alios *expressos cera vultus,* alias *imagines pictas* appellat. Seneca de beneficiis lib. 3, cap. 28: *Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiae suae longo ordine, et multis stemmatum illigata flexuris in parte prima aedium collocant.* Reor haec imaginum stemmata iis non absimilia fuisse, quas arbores prosapiae vulgus appellat. unde et ramos Persius nominavit:

Stemmate quod Tusco ramum
millesime ducis.

Στέμμα sive *corona*, vel quod atrium coronamenti cuiusdam instar ambiret et circumdaret, vel quod gentilitiae imagines coronis quibusdam item depictis inclusae pingerentur. Atque haec tria imaginum gentilitiarum genera Iuvenalis Sat. 8. videtur attigisse:

Stemmata quid faciunt? quid
prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque
ostendere vultus
Maiorum? —

En imagines pictae. Pergit ad statuas triumphales:

— *Stantes in curribus Æmilianos,* etc.

Paulo post:

Quis fructus generis tabula
iactare capaci
Corvinum? et post haec multa
deducere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros.

Quod de cereis imaginibus libenter interpreter. Sed ibidem clarius:

Tota licet veteres exornent
undique cerae
Atria, nobilitas sola est at-
que unica virtus.

His cerearum imaginum loculamentis subiectae fuerunt aliae thecae, sive armaria, quibus rerum a maioribus gestarum volumina clauderentur: quae haud scio an Plinius nomine tablinorum intelligat. lib 35, cap. 2: *Tablina codicibus implebantur, et monumentis rerum in magistratu gestarum.* Laudat Lipsius Livium lib. 4, 8, 10. Valerium lib. 4, cap. 4. Tacitum lib. 16. Tibullum ad Messalam:

Nec tua maiorum contenta est
gloria fama,
Nec quaeris, quid quaque in-
dex sub imagine dicat.

Verum hi titulorum potius sive inscriptionum, et, ut Tibullus appellat, indicum quam codicum meminerunt. Hae porro inscriptiones videntur stemmatum imaginibus pictis in tabula codicum armariis obiecta fuisse subscriptae. Ab his inscriptionibus Papinius in Hercule Surrentino *scriptum limen* appellat:

— *Et scripto viventes limine*
cerae.

Livius lib 4: *Refellit falsum imaginis titulum.* Abram.

Alter etiam Halae] *Ahalae,* l. v. et ita scribi oportere, do-

ret, alter etiam Ahalae? Hi igitur his maioribus orti ab alienis potius consilium peterent, quam a suis? et foris potius, quam domo? Quid?

cent antiqua monimenta. FERRARIVS. *Alter etiam Halae*] M. Brutus. Plutarchus in eius vita: *Σερβιλία δὲ ἡ μήτηρ ἀνέφερε τὸ γένος εἰς Ἄλαν Σερβίλιον. Servilia mater genus suum ad Ahalam Servilium referebat.* Vide quae sequuntur. Mihi parcendum Graecis. Epitome Liviana: *Cum fame populus Romanus laboraret, Spurius Melius Eques Romanus frumentum populo sua impensa largitus est, et ob id factum conciliata sibi plebe regnum affectans a C. Servilio Ahala Magistro equitum iussu Quintii Cincinnati Dictatoris occisus est.* Immo non iussu Dictatoris, sed, ut narrat Livius lib. 4., cum ad causam dicendam vocatus parere noluisset, capto, ut aiunt, in arena consilio, *vociferantem assecutus Ahala Servilius obtruncat.* Hinc autem illud etiam constat, quod in Vatinium probavimus, mulieres cum matrimonio transirent in alias familias, secum maiorum suorum imagines ad mariti domum detulisse, et in atrio mariti collocasse. Verba sunt Vatinianae: *At nunc quidem C. Antonius hac una re miseriam suam consolatur, quod imagines patris et fratris sui, fratrisque filiam non in familia, sed in carcere collocatas audire maluit, quam videre.* ABRAM.

His igitur maioribus orti] Hemistichion heroicum. quod vitatur, si emendes ad fidem antiqui libri in hunc modum, *hi igitur his maioribus*, deleta dictione *orti*. FAERNVS. Receperunt Vaticani libri scripturam Muretus et Lambinus. GRAEV. *His igitur maioribus orti*] Plerisque, quibus numerus poëticus displicet, magis arridet Vaticani lectio, quam expressi. Hoc autem Ciceronis testimonium aperit, tum de Bruti genere nondum fuisse dubitatum; vide et I. Philip. 6. pr. Quod postea factum scimus. Nam et Dionys. Halicarn. lib. V. et Dio Cass. lib. XLIV. negant, L. Bruto primo Romanorum Consuli filium aliquem superstitem fuisse. Hos quidem Plutarchus refellit, qui utique filium ab eo relictum Posidonii testimonio probare conatur. HEVSING. *Hi igitur his maioribus*] Vulgatam, *his maioribus orti*, tuentur Ien. Gud. Teeg. et codd. angl. *ο. φ. ψ.* Lectionem Vat. praeter Ernestium et Schützium omnes priores editores receperunt, vel quod ita, uti mihi certe videtur, maior vis orationi conciliatur, vel quod sic hemistichion heroicum tollitur.

Ab alienis potius consilium peterent, quam a suis? et foris potius, quam domi?] *Domo*, I. Lang. quod vehementer placet. ut Terentius, *Petere cibum e flamma.* et de Fin. bon. et mal. *Quod possit e macello peti.* FER-

C. Cassius, in ea familia natus, quae non modo dominatum, sed ne potentiam quidem cuiusquam ferre potuit, me auctorem, credo, desideravit: qui etiam sine his clarissimis viris, hanc rem in Cilicia

RARIVS. Cod. Car. Steph. uterque Barb. et editi ante P. Man. *domi:* omnes postea *domo;* atque ita Vatic. quamvis Muret. ab eo discesserit. *Domi* ab iis potuit proficisci, qui *foris* id requirere censebant, et cum *domo* non *foris* convenire, sed *foras*. Promiscuum tamen usum eorum adverbiorum ostendit Cl. Meucken. in Obs. L. L. p. 411. ad 413. Hunc locum adde iis, quos ille attulit, ex III. Tuscul. 3. et III. de Fin. 7. quibus *foris petere* Cicero usurpavit. GARATON.

C. Cassius] Sp. Cassium regni affectati crimine, ut auctor est Livius lib. 2: *Vbi primum magistratu abiit, damnatum necatumque constat. Sunt qui patrem auctorem eius supplicii ferant, eum cognita domi causa verberasse ac necasse, peculiumque filii Cereri consecravisse: signum inde factum esse et inscriptum* EX FAMILIA CASSIA DATVM. Halicarnasseus lib. 8: *Sunt qui dicant, cum affectatio regni adhuc lateret, Cassium patrem primum omnium rem subodoratum, post habitam diligentissimam quaestionem, venisse in Senatum, et vocato filio crimen indicasse, eumque accusasse. Cumque eum pariter damnasset Senatus, eum domum reducens interemit.* Hanc opinionem secutus est Orator, quod magis faceret ad institutum. Ait: *Non modo dominatum, sed ne potentiam quidem cuiusquam ferre potuit.* quia certo non constabat, an largitionibus, quibus socios et cives Romanos conciliare sibi voluerat, revera viam ad regnum sibi munire voluisset, an duntaxat aliquam sibi populi Romani sociorumque gratiam et potentiam, quae civilem excederet modum, aucupari. Vide Livium loco citato. Iam quantopere noster hic Cassius abhorruerit ab omni dominatu, ipse apud Plutarchum in Bruto *significavit, cum adhuc puer esset, et eundem cum Fausto Sullae filio ludum litterarium frequentaret. At Cassius surgens ei colaphos impegit. Volentibus autem curataribus et domesticis iudicio rem experiri, prohibuit Pompeius, et utrumque puerum convocans, de facto interrogavit. Ibi narratur Cassius dixisse: Age sane, Fauste, aude hoc praesente illud ipsum dicere, propter quod ira sum incitatus, ut tibi rursum os pugno commitigem.* ABRAM.

Qui etiam sine his] Cassius sine Brutis et aliis Caesaris percussoribus *hanc rem confecisset*, id est, Caesarem occidisset. IDEM.

Hanc rem in Ciliciam ad hostium fluminis Cydni confecis-

est] *Cilicia*, l. v. perspicue recetum. Ferrarivs. *In Cilicia*] Vix ullum extat huius rei in historia vestigium. Narrat tamen Appianus lib. 2. de bellis civilibus, Caesari, cum is Pompeium e pugna Pharsalica fugientem paucis et inermibus navigiis sequeretur, obviam in Hellesponto factum esse Cassium, eique classem septuaginta triremium tradidisse, et a Caesare veniam impetrasse: *Neque aliud in rebus desperatis opus fortunae fuisse maius existimo, quam Cassium illum bellicosissimum, cum Caesari imparato ipse septuaginta triremibus occurrisset, ne manus quidem conserere ausum fuisse*, etc. Subdit: *Manus supplices ad Caesarem, a triremibus ad scaphas tendebat, et veniam petebat.* Haud scio, an res eadem utrobique referatur. Certe conveniunt personae Caesar et Cassius, inter quos res transacta est, et locus. Nam et Hellesponto alluitur Cilicia; et Cydnus fluvius iuxta Tarsum in Hellespontum devolvitur. Quare fieri potest, ut res eadem narretur, et Cassius, cum per exploratores de adventu Caesaris comperisset, ad insidias eius vitae struendas in aliquo portu clam cum sua classe subsederit, sed videns, insidias sibi non esse processuras, quod Caesar non ad illam ripam, quam constituerat, sed ad contrariam naves appulisset, mutato consilio et tradita classe veniam postularit. Neque facile dixerim, quid intellexerit per ripam contrariam. Neque enim Cydnus adeo latus videtur fuisse, ut vel duas classes continere potuerit, vel operosum Cassio fuerit Caesaris aggrediendi causa ad ripam contrariam navigare. Dicerem, Cassium struentem insidias ad ostium Cydni in quodam Ciliciae portu subsedisse, sed Caesarem insidias subodoratum, et ad contrarium Hellesponti littus, id est, ad insulam Cyprum naveis appulisse. Sed non invenio, littus maris ripam ab antiquis dictum fuisse. Quare videamus, an aliqua ex Strabone lib. 10. lux affulgeat: *Post Anchialum Cydni sunt ostia ad locum, qui Rhegma, hoc est ruptura, dicitur. Locus ille stagnat, habetque antiquitus navalia: inque eum incidit Cydnus per mediam lapsus Tarsum, ortus e iacente supra urbem Tauro.* Subdit, ab urbe Tarso ad ostium Cydni quinque tantum esse stadiorum intervallum: *Inde Tarsum sunt centum viginti stadia, atque inde non plura quinque ad ostia Cydni.* Cum igitur illud Tarsensium navale non fluvius tantum, sed etiam palus esset, eaque, ut videtur, aliquanto latior, facile fieri potuit, ut, C. Cassio unam paludis ripam obsidente, Caesar in contrariam ripam evaderet, seque in portum abderet loco et natura munitum, si praesertim unico lembo Hellespontum traiiciebat, ut narrat Dio lib. 42. Quo loco fortasse Tarsenses, audita Pompeii calamitate consternati, Caesari victori portas aperuerunt, et Cassius, omisso Caesaris obsidendi consilio, classem tradidit. Sed haec viderint eruditi. Abram. In hac ob-

ad ostium fluminis Cydni confecisset, si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam, navi

servatione nihil sani. Quis unquam mare inter Cyprum et Ciliciam vocavit Hellespontum? Confundit foedissime quae in Hellesponto acciderunt et in Cilicia. quamvis haec parum sint nota, utpote quae tempore sunt oblitterata, ut nulla eorum supersit memoria. Nam quomodo Cassius in Hellesponto cum decem navibus rostratis obvius fuerit Caesari, et in scapha traiicienti Hellespontum, et se dederit, ex Suetonio aliisque notum est. Sed haec nihil ad Ciliciam ad Cydnum. GRAEVIVS. Rectum esse *in Ciliciam*, ut habent ambo Barb. Rom. Ven. Ald. Nang. Gryph. et Camer. notius iam est, quam ut demonstrari debeat. Credamus tamen libris melioribus. GAR.

Si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam navis applicuisset] *Navi appulisset*, o. l. v. aperte rectum. FERRAR. *Si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam navis appulisset*] Ferrarius ex libris suis emendavit *navi appulisset;* antiquus tamen liber habet *navis* accusativum pluralem pro *naves*: quod ipsum, id est, *naves*, in aliquibus aliis libris est. FAERNVS. *Navi appulisset*] Qui *navi* maluerat, non cogitarat, *navis* quarto casu dictum esse, pro *naves*. nam quod de omnium veterum librorum consensu dixerat, falsum est. Sed non habeo necesse omnia singillatim persequi. MVRET. *Navi appulisset*] Sic omnes Ferrariani. nam nostri *navis appulisset*. editio recepta, *navim applicuisset*. GRVT. Vaticani scripturam arripuerunt Faërnus, Muretus, Manutius, Lambinus. GRAEV. Stagnantis ostia Cydni a Strabone lib. XIV. p. 462. λιμνάζων τόπος dicuntur, ut propter distantiam riparum nimiam facile interverti Cassii consilium potuerit. CELLAR. Ien. *si illum navis appulisset;* alii, *si ille navi, navim*. Vatican. *navis*, pro *naves, appulisset*, quod Cicerone dignius. HEVSING. *Navis appulisset*. Ita constanter scribunt codices pro *naves*. LALLEM. Barb. ambo, Rom. Ven. et Ald. *navis applicuisset*. Accusativi pluralis antiquam illam terminationem ignorantes fecerunt, *navim applicuisset*, ut Naug. Cam. Gryph. et repetit. Lamb. et ex eadem ignoratione Muretus recte censuit profectum esse *navi appulisset*, quod alioqui Tullianum esset, ut V. in Verr. 56. *ut eos, qui essent appulsi navigiis, interficere possent*. Sed antequam Vaticani lectio promeretur, P. Manut. eumque secutus Car. Steph. veterem lectionem *navis*, et Ferrarianam *appulisset* optime coniunxerant. Confunduntur autem *appellere* et *applicare* apud Livium quoque XXIX. 31. et alibi. Apud eumdem *classe appellere* praeferunt Gronov. et Drak. XXX. 10. sed Sigon. Gebhard. et Drak. *clas-*

appulisset. Cn. Domitium non patris interitus, cla-

sem VIII. 3. ut loquitur etiam Cicero I. in Verr. 18. et V. 33. Dukerus tamen ibi de hoc nostro loco incertus videtur, utrum Ferrarii libris, an Vaticano accedat. Nihil est dubitandum. V. in Verr. 25. *appellitur navis Syracusas:* Valer. Max. I. 7. ext. 3. *is enim cum ad litus navem appulisset.* Ad hanc similitudinem pro Rab. perd. 9. *nec tuas umquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem, et in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres.* Quamquam vero sit usitatum et probum *navis applicuisset*, de quo Oudendorp. ad Auct. B. Alex. XVII. tamen libri quique meliores praeferri iubent *appulisset.* Garatonius. *navis appulisset*] Haec est Vat. lectio, quam eandem habent Ien. Teeg. *Navi* exhibent o. φ. ψ. et Gud. quam retinuerunt Ern. et Schütz. illam, *navis* accusativum antiquum, receperunt editores merito.

Cn. Domitium] Cn. Domitius me auctore non egebat ad inferendam Caesari necem, satis excitatus interitu patris sui Luc. Domitii, qui occubuit pugna Pharsalica, et avunculi sui M. Catonis Vticensis, qui Vticae mortem sibi ipse conscivit, ne in Caesaris victoris manus deveniret. Hic autem est Cn. ille Domitius Neronis proavus, quem Tranquillus in Nerone cap. 3. ait *omnibus gentis suae praeferendum.* Subditque: *Is inter conscios Caesarianae necis (quanquam insons) damnatus lege Pedia, cum ad Cassium Brutumque se propinquà sibi cognatione coniunctos contulisset, post utriusque interitum classem olim commissam retinuit, auxit etiam, nec nisi partibus ubique profligatis, M. Antonio sponte et ingentis meriti loco tradidit, solusque omnium ex iis, qui pari lege damnati erant, restitutus in patriam, amplissimos honores percucurrit.* Abr.

Non patris interitus] Luc. Domitii, *qui successor Caesari per factionem nominatus principio civilis belli ad Corfinium captus est*, inquit Suetonius in Nerone cap. 2. De quo Seneca 3 de beneficiis cap. 24. *Corfinium Caesar obsidebat. Tenebatur inclusus Domitius. Imperavit medico eidemque servo suo, ut sibi venenum daret. Cum tergiversantem videret, Quid cunctaris, inquit, tanquam tua in potestate totum istud sit? Mortem rogo armatus. Tum ille promisit, et medicamentum innoxium bibendum illi dedit: quo eum sopitus esset, accessit ad filium eius. Iube me, inquit, asservari, dum ex eventu intelligas, an venenum patri tuo dederim. Vixit Domitius et servatus a Caesare est. Prior tamen illum servus servaverat.* Quod ad eius interitum spectat, ita Tranquillus loco citato: *Acieque demum Pharsalica occubuit.*

Q 2

rissimi viri, non avunculi mors, non spoliatio dignitatis, ad recuperandam libertatem, sed mea auctoritas excitavit? An C. Trebonio ego persuasi? cui ne

Eius mors a Lucano lib. 7 describitur:

Mors tamen eminuit clarorum in strage virorum,
Pugnacis Domiti, quem clades fata per omnes
Ducebant. Nusquam Magni fortuna sine illo
Succubuit. Victus toties a Caesare, salva
Libertate perit. Tunc mille in vulnera laetus
Labitur, et venia gaudet caruisse secunda.

Cui etiam animam exhalanti, si Poëtae credimus, Caesar insultat:

Viderat in crasso volventem sanguine membra
Caesar. Et increpitans, Iam Magni deseris arma,
Successor Domiti, sine te iam bella geruntur.

Quae si vera sunt, Cn. Domitium facile patris interitus contra Caesarem potuit excitare. At ipse Caesar 3 de bello civili: *L. Domitius ex castris in montem refugiens, cum vires eum lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus.* ABRAM.

Non avunculi mors] Catonis Vticensis, qui frater erat Porciae, matris Domitii. Plutarchus in Catone: *Relictus est orbatus parentibus, cum Caepione fratre et Porcia sorore. Erat autem et Servilia Catonis soror uterina.* Nati ex Servilia Brutus, ex Porcia Cn. Domitius. Eam enim Luc. Domitio nupsisse constat ex eodem Plutarcho: *Soli vero Luc. Domitio Porciae sororis suae viro Cato persuasit, ut non cederet.* De morte Catonis plena sunt omnia monumenta. IDEM. Porcia uxor L. Domitii Aenobarbi, ex qua Cn. hic natus est, diem videtur obiisse ante interfectum Caesarem, cum Cicero scribat XIII. ad Att. 1. *Laudationem Porciae tibi misi correctam, atque eo properavi, ut si forte aut Domitio filio, aut Bruto mitteretur, etc.* FERRARIVS.

Ad recuperandam libertatem] Iusseram scribi *reciperandam*: ut in vetere libro est: sed librarii non paruerunt. Porro ut *optimus* et *optumus*: *lacrima* et *lacruma*: sic *reciperare* et *recuperare* veteres nullo discrimine dixerunt. MVRET. Lamb. ex suis etiam MSis dedit *reciperandam*. Barbador. malebat *recipiendam*, et ita codex Car. Steph. qui etiam hunc locum sic auget, *non spoliatio dignitatis ad liberandam patriam, ad recipiendam libertatem.* GAR.

An C. Trebonio persuasi] Interpone ex antiquo libro *ego*, hoc modo: *An C. Trebonio ego persuasi.* FAERNVS. *An C. Trebonio*] Non solum Trebonio non persuasi, sed ne ausus quidem

suadere quidem ausus essem. Quo etiam maiorem ei res publica gratiam debet, qui libertatem populi Romani unius amicitiae praeposuit, depulsorque dominatus, quam particeps esse maluit. An L. Tillius Cimber me est auctorem secutus? quem ego magis

fuissem ei suadere, ut Caesarem occideret, quia videbam, eum esse familiarissimum Caesaris, ut dominatus etiam particeps esse posset, ob beneficia quibus Caesarem devinxerat, legem ferens de prorogando Caesaris in Galliis imperio in quinquennium. De hoc Trebonio vide Plutarchum in Pompeio, Caesare, Catone, Dionem, Appianum. Fuerat autem bello civili legatus Caesaris et cum Decimo Bruto Massiliam obsederat. Et merito Caesaris dominationis particeps erat, cuius ipse auctor fuit, dum imperium Caesaris in Galliis lege lata in quinquennium, vel saltem, ut alii volunt, in triennium prorogavit. ABRAM. *An C. Trebonio ego persuasi?*] E vulg. lect. omittitur *ego*, quod e Vat. recte receptum est, modo non ab Ernestio; est enim prorsus sic positum, uti supra: *Brutos ego impellerem.* Dicit autem orator, propterea se ei id ne suadere quidem potuisse, quod Caesaris auctoritatem constanter tueri solebat, adeoque legem de eius in Gallia imperio prorogando ferens, eum sibi devinxerat. Post verba: *quo etiam maiorem* recte omitti in Ien. Cod. *ei* notavit Heusing. quod in nullo alio codice desideratur, nec deesse ullo modo potest.

An Luc. Tullius Cimber] Alii legunt *Tillius*. Plutarchus *Μέτιλλιος*. Adverte prudentiam oratoris. Vinosus erat natura sua Cimber et temulentus. Neque Cicero facile hanc ei rem suasisset, aut credidisset secretum tanti momenti, mirumque fuit huiusmodi hominem a Bruto et Cassio in societatem conspirationis advocari. Ait igitur Cicero: *quem ego magis fecisse illam rem sum admiratus, quam facturum putavi.* Quo audito statim omnes hanc Oratoris admirationem ad Cimbri temulentiam referebant, facileque acquiescebant Ciceroni. Quia tamen Cimbrum offendere minime volebat, aliam adfert admirationis suae rationem, qua Cimbrum non modo non vituperat, sed etiam laudat, quod patriae libertatem privatis commodis anteferret. Seneca lib. 3 de ira cap. 30: *Vidit itaque strictis circa sellam suam gladiis commilitones suos, Cimbrum Tillium, acerrimum paulo ante suarum partium defensorem, aliosque post Pompeium demum Pompeianos.* Item ep. 83: *De illa C. Caesaris caede, illius dico, qui superato Pompeio rempublicam tenuit, tam creditum est Tillio Cimbro, quam C. Cassio. Cassius tota vita aquam bibit. Tillius Cimber et nimius erat*

fecisse illam rem sum admiratus, quam facturum putavi. Admiratus sum autem ob eam causam, quod immemor beneficiorum, memor patriae fuisset. Quid duos Servilios? Cascas dicam, an Ahalas?

in vino, et scordalus. In hanc rem iocatus est ipse. Ego, inquit, quemquam feram, qui vinum ferre non possum? Abram. Mei omnes, Mureto excepto, ante Grut. editi habent *Tullius*, neque aliter duo codices Barb. et duo a Cl. Burmanno Sec. inspecti, et omnes fere, qui consulti fuerunt. Lamb. notavit, alii *Tillius*, et sic emendabat Barbadorius, ediditque Muret. ita denique legendum esse consentiunt eruditi: Manut. et Graev. ad VI. ad Div. 12. Perizonius, quem cum iis laudat Ernestus in Ind. Hist. Iac. Gronovius T. III. Thes. A. G. litt. ccc. idem Burm. T. II. Anthol. Lat. p. 727. et ipse, qui aliter antea senserat, Oudendorp. ad Sueton. Caes. LXXXII. Est quidam etiam ex gente Tillia in Inscript. Murat. MCCLXXXI. 10. In Vatic. ita scribitur, L. T. *Cimber*, atque ita nullas in partes liber egregius transit. Garaton.

Sum admiratus] Quoniam Seneca in aliquo loco ep. 83. de ebrietatis vitio disputans, Tillio, homini in vino nimio et temulento, non minus quam Cassio, sobrio et temperanti, de Caesaris caede concreditum esse narrat, quum talia ebriis caute committenda sint, Abramus et Heusing., quod dicit Cicero, se id Tillium facturum esse non putasse, ad temulentiam eius viri referunt. At iocari potius is mihi videtur, qui huc trahit locum illum Senecae, quam sobrii interpretis partes sustinere. Neque enim id spectans dicere potuit, se non putasse, id facturum esse Tillium. Immo pertinent huc, quae Sen. dicit de ira 3 c. 30, ubi eum acerrimum Caesaris defensorem dicit, quod apparet ex iis, quae sequuntur.

Admiratus sum autem] Abest *sum* a Vaticano. Idem.

Quid duos Servilios?] Servilia gens nobilissima fuit, et in plures familias distributa. In ea fuerunt Caepiones, ad quos Marcus Brutus maternam originem referebat, Prisci sive Cascae. et Ahalae, ut Geminos et alias Serviliorum familias omittam, quae minus videntur ad caedem Caesaris pertinere. Plutarchus non unum Cascam, sed duos fratres agnoscit: vides hoc loco etiam Ahalarum fieri mentionem. Vt non duo, sed quatuor Servilii numerentur. Vt intelligendus sit Orator, quasi dicat: *Quid duos Servilios Cascas dicam? quid item duos Servilios Ahalas?* Sed haec viderint eruditi. Hi autem omnes auctorem facti non desiderabant, cum haberent domesticum exemplum illius Ahalae Servilii, qui Spurium Melium nova molientem occidit. Abram.

et hos auctoritate mea censes excitatos potius, quam caritate rei publicae? Longum est persequi ceteros: idque rei publicae praeclarum, fuisse tam multos, ipsis gloriosum.

In hac opinione F. Vrsinus Abramio praecesserat: sed uterque longe aberrat a vero, quod vidisse Manutium arbitror. Manutio recte meritoque subscribit cum Spanhemio Wesselingius II. Observ. 16. Cur enim ab aliis, qui percussores Caesaris recensuerunt, tam praeclara nomina silentur? cur nullius omnino Ahalae mentio iis temporibus? an ea nobilitate homines obscuri esse poterant? cur denique Tullius hoc modo loquitur, nec avitam familiae gloriam a duobus Ahalis renovatam eo praeconio est prosecutus, quod in materno Bruti genere supra captavit? Nihil verisimilius, quam familiam quoque Cascarum suum genus ad Ahalam retulisse. At etiamsi hoc non credamus, Servilia gens, et hominum illorum facinus Ahalam facillime in memoriam redigebat, ut eo cognomine digni duo Servilii indicarentur. Barb. ambo *Cassas*, et hinc Franc. pessime *Castios*, quod mendum iam nimium haesit in Suet. Caes. LXXXII. ubi *alter e Cascis*, non *Cassiis*, et *Cascae brachium*, non *Cassii*, est omnino legendum. Garaton.

Et hos auctoritate mea censetis] *Censes*, o. l. v. Ferrarivs.

Longum est persequi caeteros] Vt Caecilium, Bucolianum, Rubrium Regem, Q. Ligarium, M. Spurium, Sextum Nasonem, Pontium Aquilam, qui ab Appiano numerantur. Addit Plutarchus in Bruto Labeonem, Appianus et Suetonius Sergium Galbam, Dio Cornelium Cinnam. Abram.

Idque reip. praeclarum fuisse tam multos. tum multo ipsis gloriosius est] *Tam multos* nullis in scriptis lib. reperitur. Itaque sic arbitror scribendum, *Idque reip. praeclarum, fuisse tam multos, ipsis gloriosius est.* Sententiam meam confirmat Col. L. in quo pro *tum* scriptum est *tam.* Ferrar. *Ipsis gloriosius est*] Ex eodem corrige *ipsis gloriosum.* Faernvs. *Praeclarum fuisse tum multo ipsis gloriosius est*] Ita edd. priscae. ita Pall. ambo. nisi quod sec. *tamen*, et vero testatus est, nostram extare in omnibus suis scriptis, Ferrarius. probo; sed superat adhuc vox *fuisse*, quae spurium quid sapit, deinde abiiciendum *est* a fine, suasu Pal. pr. neoterici receperunt Ferrarii coniectaneum, *praeclarum fuisse tam multos, ipsis gloriosius est.* at Victoriana, *fuisse tam multos, tum multo ipsis gloriosius.* Grvt. Nec hic fuit recedendum ab auctoritate praestantissimi codicis, quem secuti sunt Faërnus, Muretus, Lambinus, Manutius, nisi quod hic retineat *gloriosius. idque reipublicae praeclarum, fuisse tam multos, ipsis gloriosum.* Fuit

XII. At quemadmodum me coarguerit homo acutus, recordamini. Caesare interfecto, inquit, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit, atque ei recuperatam liber-

id reipublicae magnae laudi, fuisse tam multos in illa cives, qui eius salutem, dignitatem et libertatem assererent contra impotentem dominatum Caesaris, ipsis autem tot vindicibus libertatis hoc fuit gloriosum. GRAEVIUS. Variant libri in *fuisse*, quod alii post *praeclarum*, alii post *multos* locant. Hinc Ciceronem scripsisse puto: *idque reip. praeclarum, fuisse tam multos; fuisse, ipsis gloriosum.* HEUSING. In Vatic. vetus ille ordo servatur, *fuisse tam multos.* GAR. Vulg. lectionem, quam Ern. retinuit, *idque reip. praeclarum, tum multo ipsis gloriosius*, non admitti posse, et eam, quam Vat. affert, praeferendam esse, quisque facile videt. Distinguit enim hic inter claritatem et gloriam; quod resp. tam multos bonos cives habebat, claritatem seu nobilitatem eidem attulit, ipsis viris gloriam attulit sc. factum; nam gloria referenda est ad ipsam caedem, seu rem gestam, quoniam gloria meritis, rebus bene gestis, comparatur, ideoque potissimum hominibus, claritas rebus tribuitur; v. c. nascendi, nominis, rerum bellicarum claritas dicitur. Quapropter non gradu inter se differunt, uti ex vulgata existimandum esset, sed re et usu. Nos diceremus: für den Staat war es glanzvoll, dafs so viele waren, für die Männer selbst ruhmvoll. Plura de hoc discrimine Sen. ep. 102. Schütz. recepit: *reip. praeclarum tam m. f. fuisse ipsis gloriosum.*

At quemadmodum] Ironice hominem acutum appellat, quem paulo post stultissimum, imo pecudem appellat. ABRAM.

Caesare interfecto] Probatio Antonii, cuius ratio futilis est, quia Brutus Ciceronem inclamare potuit, etiamsi nihil ille de conspiratione contra Caesarem facta scivisset. Ergo non efficitur, ut, si Brutus Ciceronem inclamaverit, Cicero quidquam de conspiratione resciverit. ID.

Pugionem] quo Caesarem in Senatu ante Pompeii statuam percusserat. ABR.

Ciceronem nominatim] Non unus Brutus, si Dionem audiamus, sed etiam reliqui Caesaris percussores. Calenus apud eundem lib. 46: *Nam ut caetera transiliam, misericordia saluteque a Caesare affectus, atque in patriciorum numerum relatus, eum occidit, non quidem sua manu, (qui enim id faceret homo meticulosus et effoeminatus?) sed subornatis, qui id facerent. Id autem me vere loqui, ipsi percussores Caesaris declaraverunt, cum in forum cum nudis gladiis procurrentes Ciceronem, vobis audientibus, nominatim subinde vocaverunt.* Sed aliae causae esse potuerunt.

tatem est gratulatus. Cur mihi potissimum? quod sciebam? Vide ne illa causa fuerit appellandi me, quod, quum rem gessisset consimilem rebus iis, quas ipse gesseram, me potissimum testatus est, se aemulum mearum laudum exstitisse. Tu autem omnium stultissime, non intelligis, si id, quod me arguis, voluisse interfici Caesarem, crimen sit: etiam, laetatum esse morte Caesaris, crimen esse? Quid enim interest inter suasorem facti, et probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? Ecquis

Vnam adfert Orator, alteram tacet, quae poterat ipsum in invidiam adducere. Quia nimirum, ut ait Plutarchus, Caesare rempublicam obtinente, nihilominus Cicero *maximam in urbe autoritatem habebat.* Appianus 4 civilium: *Cicero, qui post C. Caesarem eo potentiae pervenerat, quo potest orator pervenire.* Et eam ob causam Ciceronem tanquam primarium civem, et interfecto Caesare totius reip. facile principem appellare potuerunt, etiamsi conspirationis particeps non fuisset. Idem.

Cur mihi potissimum? qui sciebam] Libri veteres partim cum impressis consentiunt: partim pro *qui*, *quid* ego, *quod.* Supponit enim rationem, qua probabat Antonius, Ciceronem fuisse conscium. Cur tibi (inquit) potissimum recuperatam libertatem gratulatus est? quod sciebas. Itaque in extremo notam interrogandi apponerem, sic, *Cur mihi potissimum? quod sciebam?* ut illud pro Mil. *Quae causa, cur Romam properaret? cur in noctem se coniiceret? quid afferebat festinatio? quod haeres erat?* Ferrarivs. Sed tamen libri omnes mei *qui sciebam*, excepto Amsterodamensi, in quo *quid* scribitur. Propius accedes ad libros, si censeas Ciceronem scripsisse, *Cur mihi potissimum? quia sciebam?* Graevivs. *Qui sciebam?*] Ita Graevii codices, et nostri; vulgo, *quod sciebam.* Lallem. Haud aliter ambo Barb. editique ante P. Manutium, et alii codices ad marg. Lambini, qui cum Man. et Car. Steph. *quod* ante Grut. adoptavit, idemque placuit Barbadorio. Inter illos autem codices Lambinus collocat certe Vaticanum, in quo etiam est *qui.* Gar.

Appellandi me] In antiquo libro est *mei.* Faernvs.

Se aemulum mearum laudium extitisse] Ne quis quid librarios insimulet: testor hanc veteris libri scripturam esse. Mvret.

Aemulum] Vide orationem pro Marcello: *Illo aemulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum.* Abram.

Tu autem omnium stultissime] Al. *hominum stultissime.* forte, *omnium hominum stultissime.* Lambinvs.

est igitur, excepto te et iis, qui illum regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? Omnes ergo in culpa. Etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt. Aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit: voluntas

Te excepto, qui illum regnare gaudebas] Antiquus liber, *exceptis iis, qui illum regnare gaudebant.* et recte. non enim solus Antonius Caesarem regnare gaudebat, sed et multi alii. et paulo post pro, *omnes enim, omnes ergo.* et post pauca his duobus verbis, *quem suspicatum*, interponenda dictio *tu*, et post nonnulla, *numquamne intelliges.* et sequenti versu, *homicidae sint.* Faernvs. *Te excepto et iis, qui eum regnare gaudebant*] Redintegravi hanc periodum ex Pal. sec. Gembl. Lil. et S. Victoris. alludebatque item Pal. pr. in quo *te excepto is qui eum regnare gaudebat.* Grvt. Cum Palatino primo plane consentit meus. Sed Coloniensis suffragatur iis, ex quibus Gruterus hunc locum bene restituit. Graevivs. Ien. *excepto te is, qui illum regnare gaudebat.* Verae lectionis vestigia conservavit, quae fuit: *excepto te, et iis, qui illum regnare gaudebant.* Hinc apparet ratio, cur *et* in aliis, in aliis *te* exciderit. Hevsing. Cod. Car. Steph. *te excepto, et ii, qui ill. r. gaudebant.* Non malus hic erat codex, quem saepe Ferrarii lectiones arbitror confirmasse, ubi eas Steph. tacitus exhibuit. Gar.

Omnes enim in culpa] Nonnulli vet. lib. *erunt.* Quod tamen reiicio. Ferrarivs. *Omnes enim in culpa*] Legit Lambinus et opinor necessario: *Omnes ergo in culpa.* Abram. Cur contra libros omnes τῷ *enim* substituamus, nulla est ratio, quamvis id quoque fecerit Paullus Manutius. Ciceronis mens est, aeque enim omnes in culpa sunt, qui fecerunt, et qui iis applauserunt. Graevivs. Faërno sui, ut videtur, codicis fide rescribenti, *omnes ergo in culpa*, Man. Lamb. et Abram. adsensi sunt: Graevius prope unus reclamat, quasi contra libros omnes *ergo* substituatur. Sed primum illud credibile non est, ex sola coniectura Faërnum aliquid mutasse: illud quoque certum, non omnes libros conspirare, sed in aliis, quos Ferrarius vidit, fuisse, *omnes erunt in culpa*, quod ex *ergo* factum: postremo totus orationis contextus non *causalem*, sed *conclusivam* particulam poscit. Dixit enim, eos quoque, qui laetati sint Caesaris caede, accusandos esse, si eam suasisse crimen sit. Nihil enim interesse inter suasorem facti, et probatorem. Iam vero omnes caedem Caesaris probasse. Hinc ergo consequi ex Antonii sententia, ut omnes sint in culpa. Omnes enim bonos, si voluntatem spectes, Caesaris interfectores esse. Itaque cum Abr. plane necessariam esse Faërni emendationem sentio. Sed tamen quatuor haec verba qui deletum ibit, non in-

nemini. Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite. Sic enim dixit: *M. Brutus, quem ego honoris causa nomino, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamavit: ex quo intelligi debet, eum conscium fuisse.* Ergo ego sceleratus appellor a te, quem tu suspicatum aliquid suspicaris: ille, qui stillantem prae se pugionem tulit, is a te honoris causa nominatur? Esto: sit in verbis tuis hic stupor.

vito me id faciet. HEVSING. Non est dubitandum, quin a Vaticano sit *ergo:* quamvis enim Faërnus id sine admonitione receperit, id ego in optimo libro conspexi, et unice verum est: neque, cur a Mur. neglectum fuerit, intelligo. GARATON. *omnes ergo*] Adsentior hic Heusing., qui contendit, contextum talem esse, ut potius requirat part. conclusivam, quam causalem, ideoque non *enim*, quod vulgo legatur, sed Vat. lectionem *ergo* recipiendam esse, quam Lambinus, Manutius, Abramus ac nuper Schütz. amplexi sunt, non item Graev. et Ern.

Sed stuporem] Aliud argumentum, quo stultitiae convincit obiectionem M. Antonii, quod pugnantia loqueretur, Brutum honoris causa nominans, quem Caesarianae necis auctorem esse constabat, Ciceronem eo ipso nomine vituperans, qui tamen convinci non poterat, sed levi coniectura suspectus erat, quasi Caesari necem inferre voluisset. ABRAM.

Vel dicam pecudis] Forte: *ne dicam pecudis.* Lamb. Male. In Colon. est *vel ut ita dicam pecudis.* GRAEV.

Ille, qui stillantem prae se pugionem tulit, is a te honoris] Abundat hic aut *ille* aut *is*, et pro hoc agnoscebat Manritianus *his*, unde fecerat Guilielmius *hic.* GRVTERVS. Aut *ille*, aut *is*, quod sequitur, abundare Grutero videtur. Servat vero Ienensis etiam utrumque, nec id aliis locis vel Grutero abundare visum est. Illa collegit Schwarzius ad Tursellin. de Partic. cap. 122. n. 27. p. 455. Addo et haec. Cicero III. de Offic. 3. *Atque illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis:* deinde eod. l. *Haec enim omnia officia, de quibus etc., ea communia sunt.* Lactant. VI. 10. 1. *Quamquam id ipsum, quod homini tribueris, id Deo tribuitur.* Sic in codice Goth. lego: vulgo, *Deo tribuitur,* omisso *id.* HEVSING. Etiam Ern. *is* expungere voluit: immerito.

Esto] Transitio. Stupidum in verbis appellat, quod Brutum honoris causa nominans eodem nomine, quo Brutum laudabat, vituperabat Ciceronem. Stupidum in rebus atque sententiis, quod non videret, tertium nihil esse: sed percussores aut omni scelere liberandos, aut gravissimi parricidii damnandos. ABRAM.

Sit in verbis tuis stupor]

Quanto in rebus sententiisque maior? Constitue hoc, consul, aliquando; Brutorum, C. Cassii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum, quam velis esse causam; edormi crapulam, inquam, et exhala. An faces admoven-

Non acutissimum fuisse Antonium, tradit Plutarchus in eius vita; *Ignorabat multa, quae fiebant, non tam ob negligentiam, quam ob simplicitatem iis credens, qui cum ipso versabantur. Inerat enim moribus quaedam simplicitas, et sensus tardus.* Item: *Videns autem Cleopatra, Antonii dicteria militem et sordidum artificem redolere, utebatur eodem genere ad illum solute iam et intrepide.* Idem.

Consul] Cuius est consulere reipublicae, et rebus maxime, quae ad summam rempublicam spectant, providere. Constitue tandem aliquando, quod iam pridem esse oportuit, ad liberandam impendentis belli civilis metu rempublicam. Constitue, inquam, utrum eos tanquam homicidas et sicarios puniendos, an tanquam patriae liberatores praemio dignos arbitrere. Hic autem de industria commoratur, et rem eandem variis verbis exponit, ut fieri solet stupidis, quibus res eadem inculcanda est, ut possit in cerebrum obtrudi. Et, ut eius oscitantiam magis ostendat, non rogat, ut in huius rei consideratione animum suum defigat, sed tantum, ut attendat paulisper, paulo post illam animi contentionem laxaturus, et puncto sive momento temporis sobrii hominis cogitationem quasi alienam personam suscipiat, primo quoque tempore ad se moresque suos, et pristinam illam socordiam rediturus. Abram.

Reliquorum quam velis causam esse] *Quam velis esse causam*, o. l. v. quod et compositione mihi videtur esse concinnius, et numero. Ferrarius.

Edormi crapulam] De vinolentia Antonii infra: *Vini exhalandi, non ingenii acuendi causa declamitas.* Satis in praesentia fuerit C. Antonii patrui non absimilem temulentiam M. Coelii verbis exhibere: *Namque ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis praecordiis stertentem, ructuosos spiritus geminare: praeclarasque contubernales ab omnibus spondis transversas incubare, et reliquas circumiacere passim: quae tum exanimatae terrore, hostium adventu percepto, excitare Antonium conabantur: nomen inclamabant: frustra cervicibus tollebant: blandius alia ad aurem invocabat, vehementius etiam nonnulla feriebat. quarum cum omnium vocem tactumque noscitaret, proximae cuiusque collum amplexus petebat: nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat: sed semisomno sopore inter manus centurionum concubinarumque iactabatur.* Refert et laudat Fabius lib. 4 institut. orat. cap. 2. subditque:

dae sunt, quae te excitent, tantae causae indormientem? Numquamne intelligis, statuendum tibi esse, utrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidaene sint, an vindices libertatis?

XIII. Attende enim paullisper, cogitationemque sobrii hominis punctum temporis suscipe.

Nihil his credibilius fingi, neque vehementius exprobrari, neque manifestius ostendi potest. Abram.

Numquamne intelligis] Legendum est cum Mur. et Lamb. ex Vaticano, *intelliges*, sive, ut in ipso cod. heic, et perpetuo scribitur, *intelleges*. Gar.

Homicidii rei sint, an vindices libertatis] Lang. *homicidae rei sint*. Col. *homicidaene sint*. Nonnulli vetustatis non minoris libri, *homicidae sint*. nemo quidem certe (de antiquis loquor) *homicidii*. quorum consensum, etsi libri impressi plus concinnitatis mihi habere videbantur, si quidem paria paribus referunt, silentio tamen praetereundum esse non duxi: praesertim cum id verbum neque superior (quod sciam) neque Ciceronis aetas usurparit. Quod si non contemnimus, postremum sequemur. Ferrarivs. *Homicidae sint*] Ita et Pal. sec. et Maur. non, *homicidii rei sint*; quomodo vulgata. Grvtervs. Ien. ut Colon. *homicidae rei sint*, non *homicidii*, ut vulgo, quo verbo Cicero nusquam usus est. Dispiciant alii, an *homicidam reum esse* dici possit, ut *docere pictorem* pro *picturam*: de qua metonymia Vechner. Hellenol. II. 5. p. 490. Casaub. ad Sueton. Tiber. XXXIIL. et Graev. ad c. 40. pro Amer. Heusing. Facile mihi persuadeo, veram huius loci lectionem nobis ab optimo Colotiano esse servatam, *homicidae ne sint*. Causa interpolationis in eo posita est, quod *utrum* antecedat. Sed optime sequi *ne*, ostendunt ea, quae notavimus ad c. 30. pro Quinct. Quod cum non tulerit vir magnus R. Bentleius, eique adsentientes alii doctissimi: quis iam miretur, idem imperitis olim displicuisse? Itaque alii *ne* sustulerunt, ut accidit in quibusdam Tusculanarum, et de Inventione codicibus; quae melior visa emendandi ratio bonos libros, et Vaticanum ipsum pervasit: alii ex *ne* fecerunt inepte *rei*, ut in Colon. Lang. Ien. et in ed. Rom. legitur; unde postea *homicidi rei*, ut in vet. Ven. et *homicidii rei*, ut Ald. Naug. Cam. P. Man. Car. Steph. et repet. Lamb. et Barb. uterque. Garatonivs. *homicidae sint*] Ien. et Gud. *homicidae rei s. ψ. homicidii rei*. Caeterum adsentior Garatonio, et improbo Heusingeri rationem, qui huc traxit quendam loquendi modum, qui huc non pertinet.

Cogitationemque sobrii hominis ad punctum temporis suscipe] L. v. partim cum impressis consentiunt: plerique *punctum*

Ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris, ut a te arguor, socius, nego quidquam esse medium: confiteor eos, nisi liberatores populi Romani conservatoresque rei publicae sint, plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse: siquidem est atrocius patriae parentem, quam suum occidere. Tu homo sapiens et considerate, quid dicis? Si parricidae: cur honoris causa a te sunt et in hoc ordine et apud populum Romanum semper appellati? Cur M. Brutus, te referente, legibus est solutus, si

tantummodo: nonnulli *puncto*. omnes probabiles. Ferrar. *Ad punctum temporis suscipe. et ego qui sum*] Delenda praepositio *ad*, et copula *et*. deinde post aliqua, ubi est, *ab eodem te*, vox *te* non est in antiquo exemplari, quae tamen non videtur tollenda. Faernus. Etiam cod. Car. Steph. *puncto*: sed vera lectio, *punctum*. Gar.

Suscipe. et ego, qui sum illorum, c.] Omnes fere l. v. *suscipiet. ego.* Col. *suscipe. ego.* quod probabilius est. Quidam *Etenim* reposuerunt. quod etiam mihi magis arrideret, si vel unum modo librum scriptum haberet auctorem. Ferrarius. *Etenim* a libris abest tum ceteris, tum Ienensi. Heusing.

Familiaris] In vitae consuetudine. Abram.

Socius] In conspiratione. Idem.

Si parricidae] Rectum hoc est: referri tamen debebat aeque proba Vaticani lectio, *si parricidas*, nempe, dicis: quam video placuisse Mureto. Atque haud scio, an hoc etiam melius. Idem mox, *referente te*. Garaton.

Te referente] Te Senatum consulente, factum est Senatus Consultum, ut M. Brutus Praetor urbanus ea lege non teneretur, quae vetat Praetores urbanos plus quam decem dies abesse ab Vrbe. Abram.

Legibus est solutus] Dio lib. 53: *Λέλυνται γὰρ δὴ τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ Λατινικὰ ῥήματα λέγει, τοῦτ' ἐστιν ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεώς εἰσι. Legibus enim solvuntur, ut ipsa verba Latina sonant, hoc est, ab omni legum necessitate liberi sunt.* Quae verba Xylander (opinor, ut se legibus interpretandi solutum ostenderet) ita verterat: *Legibus enim soluti sunt Imperatores: quo ipso solo et ea quae retulimus, ac reliqua etiam omnia agendi licentia eis datur.* Neque vero Dio repugnat Ciceroni aiens id ante mutatam rempublicam nemini unquam Romano fuisse concessum. Nemo enim solutus ante fuerat legibus absolute et in omnibus rebus, sed tantum ab aliqua lege peculiari, ut Scipio Aemilianus a legibus annalibus

Caesar ea lege, quae vetabat absentis rationem haberi in petitione Consulatus, Brutus ea lege, quae Praetorem urbanum ab urbe plus quam decem dies abesse prohibebat. Imo libera republica legibus facillime falsse solutos tradit Asconius in praefationem Cornelianae: *Promulgavitque legem, qua auctoritatem Senatus minuebat, ne quis, nisi per populum, legibus solveretur: quod antiquo quoque iure erat cautum. Itaque in omnibus tum S. C. quibus tum aliquem legibus solvi placebat, adiici erat solitum, ut ea de re ad populum ferretur: sed paulatim ferri erat desitum, resque iam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adiiceretur quidem de rogatione ad populum ferenda, eaque ipsa S. C. per pauculos admodum fiebant.* Paulo post, cum eam legem non pertulisset: *Tum Cornelius ita ferre rursus coepit, ne quis in Senatu legibus solveretur, nisi CC adfuissent,* etc. *eam tulit invitis optimatibus, qui vel pauci S. C. facere solebant.* In aliis tamen rebus, ut dicemus, Senatusconsultum non fiebat, si pauciores quadringentis aut saltem receptis adfuissent, e quibus videas, quam facile etiam post legem Corneliam legibus solverentur. Ianx. *Legibus solvi* apud Romanos dicebantur, qui una tantum lege solvebantur, ut ex hoc et pluribus locis Livii et aliorum liquet. Huius locutionis vim non intellexit Dio Cassius. Nam in hac notione, qua legibus omnibus quis solutus dicitur, nec Iulius Caesar, nec eius successores, nisi posterioribus temporibus, cum nimis invalesceret adulatio et servitus, unquam fuerunt soluti, ut patet ex Suetonio, Tacito, et in primis illo S. C. antiquo Romae invento, in quo legibus solvi dicitur Vespasianus, quibus soluti fuerint Iulius, Augustus, et ceteri. Graevius. Adde Arntzenium ad Plin. Paneg. XLII. n. 1. Gar. *legibus est solutus*] Postquam Antonius a veteranis, quorum animum sibi conciliaverat, quique adeo prope urbem iam erant armati, redux factus, eorumque auxilio confidens apertius, quae ante molitus erat, consilia nefaria persequebatur, multi, v. c. Brutus et Cassius, Antonii et veteranorum metu Romam reliquerunt, iisque senatus cura annonae levandae mandata honestum fugae praetextum dedit, ac nominatim Antonius curavit, ut lege Brutus solveretur, qua praetor non plus, quam decem dies, Roma abesse debebat, et ut quum ludi Apollinares, paullo post Idibus Quinctilibus celebrandi (vid. de iis Liv. 25, 12.) praetoris praesentiam requirerent, ista absentia nihil de eius honore et dignitate detraheretur. Sic enim sunt intelligenda, quae sequuntur: *Cur ludi Apoll. incredibili M. Bruti honore celebrati?* Itaque falsus est Abramus, qui App. 43. c. 12. loco aliquo istbaec illustrare conatur, ubi relatum legimus, spectaculis illis, quae in ludis, Bruto absente quidem, sumtus tamen submini-

ab urbe plus, quam decem dies abfuisset? Cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore cele-

strante, celebratis edebantur, plebem ita fuisse delinitam, ut Caesar Octavianus, qui iam tum Romae erat, quovis modo Brutum aemulatus, et populi favorem sibi conciliare conatus sit. Nam hic spectat orator, quod Antonius effecerit, ut Bruti honori consuleret.

Cur ludi Apollinares] Brutus et alii Caesaris percussores, patrata caede, veteranorum et plebeculae metu ex urbe profugerant, et Senatus, ut honestum fugae praetextum daret, Brutum et Cassium annonae praefecerat. Cum autem Praetoris esset urbani ludos Apollinares exhibere, eos C. Antonius Praetor absentis Bruti nomine magnifice suppeditatis a Bruto sumptibus celebravit. *Ludi Apollinares*, vide de horum ludorum origine Livium lib. 25, cap. 12: tradit tempore belli Punici secundi inventum esse Martii vatis carmen in hanc sententiam. Quo autem die celebrarentur, idem exponit lib. 37: *Ludis Apollinaribus ad quintum Idus Quintiles coelo sereno obscurata lux est, cum luna sub orbem solis subisset.* Iam ante dixerat libro 27, cap. 23: *Ludi Apollinares Qu. Fulvio, Appio Claudio Consulibus a P. Cornelio Sulla Praetore urbis primum facti erant. Inde omnes deinceps Praetores urbani fecerant: sed in unum annum vovebant, dieque incerta faciebant.* At aliquanto post, nimirum M. Marcello, Tito Quintio Crispino Consulibus: *Pestilentiae caussa et supplicatum per compita tota urbe est, et P. Licinius Varus Praetor urbis legem ferre ad populum iussus, ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur. Itaque ipse primus ita vovit, fecitque ad tertium Nonas Quintiles. Is dies deinde solemnis servatus.* Votos fuisse primo victoriae causa, deinde valetudinis, docet etiam Horatius 1 Carm. Ode 24:

Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem
Pestemque a populo, et principe Caesare in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

In illis fuisse duos choros, alterum virginum, alterum puerorum, qui alternis Dianam et Apollinem celebrarent, ostendit idem Horatius Ode laudata:

Dianam tenerae dicite virgines,
Intonsum pueri dicite Cynthium
Latonamque. ——

Quin et arbitrio Praetoris actas fuisse comoedias indicio sunt tituli nonnullarum fabularum Terentii, gladiatores productos, exhibitas venationes, ut mox vel ex ipsa M. Bruti munificentia constabit. Abram.

M. Bruti honore celebrati] Plebs partim oratione funebri M. Antonii Consulis, partim aspectu corporis Caesaris tribus

brati? Cur provinciae Cassio et Bruto datae?

et viginti vulneribus confossi, partim tunicae cruentae et perfossae concitata sic exarsit, ut Elvium Cinnam, unum e percussoribus rata, discerpserit, cum ardentibus sudibus e Caesaris rogo raptis ad percussorum aedes, eas concrematura, convolarit, aram in medio foro Caesari erexerit, atque adeo vix comprimi potuerit, quin Curiam, in qua percussus fuerat Caesar, incenderet. Et eam ob rem Brutus et Cassius, ceterique conspirationis participes, ne vitam suam irritatae plebi committerent, ex urbe cesserunt, lexque lata, ut, quoniam Brutus erat Praetor urbanus, nec per leges plus quam decem dies abesse poterat ab urbe, legibus solveretur, eique fraudi non esset, si plus quam decem dies abfuisset. Brutus, auctore Plutarcho, *expectabatur praesens ludos daturus, quos Praetor debebat exhibere*, videlicet ludos Apollinares. Sentiens autem multos e veteranis, qui sub Caesare meruerant, ab eoque agros et colonias acceperant, ad insidias ipsi struendas paulatim in urbem influere, non ausus est ad urbem accedere: *sed populus spectavit eo absente, ipso sumptus liberaliter omnino et abunde subministrante. bestias enim plurimas cum coëmisset, iussit nullam servari, sed omnes consumi. et ex scenicis artificibus plurimos Neapolim descendens ipse convenit.* Quod autem ait, hos ludos incredibili M. Bruti honore celebratos, tradit Appianus, Octavianum Caesarem his Bruti honoribus non parum obstitisse. Eius verba sunt 3. civilium: *Cum ludi appropinquarent, quos loco Bruti Praetoris* urbani *editurus erat C. Antonius, frater Antonii, qui et alia, quae ad Bruti praeturam spectabant, administrabat, et magnificus esset horum ludorum apparatus, spesque affulgeret, fore, ut plebs his spectaculis delinita Brutum in urbem revocaret, Caesar ex alia parte populum demereri satagens, quicquid pecuniarum ex auctione bonorum corradere potuit, semper minutatim principibus tribuum dabat, ut iis dividerent, qui ad accipiendum priores accederent.* Abram.

Cur provinciae Bruto et Cassio datae] Bruto Macedonia, Cassio Syria. Idem. Appianum secutus est Abramius infra ad c. 38. hic ne illum quidem. Plutarchus autem in Bruto XIX. tradit, Africam Cassio, Cretam M. Bruto fuisse ab Senatu datam. Cicero infra XI. 12. Macedoniam et Syriam nihil ad M. Brutum et C. Cassium pertinuisse scribit: Cretam Bruti nominat, ut d. c. 38. nullam vero Cassii. Africam in sortem coniecit Antonius, et Calvisio ut obveniret, effecit; III. 10. Sed Cornificio servata est a Senatu; XII. ad Div. 22. Varo postea commissam queritur Antonio XI. 15. infra. Nihil hac de re Pi-

Cur quaestores additi? Cur legatorum numerus auctus? Atque haec acta per te. Non igitur homicidae. Sequitur, ut liberatores tuo iudicio sint: quandoquidem tertium nihil potest esse. Quid est? Num conturbo te? Non enim fortasse satis, quae disiunctius

ghius. An igitur Cyrenem habuit Cassius, ut censet Appianus? Mihi eius narrationi cum Tullio haud convenire videtur: neque arbitror, SCum de retinendis provinciis III. 15. obstare, quominus mense Martio Africa fuerit Cassio decreta. De sortitione Antonii quid iudicandum sit, alii viderint. In Vat. est, *cur provinciae Bruto, Cassio datae?* GARATON.

Cur quaestores additi] Aliquando non unus, sed plures quaestores. Plutarchus in Pompeio agens de bello piratico ipsi demandato: *Viri, qui imperatores praetoresque fuerant, electi sunt e Senatu, duoque Quaestores adfuerunt.* ABRAM.

Cur legatorum numerus additus] L. Lang. et alii multi, *est additus.* Col. *numerus actus.* ego *auctus* emendaram. Quod postea nescio cuius liber, vetus quidem certe, mihi penitus confirmavit. FERR. *Cur legatorum numerus auctus*] Honoris causa auctus legatorum numerus. Vide orat. de Provinciis Consularibus, *actum est de decem legatis.* ABRAM. A Coloniensi abest *auctus* et *additus.* Et sane potest abesse, et ex praecedentibus repeti. GRAEVIUS. *Auctus* in Colon. non legitur, in Ien. mutatum est in *additus*, quod ex superioribus explicandi causa aliquis adiecit. Rectius subauditur, ut et Graevio visum. HEUSING. Cum Ien. uterque Barb. et ante P. Man. editi, *additus* sine *est.* Ego vero cum Man. Steph. Lamb. et ceteris *auctus* retineo, firmante Vaticano. Si enim repeti ex praecedentibus Tullius aliquid vellet, diceret, *cur Legati?* nam *numerus legatorum* non ita dicitur, ut *numerus equitum*, etc. cui recte conveniret *additus.* GARATON.

Non igitur homicidae] Vatic. *homicidas*, quod respondet superiori eiusdem lectioni, *si parricidas.* Obvia erat haec lectio in ed. Mureti; qui dedit etiam ex eodem, *ut liberatores tuo iudicio*, sine verbo *sint*; quod non probo. IDEM.

Quid est?] Idem iterum atque iterum inculcat, ut adversarium tanquam stupidum et bardum tractare videatur. ABRAM.

Distinctius] *Disiunctius*, liber Vaticanus. F. URSINUS. Non temere in Vatic. id scriptum puto. *Disiuncte dicere*, est disiunctione colligere, vel, ut vulgo dicunt, disiunctivo syllogismo probare: de quo argumentandi genere leges Cic. Academ. IV. 30. qui locus hunc egregie explicat. HEUSING. Non dubito, quin Vaticano parendum sit: in quo quidem non *disiunctius* legitur, sed *diiunctius*, de qua

dicuntur, intelligis. Sed tamen haec est summa conclusionis meae: quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te amplissimis praemiis dignissimos iudicatos esse. Itaque iam retexo orationem meam. Scribam ad illos, ut, si qui forte, quod a te mihi obiectum

scriptura paullo ante diximus ad c. 9. eamque Muret. hic quoque adoptavit. De disiunctione dialectica vide potissimum Topic. 14. et Gellium V. 11. Gar. *disiunctius dicuntur*] Vulgo *distinctius*. Unus Vat. *disiunctius*, quod probo, quanquam a Graevio et Ern. non receptum est. Orator enim h. l. Antonii caussam disiunctivo syllogismo oppugnat: tu aut pro parricidis, aut pro patriae liberatoribus interfectores habere debes; si hoc modo duo sibi opponuntur quorum alterutrum verum sit necesse est, in logica ista disiuncta, aut disiuncte dicta appellantur. Vid. Cic. Acad. 2, 30. *nam si e contrariis disiunctio (contraria autem ea dico, quum alterum ait, alterum negat) si talis disiunctio falsa potest esse, nulla vera est.* Gell. 5, 12. non ratum id neque iustum disiunctum esse ait, quoniam non necessarium est, alterum ex duobus, quae disiunguntur, verum esse. Schütz. Vat. lectionem recepit.

Haec est summa conclusionis meae: quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te amplissimis praemiis dignissimi iudicati sunt] *Dignissimos iudicatos*, l. Col. Ferr. *Sed tamen haec est summa*] Liber vetus, *haec summast.* sic alibi saepissime. Muretus. *Dignissimi iudicati sunt*] Ita Regii codices quinque: sextus cum vulgatis, *dignissimos iudicatos*, quod non aeque placet. Lallem. Contra mihi videtur: et Oliveti factum probo, qui lectionem non plurimorum, sed praestantium codicum revocavit, *dignissimos iudicatos*, quam P. Man. Aemil. Ferrett. Car. Steph. Faërn. Mur. et Lamb. olim receperant. Optimo Colotiano eam exhibenti accedit Vaticanus, alii apud Lamb. Colon. apud Graev. et Regius ille, quem Lallem. non iure contemnit. Recte autem Faërn. et omnes Vaticanum deseruerunt in eo, quod solus habet, *ab eodem ampl.* Tollit enim optimus liber loquendi formam maxime Tullianam. Post red. ad Quir. 3. *pro me praesente Senatus etc. pro eodem me absente etc.* ubi unus cod. omittit *eodem*, quem Graev. sequitur, alter omittit *eodem me*, cui Lamb. et Heum. adhaerent: sed immerito, ut diximus: et ita loquitur Cicero etiam V. in Verr. 38. et bis pro Sext. 60. et rursus ibid. 61. etc. Garaton. *Sed tamen haec est summa*] Vat. *Sed tamen haec summast*, et paullo infra post *eodem* omittitur *te.* Deinde Ernesti et Schütz habent: *dignissimi iudicati sunt.*

Itaque iam retexo] Retracto quae dixeram, me videlicet con-

est, quaerent, sitne verum: ne cui negent. Etenim vereor, ne aut celatum me, illis ipsis non honestum;

spirationis illius conscium non fuisse. Videtur autem esse ironia, non enim ad Brutum et Cassium ea de re scribere decreverat. Retexo est muto et corrigo. Sic epist. 14. lib. 11. ad familiares; *Die tuo natali victoria nuntiata in multa secula videbamus rempublicam liberatam. Novi timores retexunt superiora.* Matius cod. lib. epist. 28: *An quod adolescens praestiti, cum etiam errare cum excusatione possem: id nunc aetate praecipitata, commutem ac me ipse retexam?* Vbi Manutius: *Qui retexit, mutat quod iam fecit quasi male factum.* Naso 1. de remedio amoris:

Nec te, blande puer, nec nostras prodimus artes,
Nec nova praeteritum musa retexit opus.

Eodem translationis genere Graeci dicunt μύθους ὑφαίνειν, *texere verba*, sive orationem. Homerus Iliados γ'. versu 212:

Ἀλλ' ὅτε δὴ μύθους καὶ μήδεα πᾶσιν ὕφαινον.

Sed cum consilia, et coepissent texere verba. Abram.

Ne cui negent] Hoc quoque loco in vetere libro legitur, *nequi negent:* antiqua scribendi ratione, de qua iam diximus. Muretus. (ad I. 6.)

Etenim vereor] Vereor, ne vel illis crimini vertatur, quod me sibi coniunctissimum tanta de re celarint, cum amicorum secreta debeant esse communia: vel mihi sit turpissimum propter timiditatem et ignaviam. Abram.

Ne aut celatum me ab ipsis, illis non honestum] Deleta est hic particula *ab*, legendum, *ne aut celatum me illis ipsis non honestum.* Faernus. In meo vet. cod. non legitur *illis.* Secutus et hic sum cum Faërno, Mureto, Lambino Vaticanum. Lambinus intrusit *esse* invitis libris. Graevius. *Aut celatum*] Veram rationem adfert Plutarchus, cur Brutus et Cassius Ciceronem celaverint: *Et Ciceronem, cum plurimum et fidei et benevolentiae apud eos obtineret, celaverunt, ne, quod natura timidior esset, et ex ipsa aetate senilem omnia cavendi prudentiam traxisset, singula expendendo ad summam exigens securitatem alacritatis ipsorum aciem, quae celeritatem requirebat, hebetaret et obtunderet.* Eadem in Cicerone. Cur autem dicat, vereri se, ne celatum se ab ipsis, illis sit non honestum, videri potest ex iis, quae diximus in Coelianam: *Si tam familiaris erat Clodiae*, etc. *dixit profecto, quo vellet aurum.* Eleganter tamen Epictetus apud Arrianum lib. 4, cap. 13. ostendit, non esse indiscriminatim amicis secreta committenda, etiamsi prius illi nobis animum suum detexerint. Pauca delibo: *Quid vero, si tu mihi recte tua credidisti, tibi vero recte non possum credere, vis me hallucinari? Quem-

aut invitatum refugisse, mihi sit turpissimum. Quae enim res umquam (pro sancte Iupiter!) non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta maior? quae gloriosior? quae commendatior hominum memoriae sempiternae? In huius me tu consilii societatem tamquam in equum Troianum cum principibus

admodum si ego firmum neque perforatum dolium haberem, et tu accedens vinum apud me deponeres, quod in meum dolium infunderes, deinde indignareris, quod ego tibi vicissim meum vinum non committerem: atqui tu dolium habes perforatum. vide plura in hanc sententiam. Abram. Ien. *illis* omittit, quod abesse potest. Vide tamen Heumann. ad c. 11. pro Archia. Hevsing. Ita pro Coel. 21. *celatam esse Clodiam dixit.* II. Agrar. 5. *celabar, excludebar.* Gar. Retinuit Ern. vulg. lect. *celatum me ab ipsis, illis non honestum.* Locum depravatum esse, illam lectionem autem veram, apparet ex varietate lectionis, quae hic obtinet, quum Graev. in vetustissimo cod. *illis* desideret, idemque omittatur in Ien. et Gud. habeat *istis*, vel ex totius loci ratione, namque concinnior fit totus locus, si Vat. lectionem, a Faerno, Manutio et Heusing. receptam, sequamur.

Quae enim res unquam (pro sancte Iupiter) non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta maior? quae gloriosior, quae commendatior erit hominum memoriae sempiternae?] *Erit* inducendum est, mea quidem sententia, quae tamen unius l. scripti auctoritate nitatur. Ferr. *Commendatior erit hominum memoriae sempiternae?*] Adieci illud *erit* e Pall. et Maur. quam iniurie abiiciendam curarat Ferrarius, habuitque obsequentes P. Manutium et D. Lambinum. at l quitur prius membrum de praesenti, posterius de futuro. Grvtervs. Abest tamen etiam a Vaticano *erit.* Recte quidem. Nam potest subaudiri *est.* quae commendatior hominum memoriae est, quae dignior est, cuius memoria semper duret et celebretur. Graevivs. Verbum *erit* in multis legitur, etiam in Ienensi: abest vero a Vaticano, et aliis quibusdam: unde merito inducitur a pluribus. Hevsing. Etiam Car. Stephanus tacitus delevit *erit.* Barb. sec. *hominum erit,* quae ipsa collocationis varietas glossam prodit. Gar. Abest a Vat. *erit*, non item a Ien. et a nonnullis, quos Graev. inspexit. Ern. vocem retinuit, quod verbum *erit* aures suae desiderent. Heusing. Graev. et Schütz. eam omiserunt.

In huius me consilii societate, tanquam in equum Troianum, includi cum principibus non recuso] Sic o. l. v. *In huius me consilii societatem, tanquam in*

includis? Non recuso; ago etiam gratias, quoquo animo facis. Tanta enim res est, ut invidiam istam, quam tu in me vis concitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulsos a

equum Troianum, cum principibus includi non recuso. Ferrar. *In huius me consilii societatem tamquam in equum Troianum includi cum principibus non recuso*] In antiquo libro est: *In huius me tu consilii societatem, tamquam in equum Troianum cum principibus includis. Non recuso.* quae quanto melior lectio sit, quam vulgata, liquido perspiciet, qui totum locum legerit. Faernus. *In huius me tu consilii societatem, etc.*] Vel caeco, ut aiunt, appareat, quanto hoc loco melius sit quod nos, quam quod alii ediderunt. Muretus. *Cum principibus includis? non recuso*] Ita Pall. ita Liliensis et Maur. non, *includi cum principibus non recuso*, uti retro cusi. Gruterus. Quod ait, *cum principibus*, ita etiam II. de Orat. 22. *cuius e ludo, tamquam ex equo Troiano, meri principes exierunt.* Gar.

In equum Troianum] Videtur haec locutio proverbium redolens, quod etiam notavit Chiliastes. In cum autem equum Troianum Graeciae principes et fortissimos quosque heroas inclusos fuisse fabulantur Tryphiodorus carmine de Troiae excidio, Quintus Smyrnaeus libro 12, Virgilius 2. Æneidos, et alii passim post magistrum Odysseae lib. 4. ubi ita loquitur Menelaus:

Ἵππῳ ἔνι ξεστῷ, ἵν᾽ ἐνήμεθα πάντες ἄριστοι
Ἀργείων.
In equo polito, ubi sedebamus omnes optimates
Graecorum.

Et lib. 8:

Αἶσα γὰρ ἦν ἀπολέσθαι, ἐπὴν πόλις ἀμφικαλύψῃ
Δουράτεον μέγαν ἵππον, ὅθ᾽ εἵατο πάντες ἄριστοι
Ἀργείων Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες.
Fatum erat, ut caderet, postquam urbs in moenibus altis
Durateum texisset equum, qui clauserat omnes
Primores Graios Troianis fata ferentes. Abram.

Quoquo animo facis] Quo consilio vellet Antonius hanc Ciceroni invidiam concitare, declaratur epist. 2, lib. 12. ad familiares: *Nullamque aliam ob caussam me auctorem fuisse Caesaris interficiendi criminatur, nisi ut in me veterani incitentur.* Idem.

Quid enim beatius illis] Bruto, Cassio, caeteris, qui periculi declinandi causa ex urbe cesserunt, cum Antonius oratione funebri multitudinem in eos concitasset. Adverte vero rationem amplificandi longe pulcherrimam, dum locis etiam desertis sensum tribuit, quo Brutum et

te praedicas et relegatos? Qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos, quum accesserint, non affari atque appetere videatur? Qui homines tam agrestes, qui se, quum eos adspexerint, non maximum cepisse vitae fructum putent? Quae vero tam immemor posteritas, quae tam ingratae literae reperientur, quae eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur? Tu vero adscribe me talem in numerum.

Cassium Roma pulsos affari, appetere, et ad se invitare videantur. IDEM.

Qui locus] Ien. *quis*: sed et *qui* ita saepe a Cicerone usurpatur. Vide Cortium ad Sallust. Catil. XLIV. 5. HEVSING. Vat. Barb. uterque, et omnes mei editi recte *qui*. GAR.

Affari atque appetere] Ad varios motus adhibet hanc amplificandi rationem, ut Verrina ultima ad miserationem: *Si haec non ad cives Romanos, non ad aliquos amicos nostrae civitatis, non ad eos, qui populi Romani nomen audissent, denique si non ad homines, verum ad bestias, aut etiam, ut longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa et scopulos haec conqueri et deplorare vellem: tamen omnia muta atque inanima tanta et tam indigna rerum atrocitate commoverentur.* Aut ad delectationem, ut pro Archia Poëta: *Saxa et solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur.* Ad admirationem indignationi mixtam, pro Cornelio Balbo: *Vtrum enim inscientem vultis contra foedera fecisse, an scientem? Si scientem: o nomen nostri imperii*, etc. *Vos denique, mutae regiones, imploro, et sola terrarum ultimarum. Vos, maria, portus, insulae, littora*, etc. vide fuse. Ad obtestationem, ut pro Milone: *Vos enim, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obtestor, vosque, Albanorum obrutae arae, sacrorum populi Romani sociae et aequales, quas illa praeceps amentia, caesis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat: vestrae tum arae, vestrae religiones valuerunt.* Hoc loco ad virtutis admirationem loca deserta Brutum et Cassium *affari atque appetere* dicuntur. ABRAM.

Vitae fructum] Loquendi modus familiaris Ciceroni, ut pro lege Manilia de Q. Catulo: *Qui cum ex vobis quaereret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri: cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce in eo ipso vos spem habituros esse dixistis.* IDEM.

XIV. Sed unam rem vereor ne non probes. Si enim fuissem, non solum regem, sed regnum etiam de re publica sustulissem: et, si meus stilus ille fuis-

Sed unam rem] Cum me Caesarianae necis accusabis, una res minus probabilem reddet orationem tuam: quia, si fuissem conscius, suasissem illis, ut te pariter occiderent, ut tu etiam, qui post Caesarem reipublicae libertatem oppressurus eras, de medio tollereris. Abr.

Non solum regem, sed regnum etiam] Hoc est quod saepe queritur. ut epistola prima ad Cassium: *Non regno, sed rege liberati videmur. Interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur. Neque vero id solum, sed etiam quae ipse ille, si viveret, non faceret, ea nos quasi cogitata ab illo probamus: nec eius quidem rei finem video. Tabulae figuntur: immunitates dantur: pecuniae maximae describuntur: exules reducuntur: Senatusconsulta falsa referuntur: ut tantummodo odium illud hominis impuri, et servitutis dolor depulsus esse videatur: respublica iaceat in iis perturbationibus, in quas eam ille coniecit.* Et epistola 8 lib. 14 ad Atticum: *O Dii boni! vivit tyrannis: tyrannus occidit. Eius interfecti morte laetamur, cuius acta defendimus.* Vide eodem libro epist. 10. et 16: *Sublato enim tyranno, tyrannida manere video. Nam quae ille facturus non fuit, ea fiunt.* Innuit autem, cum Caesare occidendum etiam fuisse Antonium. Idem.

Si meus hic stylus] Si fuissem poëta illius fabulae, quam Brutus et Cassius egerunt, etc. Fabula est liberatio reipubl., poëta Cicero, stylus consilium, actus unus caedes Caesaris, reliqui quatuor actus ad absolvendam fabulam requisiti videntur esse caedes Lepidi, et trium Antoniorum, quos Cicero de medio sustulisset, quod iis stantibus non posset stare respublica. Alia translatione idem expressit epistola ad Cassium 4: *Vellem Idibus Martiis me ad coenam invitasses; reliquiarum nihil fuisset; nunc me reliquiae vestrae exercent, et quidem praeter caeteros me.* quod repetit libro 10 ad familiares epistola ad Trebonium, quae est decima octava. Et sane, ut auctor est Plutarchus tum in Bruto, tum in Antonio, Caesaris percussores Antonium pariter interimere decreverant, nisi Brutus eorum consiliis obstitisset. Dio libro 43. idem de Lepido consilium initum fuisse testatur. Quod spectat ad allegoriam, simile est illud apud Plutarchum in praeceptis politicis dictum Iphicratis: *Βελτίων μὲν ὁ τῶν ἀντιδίκων ὑποκριτής, δρᾶμα δὲ τοὐμὸν ἄμεινον. Melior est actor adversariorum, at mea fabula praestantior.* Et magis accedit etiam illud ex eodem

set, ut dicitur, mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem. Quamquam si interfici Caesarem voluisse crimen est, vide, quaeso, Antoni,

opusculo libatum: *Οἱ γοῦν Σκιπίωνι βασκαίνοντες ὑποκριτὴν αὐτὸν ἀπεφαίνοντο τῶν πράξεων, ποιητὴν δὲ Λαίλιον τὸν ἑταῖρον. Qui Scipioni invidebant, eum actorem dicebant rerum a se gestarum, at amicum eius Laelium poëtam.* Sed vide orationem pro Coelio: *Verum haec tota fabella veteris et plurimarum fabularum poëtriae, quam est sine argumento?* Pro Marcello: *Haec igitur tibi reliqua pars est: hic restat actus*, etc. De stylo nonnihil in Vatinium, opinor, cum de codicibus et tabellis ageremus. Addit verbum ambiguum de industria *confecissem.* quod non solum est absolvere, sed etiam occidere. Confici proprie dicebantur bestiae, cum in theatro multis ictibus necabantur. Hinc bestiarii *confectores* Suetonio et veteribus glossis, aut etiam *confectuarii*, et *confici*, ut pro Sextio iam ostendimus. Vide Scaligerum ad illos versus Manilii lib. 4. astronomicῶn:

Sed pecorum membris media grassentur in urbe,
Et laceros artus suspendant fronte tabernae,
Luxuriaeque parent caedem, mortesque lucrentur. Idem.

Quanquam si interfici] Quum Antonius et C. Trebonius Caesari e Gallia, liberis Pompeii victis, redeunti obviam ivissent, et Narbone Trebonius Caesaris necandi oblique mentionem fecisset, Antonius rem silentio oppressit, et cavit, ne id ad aures Caesaris manaret. Propterea narrat Plutarchus in vita Antonii Trebonium diffisum esse Antonio, neque eum in societatem coniuratorum recipere voluisse; eo quippe spectant, quae sequuntur: *ob eius consilii societatem, o. interf. Caes. tum te a Trebonio sevocari.* Nam Trebonius, auctore eodem Plutarcho in vita Bruti, Antonium seductum ante fores iniecto sermone longiore detinebat, veritus, ne ei laboranti succurreret; ex quo patet, isti sermoni plures inesse aculeos. Quod enim in Antonii honorem dictum videri possit, continuo summae turpitudini esse intelligimus.

Quanquam si interfici Caesarem voluisse crimen est] Antonius cum Caesari ex Hispania redeunti, victis Pompeii liberis, Narbonem usque obviam progressus comitem habuit et contubernalem C. Trebonium, isque oblique necandi Caesaris mentionem iniecit, Antonius Trebonii consilio non acquievit ille quidem, sed fideliter rem silentio suppressit, ne ad aures Caesaris manaret. Cicero rem aliter interpretatus contendit, Antonio necandi Caesaris voluntatem adfuisse, sed audaciam defuisse. Abram.

quid tibi futurum sit, quem et Narbone hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est, et ob eius consilii societatem, quum interficeretur Caesar, tum te a Trebonio vidimus sevocari. Ego autem (vide quam tecum agam non inimice) quod bene cogitasti aliquando, laudo; quod non indicasti, gratias

Hoc consilium] Ita rem narrat Plutarchus in Antonio: *Et cum ex amicis fidelissimum quemque ad id negotium eligerent, deliberabant circa Antonium. Cumque caeteri vellent eum in consilii societatem admittere, repugnavit Trebonius. Dicebat enim, quo tempore Caesari ex Hispania redeunti obviam ierunt, sibi comitem et contubernalem fuisse M. Antonium, cuius animum eum ipse pedetentim et caute experiri voluisset, Antonium aiebat sensisse quidem, quorsum ea dicerentur, id tamen facinus aggredi noluisse, sed nihilo secius fideliter tacuisse, neque insidias ad Caesarem detulisse.* Narbo autem est urbs Galliae, unde et Gallia Narbonensis, de qua Strabo lib. 2: *Gallicus sinus expanditur, in quo sitae sunt duae illustrissimae urbes, Massilia et Narbo.* Et lib. 3: *Narbo supra Atacis fluvii ostia et lacum Narbonensem situs est, maximum eorum qui ibi locorum sunt emporium.* Colonia fuit populi Romani a Crasso oratore deducta. Cicero in Bruto: *Voluit adolescens in colonia Narbonensi caussae popularis aliquid attingere, eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere.* Vide Ausonium in urbium encomiis:

Nec tu, Marcie Narbo, silebere. —

Idem.

Te a Trebonio vidimus sevocari] Plutarchus tamen in Caesare: *Antonium, qui et Caesari fidelis erat et robustus, extra curiam detinuit Brutus Albinus iniiciens sermonem data opera longiorem.* Sed Plutarcho Plutarchum opponimus: *At Trebonius*, inquit in Bruto, *Antonium circa curiae ianuam seductum iniecto sermone foris detinuit.* Cui conceptis verbis adstipulatur etiam Dio lib. 43. et Noster lib. 10 ad familiares epist. 28. quae est ad ipsum Trebonium: *Quod vero a te viro optimo seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit haec pestis, interdum, quod vix mihi fas est, tibi subirascor.* Idem Philipp. 13. Idem.

Quod non indicasti, gratias ago] Antiquus liber non habet particulam negativam. quam si detrahamus, hic videtur sensus esse; gratias ago tibi, quod aliquando ostendisti, te bene cogitare occidere volendo tyrannum; sin retinemus, ita intelligendum: quod non indicasti, Caesari coniurationem contra eum a te et Trebonio factam. quod quidem Antonius sine periculo suo facere potuisset; facile enim index con-

ago; quod non fecisti, ignosco. Virum res illa quaerebat. Quod si te in iudicium quis adducat, usurpetque illud Cassianum, CUI BONO FUERIT: vide, quaeso, ne haereas. Quamquam illud quidem fuit,

iurationis impunitatem pro se ipso impetrat. FABRI. Olim illud admodum verisimile mihi videbatur, nunc probo hanc rationem, qua *non* recipiendum esse contendunt, maxime propterea quod constabat, tum Narbone Antonium proniorem fuisse ad Caesarem servandum, quam ut societatem istam inire potuerit.

Virum] Fortem et generosum, ut fuse diximus pro Milone. Homerus:

Ἀνέρες ἔστε φίλοι, καὶ αἰδῶ θέσθ' ἐνὶ θυμῷ.

Este viri comites, animumque ornate pudore.

Noster 2 de Divinat. ex eodem:

Ferte, viri, et duros animo tolerate labores.

Ridebitur fortasse quod addam: sed addam, vel ut rideatur, maiores nostros, parta insigni victoria, barbam auream prolixam sibi finxisse, opinor, ut hoc indicio se viros fuisse ostenderent. Franciscus Belcarius Pequillio commentario rerum Gallicarum tertio: Caroli Burgundionis *corpus compositum, multis comitantibus; Lotharingus* Renatus *pullatus, barba aurea ad pubem prope demissa, veterum heroum more, equitumque, quos Preuos, quasi magnis rebus gestis probatos, nostri appellant, qui barbam huiusmodi, parta memorabili victoria, gestasse produntur, invisit: manuque sub umbellam immissa, manum iacentis prehendens: Multa nobis, inquit, damna vivus importasti, mortui animam Deus Opt. Max. ut ad se recipiat, precamur.* ABRAM. Servius ad VI. Aen. 553. *Virum, non ad sexum retulit, sed ad virtutem, h. e. virorum fortium, ut Cicero,* Virum res illa quaerebat, *cum de viro forti diceret.* GAR.

Illud Cassianum] De L. Cassii Pedianus in Milonianam. Qui, cum de homine occiso quaereretur, quaerebat, cui bono fuisset perire eum, de cuius nece quaereretur, et eum caedis auctorem fuisse indicabat, cui plurimum utilitatis illa nex attulisset. vide locum citatum Milonianae. ABR. Priscianus p. 1208. citat hinc, *illud Cassianum, Cui bono,* non addito *fuerit*, quod abesse quidem potest, sed a MSis hic servatur, et additur etiam loco simillimo pro Mil. 12. GAR.

Vide, quaeso, ne hereas] Vt *heres*, ita *hereo* sine diphthongo in veteribus monumentis constanter scriptum legitur. MVRETVS.

Quanquam quidem illud fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, qui uni servire nolebant] Sic l. Col. *Quanquam illud quidem fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, qui servire nolebant.* Lang. et cum eo plerique, *inservire.* ego Col. sequor: siquidem *inservire* est obsequi, et omnia di-

ut tu dicebas, omnibus bono, qui servire nolebant; tibi tamen praecipue, qui non modo non servis, sed etiam regnas; qui maximo te aere alieno ad aedem

cere ac facere ad voluntatem alterius, ut tuis commodis servias: *servire*, iugo servitutis oppressum esse. id quod certe M. Tullius voluit dicere. Iam vides, *uni servire* alienum esse. dicet enim quispiam, ergo pluribus, non uni servire volebant? quod absurdissimum est. Ambitus, etiam principium, ut Col. servat, multo lenius est. Ferrarius. *Qui servire nolebant*] Vulgata *qui uni servire*, quod neque in Pall. aut Maur. Col. aut Ferrarii membranis; nisi quod quidam *inservire;* unde procul dubio natum alterum illud. Gruterus. Firmat etiam Vaticanus hanc, quam Gruterus et Ferrarius probarunt, scripturam. Graevius. Hic neque P. Man. neque Car. Steph. Ferrarium audiverat: sed Lamb. non modo Colot. et Vatic. secutus est optime, verum etiam addidit, ita esse in suis MSis omnibus. Barb. uterque, *qui inservire*. Gar.

Qui non modo non servis, sed etiam regnas] *Quo modo non servis*, Lang. caeteri cum impressis consentiunt. quibus assentior. Ferrarius.

Qui maximo te aere alieno] Infra: *Totum quadringenties H-S, quod Idibus Martiis debuisti, ante Kalendas Aprilis debere desiisti.* aere videlicet alieno pecuniis, quae ad aedem Opis servabantur, persoluto. Abram.

Ad aedem Opis] Ops est Terra, ut ait Varro lib. 4 de lingua Latina: *Terra Ops, quod hic omne opus, et hac opus ad vivendum: et ideo dicitur Ops mater, quod terra nutriat.* Paulo post: *Sabinorum linguam olent, quae Tatii Regis voto sunt Romae dedicatae. Nam, ut annales dicunt, vovit Opi Floraeque.* Eius festivitas tertio post Saturnalia die celebrata. Idem libro 5: *Saturnalia dicta ab Saturno, quod eo die feriae eius, et post diem tertium Opalia Opis.* Hanc deam Tellurem, Dindymenen, matrem Idaeam, Berecynthiam, Magnam Matrem, Matrem Deorum, aliis etiam nominibus vocitabant. De qua pluribus agit Lucretius lib. 2 et ita concludit:

> *Hic si quis mare Neptunum,*
> *Cereremque vocare*
> *Constituet fruges, et Bacchi*
> *nomine abuti*
> *Mavolt, quam laticis proprium*
> *proferre vocamen:*
> *Concedamus, ut hic terrarum*
> *dictitet orbem*
> *Esse deum matrem, dum re*
> *non sit tamen apse.*

Et quidem sub variis nominibus ei deae varia templa Romae fuerunt dedicata. Sub nomine Opis aedem habuit in Capitolio. Livius libro 39: *Aedes Opis in Capitolio de coelo tacta erat.* Fuit et alia Opi et Saturno communis, ut notat Victor octava regione: *Aedes Opis et Saturni in vico iugario.* De qua Pomponius Laetus libello de antiqui-

Opis liberasti; qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam dissipasti; ad quem e domo Caesaris tam multa delata sunt; cuius domus quaestuosissima

tatibus urbis Romae: *Sub Capitolio est parva Ecclesia diruta, quae imminet hospitali S. Mariae de porticu. ibi fuit templum Saturni et Opis, eius uxoris, in quo templo fuit aerarium populi Romani.* At Marlianus libro 2, cap. 4 Saturni templum agnoscit: *In eo loco, ubi nunc Sancti Salvatoris sacellum est. Vbi adhuc hodie turris apparet, quam vocant in aerario, et illic omnium primum fuit aerarium publicum pop. Rom.* Quare dubitari merito possit, utram aedem Opis dicere voluerit orator. Credat aliquis illam in Capitolio, quod unde aedem Opis appellet, nulla Saturni facta mentione. Probabilius tamen haec verba de aede Opis et Saturni capientur, quod ibi fuerit publicum aerarium, ex quo Antonius septies millies avertit. Abram.

Qui per easdem tabulas] Infra: *Vbi est septies millies sestertium, quod in tabulis quae sunt ad Opis patebat?* Quanta autem utraque summa fuerit, suo loco dicetur. Eam autem pecuniam dicitur per easdem tabulas dissipasse, quia tabulas adulteraverat, ne furtum illud extaret. Idem. *Per easdem tabulas,* quas Caesar cum pecunia ad aedem Opis deposuerat, in quibus patebat eius pecuniae summa: quas tu vero corrupisti, et quibus distribuenda esset, scriptum esse finxisti. Caesar paullo ante mortem ingentem pecuniae vim, ex proscriptorum Pompeianorum bonis redactam, in aede Opis deposuerat. Hanc, eo interfecto, Antonius occupavit, eamque se ex Caesaris commentariis distribuisse dixit, quos vero corrupit, usus ad id Faberii manu, qui Caesaris scriba fuerat. Vide Appian. III. Civil. p. 858. seq. Manut. ad XIV. ad Att. 18. infra c. 37. Hevsing.

E domo Caesaris] Post Caesaris necem Calpurnia Caesaris coniux, verita, ne vel Caesaris percussores, vel etiam Senatus invaderet, ingentem pecuniae vim e domo Caesaris prolatam, id est tria circiter talentum millia deposuit apud Antonium: et in his Caesaris commentarios, in quibus ipsius manu notata erant, quae Caesar facere decreverat. Interim cum Senatus nihil de Caesaris actis mutandum censuisset, Antonius hanc occasionem rapiens Caesaris commentarios adulteravit, et agros, immunitates, vestigalia civitatibus concessit, nihilque non vendidit, cuius invenit emptorem. Abram.

Cuius domus] Haec lectio placet. est tamen in antiquo libro, *cuius domi,* et paulo post, *esse videris*, sine dictione *mihi.* et post aliqua *liberaret* pro *liberasset;* quod convenit cum eo, quod praecedit, *conficeret angoribus.* et pro *abalienabat, alienabat.* Faernvs.

est falsorum commentariorum et chirographorum officina; agrorum, oppidorum, immunitatum, vestigalium flagitiosissimae nundinae. Etenim quae res egestati, et aeri alieno tuo, praeter mortem Caesaris, subvenire potuisset? Nescio quid conturbatus esse

Nundinae] Nundinae rerum emptioni et venditioni fuerunt destinatae, unde et hoc loco nundinae pro venditione ponuntur, quod saepe videbis apud Ciceronem. Misitheus epistola quadam ad Gordianum tertium, quae a Iulio Capitolino refertur: *Qui pepulerit homines, per quos antea velut in auctione positus nundinatus est.* id est venditus. Rescribit enim in haec verba Gordianus: *Nisi dii omnipotentes Romanum tuerentur imperium, etiam nunc per emptos spadones velut in hasta positi venderemur.* Ammianus libro 14: *Batne, municipium*, etc. *refertum mercatoribus opulentis: ubi annua solemnitate prope Septembris mensis initium ad nundinas magna promiscuae fortunae convenit multitudo, ad commercanda quae Indi mittunt et Seres, aliaque plurima vehi terra marique consueta.* Ad hunc mercatum etiam spectant illa Plinii lib. 28. cap. 1: *Vngues resecari nundinis Romanis tacenti atque a digito indice multorum pecuniae religiosum est.* lego: *a digito tacenti atque indice.* ut digitus pollici proximus dictus sit index, quod eo intento res praesens indicatur, et tacens, quod eo labiis admoto silentium indicitur. Abram.

Æri alieno tuo] Seneca 5 de beneficiis cap. 14: *Æs alienum habere dicitur, et qui aureos debet, et qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedaemonios fuit, quod usum numeratae pecuniae praestat.* quia nimirum pecunia omnis olim aerea fuit, inquit Lipsius. vox igitur retenta, etsi argentum et aurum successit. Plinius libro 33, cap. 3: *Servius rex primus signavit aes. antea rudi usos Romae Timaeus tradit. signatum est nota pecudum, unde et pecunia appellata.* Abram.

Nescio quid] Festiva compellatio, et quasi quaedam consolatio Antonii, quem fingit se omni metu liberare. Revera tamen magis pungit, magisque in odium adducit, quam si revera eum illius facti conscium fuisse ostenderet. Idem.

Conturbatus mihi esse videris] *Conturbatus esse mihi videris*, o. l. v. quod placet: ut finem versus nimis insignis effugiamus. Ferrarius. Vide an haec varietas pro Vaticano faciat mihi omittente: qui cum relinqueret hexametri clausulam, *esse videris*, cui Lamb. erat infensus, ordinem hic ita mutavit, *nescio quid conturbatus videris esse.* Gar. Vulgatam lect. *nescio quid c.*

mihi videris. Numquid subtimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur? Libero te metu; nemo credet umquam; non est tuum de re publica bene mereri; habet istius pulcherrimi facti clarissimos viros res publica auctores; ego te tantum gaudere dico; fecisse non arguo. Respondi maximis criminibus; nunc etiam reliquis respondendum est.

XV. Castra mihi Pompeii, atque illud omne tempus obiecisti. Quo quidem tempore si, ut dixi, meum consilium, auctoritasque valuisset: tu hodie egeres, nos liberi essemus; res publica non tot duces et exercitus amisisset. Fateor enim, [me, quum ea, quae acciderunt,

o. m. videris expresserunt Ern. Schütz, Heusinger.

Liberabo te metu] *Libero*, o. lib. vet. FERRAR.

Ego te dico tantum gaudere] *Tantum gaudere dico*, o. l. v. et certe sic verba proclivius currere videntur. IDEM. Ien. *ego tantum dico gaudere*, omisso *te*. HEVSING.

Respondi maximis] Transitio et separatio dictorum a dicendis. ABRAM.

Atque omne illud tempus] *Atque illud omne tempus*, o. l. v. et oratio lenior. FERRARIVS.

Castra mihi Pompeii] Obiectio Antonii, quam invidiose exponit de industria: quasi nihil aliud obiecisset Antonius quam castra Pompeii, ac proinde omnes alios eo crimine comprehenderet, qui auspiciis Pompeii militaverant. ABRAM. Quod in Colon. reperit Graev. *castra mihi* C. N., indicat, praenomen Pompeii additum in aliquibus libris fuisse. GAR.

Si, ut dixi] Supra: *Haec mea, M. Antoni, semper et de Pompeio et de republica consilia fuerunt, quae si valuissent, respublica staret, tu tuis flagitiis, egestate, infamia concidisses.* ABRAM.

Non tot duces] Duos Pompeios, et P. Scipionem, qui cum Imperatores essent, suisque auspiciis rem gererent, bello civili variis casibus ceciderunt, praeter Luc. Domitium, Afranium, Catonem et alios de medio sublatos. IDEM.

Exercitus] Tres, quorum unus in Thessalia apud Pharsalum, alter in Africa apud Thapsum, tertius in Hispania apud Mundam deletus est. Primus imperatorem habuit Cn. Pompeium, secundus P. Scipionem, tertius Cneium et Sextum, liberos Pompeii. IDEM.

Fateor enim] Obiectum crimen moeroris agnoscit, ita tamen, ut se bonorum omnium auctoritate sensuque tueatur, qui in eadem moestitia futuri fuerant, si idem praevidissent, quod ipse.

providerem futura, tanta in maestitia fuisse, quanta ceteri optimi cives, si idem providissent, fuissent. Dolebam, dolebam, Patres conscripti, rem publicam

praevidebat. In quo non solum parem cum caeteris bonis suam caussam facit, quod plus habuerit prudentiae. IDEM.

Providerem futura] Quam prudenter Orator bello civili futura providerit, fuse ostendimus orat. pro Marcello: *Tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens et sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium.* Adde epist. 4, lib. 10. ad Attic. *Praeclara igitur conscientia sustentor, cum cogito, me de republica aut meruisse optime, cum potuerim: aut certe nunquam nisi divine cogitasse: eaque ipsa tempestate eversum esse rempublicam, quam ego quatuordecim annis ante prospexerim.* Libro 7, epist. 5: *Pace opus est: ex victoria cum multa mala, tum certe tyrannis existet.* Libro 10, epist. 5: *Regnandi contentio est, in qua pulsus est modestior rex, et probior et integrior, et is, qui nisi vincit, nomen populi Romani deleatur necesse est: sin autem vincit, Sullano more exemploque vincet.* Iam quid de interitu Pompeii praedixerit, constat e multis, ut lib. 8. ad Attic. epist. 1: *Invitus in eam caussam descendo, in qua neque pacis, neque victoriae ratio quaesita est unquam: semper flagitiosae et calamitosae fugae.* Lib. 11, epist. 6: *De Pompeii exitu mihi dubium nunquam fuit: tanta enim desperatio rerum eius omnium regum et populorum animos occuparat, ut, quocunque venisset, hoc putarem futurum.* Quid? quod etiam Caesaris exitum longe ante prospexit. Ep. 6, lib. 10: *Nullo enim modo posse video stare istum diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat, quippe qui florentissimus ac novus septem diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit, qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello: divitiarum in aerario.* Item: *Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quod diximus: nec fallit, nec aliter accidet. Corruat iste necesse est aut per adversarios, aut ipse per se: qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore: quanquam tempus est non de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare: sin quid acciderit maturius, haud sane mea multum interfuerit, utrum factum videam, an futurum esse multo ante viderim.* Falsus est tamen aliquando, ut epistola undecima ad Tironem: *Videtur, si insaniet, posse opprimi, modo ut urbe salva.* ABRAM.

Dolebam] Reddit moestitiae suae rationem, quia videbat bello

vestris quondam meisque conservatam consiliis, brevi tempore esse perituram. Neque vero eram tam indoctus ignarusque rerum, ut frangerer animo propter vitae cupiditatem, quae me manens conficeret angoribus, dimissa molestiis omnibus liberaret. Illos ego praestantissimos viros, lumina rei publicae, vivere volebam, tot consulares, tot praetorios, tot honestissimos senatores, omnem praeterea florem nobilitatis ac iuventutis, tum optimorum civium exerci-

civili rempubl. brevi tempore perituram esse, quam olim Consul cum Senatu servaverat ab insidiis Catilinae. Idem.

Consiliis conservatam] Ien. *conservatam consiliis.*

Neque vero] Removet alteram doloris sui rationem, quasi non amore reipublicae, sed mortis metu et vitae cupiditate moestus fuisset, allatis rationibus, quae ipsum ad mortis contemptum inducere potuerant. Idem. Vat. *Nec vero.* Gar.

Tam ignarus rerum] In eandem sententiam pro Sextio: *Tam eram rudis? tam expers consilii, aut ingenii? nihil ipse legendo, quaerendoque cognoveram? nesciebam vitae brevem esse cursum, gloriae sempiternum?* etc. Abram.

Molestiis omnibus liberaret] Sic Graevii MS. et sic ante me scripserunt ex Vaticano Faërnus et Muretus, et hos secutus Lambinus. Vulgati, *molestiis omnibus liberasset.* Graevivs. E Vatic. et Ien. rescripsi *liberaret*, quod iam Graevius fecerat. Hervsing. Gud. Teeg. *liberavisset*; at Vat. Ien. et reliqui Codd. Graevii *liberaret*, quam lectionem merito receperunt Graev. Heus. Ern. Schütz.

Illos ego praestantissimos] Ab enumeratione omnium ordinum ostendit, quantum ex eorum interitu respublica vulnus acceperit, et quantopere dolendum fuerit, rempublicam in illud deductam esse discrimen. Florem appellat nobilitatis et iuventutis, quia omnes propemodum nobiles adolescentes praeter paucos, qui se Caesare coniunxerant, fuerunt in castris Pompeii. Abram.

Lumina reipublicae] Vide Milonianam: *Delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina.* Nonnus lib. 41. Dionys. versu 366:

Υἱέες Αὐσονίων, ὑπατήϊα φέγγεα Ῥώμης.

Ausoniae soboles supremaque lumina Romae.

Idem.

Florem nobilitatis ac iuventutis] *Atque*, Lang. et cum eo plerique. Ferrarivs. *Florem nobilitatis ac iuventutis*] Non absimilis est ille loquendi modus, quem tantopere laudat Ari-

tus: qui si viverent, quamvis iniqua conditione pacis, (mihi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videbatur,) rem publicam hodie teneremus. Quae sententia si valuisset, ac non ii maxime mihi, quo-

stoteles 3. Rhetoric. cap. 10: *Τῶν δὲ μεταφορῶν τεττάρων οὐσῶν, εὐδοκιμοῦσι μάλιςα αἱ κατ' ἀναλογίαν. ὥσπερ Περικλῆς ἔφη τὴν νεότητα τὴν ἀπολομένην ἐν τῷ πολέμῳ οὕτως ἠφανίσθαι ἐκ τῆς πόλεως, ὥσπερ εἴ τις τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐξέλοι. Cum translationum genera sint quatuor, pulcherrimae sunt, quae ex proportione ducuntur. Vt Pericles dicebat de iuventute bello extincta, eam disparuisse ex urbe, ut si quis ver ex anno demeret.* Abram.

Conditione pacis] De conditionibus, quas proponebat Caesar, iam dictum ex epist. 11. ad Tironem. lib. 8. ad Atticum epist. 3: *Quae conditio non accipienda fuit prius, quam relinquenda patria? Malae conditiones erant, fateor. Sed nunquid hoc peius? At recuperabit rempublicam. Quando? aut quid ad eam spem est parati?* Idem.

Mihi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior] Herodotus octavo libro merito laudat Athenienses, quod civilis discordiae vitandae causa cesserint principatu: *Prope compertum habentes, si inter se Graeci de principatu dissiderent, fore ut Graecia funditus interiret. Seditio enim civilis bello quod conspirantibus animis geritur tanto peior est, quanto bellum pace deterius.* Halicarnass. lib. 6. antiquit. *Bello civili nihil deterius. In quo qui vincuntur, damnum habent; qui vincunt, ii faciunt iniuriam, et inde nihil lucrantur, quam ut alii ab amicissimis perdantur, alii amicissimos perdant.* Philipp. 13. ipso exordio: *Nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere potest, quem discordiae, quem caedes civium, quem bellum civile delectat: eumque ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanae naturae exterminandum puto.* Quam in sententiam alibi protulisse mihi videor illud Nestoris 9. Iliados:

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιςος, ἀνέςιός ἐςιν ἐκεῖνος,
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.
Qui civile cupit bellum, sine gente videtur
Esse mihi, sine lege, lares nec habere paternos. Idem.

Quae sententia] Si admissae fuissent conditiones, quas Caesar proponebat, si Pompeius ivisset in Hispaniam, et uterque dimisisset exercitum. vide epistolam undecimam ad Tironem. Idem.

Ac non ii maxime, quorum ego vitae consulebam, spe victoriae elati obstitissent] Hoc amplius o. l. v. *Ac non ii maxime mihi,* c. Ferr. *Ac non ii maxime*] Cn. Domitium, C. Lentulum, et alios principes civita-

rum ego vitae consulebam, spe victoriae elati, obstitissent: ut alia omittam, tu certe numquam in hoc ordine, vel potius in hac urbe mansisses. At vero

tis Caesaris inimicos intelligit, qui spe victoriae elati pugnare cupiebant, et omnes conditiones pacis a Caesare propositas respuebant. Abram.

Spe victoriae elati] Iam pro Marcello retulimus illud ex epistola 6, lib. 6: *Caussa belli orta est. Quid ego praetermisi aut monitorum, aut querelarum, cum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem? victa est auctoritas mea, non tam a Pompeio (nam is movebatur), quam ab iis, qui duce Pompeio freti peropportunam et rebus domesticis, et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant.* Ipse Caesar de Domitio, Scipione, Lentulo Spinthere, et aliis 3. de bello civili: *Nec quibus rationibus superare possent, sed quemadmodum uti victoria deberent, cogitabant.* Abram.

Tu nunquam in hoc ordine] Sic omnes fere l. v. *Tu certe nunquam.* quod ita placet, ut mihi nunc denique sententia huiusce circumscriptionis perfecta esse videatur. Ferrarivs. *Tu nunquam in hoc ordine*] *Μείωσις*, qua ingens reipublicae felicitas verbis tenuibus explicatur. Figura Homero vel imprimis usitata. ut Odyss. 3:

Τῷ κέν τις κείνων γε καὶ ἐκλελάθοιτο γάμοιο.

Sic thalami istorum capiant oblivia quemdam.

id est, interficiantur, omnes proci, qui Penelopes nuptias ambitiose petunt. et lib. 14:

Ἀλλὰ τά γ' οὐκ ὄτω, πρὶν καί τινα γαῖα καθέξει
Ἀνδρῶν μνηστήρων, οἵ τοι βίοτον κατέδουσιν.

Non haec eventura reor, verum ante procorum
Quendam condet humus, tua qui patrimonia mandunt.

id est, priusquam omnes proci internecione deleantur. Huc etiam quadrare possit et ille loquenti modus undecimo Iliados, versu 160:

— οἱ δ' ἐνὶ γαίῃ
Κείατο γύπεσσιν πολὺ φίλτεροι ἢ ἀλόχοισιν.

— tellure iacebant,
Quae magis optabat vultur quam foemina pacto.

Et illud Odyss. 1. de Cyclope:

Οὐδ' ἄρ' ἔμελλ' ἑτάροισι φανεὶς ἐρατεινὸς ἔσεσθαι.

Quod Virgilius voluit imitari:

Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.

Abram. Immerito, quod quisque, qui vel obiter locum legerit, perspiciat, Ernestius unius Cod. L. H. auctoritate *nunquam* expunxit.

At vero] Obiectio Antonii. Macrobius libro 2. Saturnaliorum cap. 3: *Pompeius Ciceronis facetiarum impatiens fuit. Cuius haec de eo dicta ferebantur. Ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo.* Paulo

Cn. Pompeii voluntatem a me abalienabat oratio mea. An ille quemquam plus dilexit? cum ullo aut sermones, aut consilia contulit saepius? quod quidem erat magnum, de summa re publica dissentientes, in ea-

post: *Et cum donasset Pompeius transfugam civitate Romana, O hominem bellum! inquit, Gallis civitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere. Propter quae merito videbatur dixisse Pompeius: Cupio ad hostes Cicero transeat, ut nos timeat.* Plura eius dicta referemus, cum de iocis disseretur. Dictum vero Pompeii elegantius ponitur apud Fabium libro 6, cap. 4: *Transi ad Caesarem, me timebis.* Idem.

Cum ullo aut sermones aut consilia] Ennius Annali septimo laudatus a Gellio cap. 4, lib. 12. noct. Attic.

Hocce locutu' vocat qui cum bene saepe libenter
Mensam sermonesque suos, rerumque suarum
Comiter impertit, magna cum lapsa dies iam
Parte fuisset, de parvis summisque gerendis
Consilio, endo foro lato, sanctoque Senatu:
Cui res audacter magnas parvasque iocumque
Eloqueret, quae tincta malis, et quae bona dictu
Evomeret, si quid vellet, tutoque locaret:
Quo cum multa volup, ac gaudia, clamque palamque. Idem.

Quod quidem] Amplificat suam et Pompeii concordiam in amicitia, cum opinionibus inter se dissiderent. Abr.

De summa re dissentientes] Lang. qui cum plerique consentiunt, *re dissidentes: de summa* non habet. nonnulli, *de summa reip.* Lang. sequor. Ferrar.

De re dissidentes] Hic locus varie legitur; sed in antiquo libro sic, *de summa rep. dissentientis.* Faernus.

De summa republica dissentientis] Ita optimus liber, non, ut alii, *de re dissidentes.* Sic saepe veteres loquebantur, ut *summam rem*, aut *summam rempublicam* dicerent: pro quo nunc imperiti, summam reipublicae.. Virgilius: *Quo res summa loco, Panthu?* Plautus in Mercatore: *Vbi loci res summa nostra est publica?* Idem in Milite glorioso:

Is publice legatus Naupactum hinc fuit
Magnai reipublicai gratia.

Quem locum foedissime corrupit Ioachimus Camerarius: felicissime restituit Gabriel Faërnus. Cato libro septimo Originum: *Multa me dehortata sunt huc venire: anni, aetas, vox, vires, senectus. verum enimvero cum tantam rempublicam agi arbitraret.* Muretus. Ita, ut in Vat. *de summa re publica*, Ciceronem saepe dixisse, docet Parei Lex. Crit. p. 1012. Adde IX. Epist. 24. X. 24. Plauti est *magna res publica* Mil. II. 1.

dem consuetudine amicitiae permanere. Sed et ego, quid ille, et contra ille, quid ego sentirem et spectarem, videbat. Ego incolumitati civium primum, ut postea dignitati possemus; ille praesenti dignitati potius consulebat. Quod autem habebat uterque quod sequeretur, iccirco tolerabilior erat nostra dissensio.

25. Catonis apud Gell. XII. 24. *tanta res publica.* Hevsing. Locus varie scribitur in Regiis codicibus. Faërnum, Muretum, et Graevium sequimur. Lallem. Male Verb. et Olivet. *de summa rei dissentientes* retulerunt, ut Grut. editi veteres, et ambo Barb. Vaticano adsentiebatur etiam Barbadorius. Gar. *de summa republica*] Ien. Teeg. Gud. φ. *de summa re.* Gud. φ. *dissidentes* pro *dissentientes.* Ern. scripsit: *de summa re,* quod idem denotat, quod *de summa rep.* Recepimus Vat. lect. quam Graevius, Manut. Heusing. et Schütz. amplexi sunt.

Sed et ego, quid ille: e contra ille, quid et ego sentirem, et spectarem, videbat] Sic o. l. v. *Et contra ille, quid ego sentirem,* perspicue verum. Ferrarivs. *Sed et ego, quid ille*] Duae primae voces absunt ab antiquo libro, et paulo post copula ab his verbis, *quid, et ego.* Faern. *Ego*] Exponit, quid uterque spectarit. Ego vel iniustis conditionibus cum Caesare pacem iniri cupiebam, sperans fore, ut, si praesens periculum declinavisset respublica, paulo post recuperaret pristinam dignitatem. Pompeius malebat ad praesens consulere dignitati, nec ullas iniquas conditiones et maiestate populi Romani indignas volebat admittere. Abram. Vatic. omittit duas voculas maxime aptas: et recte ab omnibus hic contemnitur. Gar.

Ego incolumitati civium primum, et postea dignitati: ille praesenti dignitati] Hoc extremum verbum omnium lib. scriptorum auctoritate delendum est. Ferrar. *Ego incolumitati civium primum, et postea dignitati; ille praesenti potius consulebat*] Hic aliqua desunt; quae ex antiquo libro supplemus, in quo ita legitur, *Ego incolumitati civium primum, ut postea dignitati possemus: ille praesenti dignitati potius consulebat.* Faernvs. *Incolumitati*] Pro Sextio: *Quid est igitur propositum his reipublicae gubernatoribus, quod intueri et quo cursum suum dirigere debeant? id quod est praestantissimum, maximeque optabile omnibus sanis et bonis et beatis,* cvm dignitate otivm. Sed cum nonnunquam otium a dignitate dissideat, et alterutrius facienda iactura videatur, hinc magnae dubitationes emergunt, utrum utri sit praeferendum. Et quamvis notum est illud axioma, sive notio communis, quam noster

Quid vero ille singularis vir, ac paene divinus

habet 3. de legibus: *Salus populi suprema lex esto.* tamen, ut non minus vere dicitur in Sextiana, *plerumque fit, ut, qui otium volunt etiam sine dignitate retinere, ipsi utrumque amittant.* Halicarnasseus libro 6: *Dementiae est studio dignitatis incolumitatem contemnere. Nam cum optabile sit utrumque simul adipisci, si alterum obtinere non valeas, salus est praeferenda dignitati.* Abram. Vox *dignitati* in multis codicibus defuit, quos Ferrarius tractavit. Vatic. *ut postea etc.* Ien. *ego incolumitati civium primum, postea dignitati, ille praesentiae potius consulebat.* Nihil hinc, quod melius sit, elicio. Vox *dignitati* potest subintelligi. Pompeii consilium erat, dignitatem populi Romani in praesenti tuendam, Caesarique eam imminuenti nihil concedendum esse. Heusing. *Et postea dignitati*] Ita codices. Vitiose in quibusdam editis, *ut postea dignitati possemus.* Lallem. Graevius cum Grut. et Verb. Aldi senioris, Naug. et Cam. lectioni, nescio cur, adhaesit. Barb. uterque, Rom. et Ven. cum libris Ferrarii faciunt, quos P. Man. et Car. Steph. secuti sunt. Ego cum Lamb. et Oliveto probo lectionem Vaticani, quam immerito vitiosam censuit Lallem. et rediit ad Graevianam. Pompeius praesentis dignitatis rationem habebat, incolumitate posthabita: Cicero incolumitatem ante omnia ponebat, praesentem dignitatem negligebat, futurae incolumes cives prospicere malebat, quam pro praesenti tuenda civile bellum suscipere. Garaton. *praesenti dignitati*] Ien. *Ego incol. civ. primum, postea dignitati, ille praesentiae potius consuluit.* Teeg. *ille praesenti consulebat.* φ. *Ego inc. civ. prim. ut postea dign. ille praes. dign. potius consulebat.* ψ. *E. i. c. p. ut postea dign. possemus* etc. Prorsus eandem lectionem, quae huius Cod. est, exhibet Vat. Graevius, Heusing. et Ern. excudi curarunt: *et postea dignitati.* Schütz sequutus est Vatic., uti merito Garatonius. Sensus est: Ego vel iniquis conditionibus cum Caesare pacem fecissem, sperans quippe fore, ut respublica, praesens periculum si effugisset, postea pristinam dignitatem recuperaret, at Pompeius indignum esse censebat, in praesenti iniquas admittere conditiones.

Quid vero ille consularis vir, ac pene divinus] Sic o. l. a. ego tamen adduci non possum, ut ita scriptum a Cicerone putem. nam primum quis arbitretur, M. Tullium, cui Pompeii honores, victoriae, triumphi, virtutes denique notissimae erant, cum vellet eum pro dignitate nominare, sibi visum, hominem satis commode atque honorifice appellare, si consularem vocasset? deinde haec duo ἐπίθετα, quae Graeci nominant, simul posuisse? quid

de me senserit, sciunt, qui eum de Pharsalica fuga

enim consulari cum divino? Itaque hac in opinione antea fueram, ut pro *consularis* reponendum putarem *singularis*: quod hoc verbum optime cum *divino* cohaereret, et iis coniunctis saepissime M. Tullius uteretur: ut in II. lib. de orat. *Antonii incredibilis quaedam, et prope singularis, ac divina vis ingenii.* Nunc sententiam muto. par autem, vel potius idem mendum huiusce mihi mutationis causam dedit, atque adeo longe aberranti coniectura quasi viam ferentem ad verum (sic enim existimo) deducentemque monstravit. nam in XIII. Philipp. in extremo, ubi est in impressis, *de mandatis litterisque M. Lepidi viri clarissimi Servilio assentior*: ibi pro *viri clarissimi*, extra unum, qui habet has notas *V. C.* reliqui veteres libri, partim *viro consulari*, partim *viri consularis*. quo perspecto, intellexi, easdem notas, *V.* et *C.* scilicet, quae modo clarissimum virum, modo Consularem virum significant, ut docet Probus: easdem inquam notas, ut illo, sic etiam hoc loco errorem imperitis librariis obiecisse. atque ea causa cum reliquis adductus pro *consularis vir*, *C. V.* id est *clarissimus vir, ac pene divinus*, sine ulla dubitatione reposui. FERRAR. *Quid vero ille C. V.*] Hanc lectionem attulit Hieronymus Ferrarius, cum prius coniecisset legendum, *ille singularis vir*, ut in antiquo libro est. in quo paulo post legitur, *de Pharsalica fuga.* FAERNVS. *Ille singularis vir*] Ingeniosissimi hominis Ferrarii coniecturam liber omnium optimus comprobavit. MVRETVS. *Quid vero ille consularis vir*] Minus est *consularis*, quam ut haec vox possit huic loco convenire. legunt alii *singularis vir*, quod placet. ABRAM. *Singularis* ex Vaticano restituerunt Faërnus, Muretus, Lambinus, optime. Manutius recepit coniecturam Ferrarii alteram, et legit, *ille clarissimus vir ac paene divinus.* GRAEVIVS. In tanta luce Verb. tamen, et Olivet. ausi sunt revocare *consularis*. Sed Heusing. et Lallem. Vaticano rectissime paruerunt, quamvis Regii codd. et omnes alii repugnent. GAR.

Qui eum Pharsalica fuga Paphum prosecuti sunt] *Persecuti*, o. l. v. ut in ep. ad Ap. Pulchrum, *Qui me in castra, et qui trans Taurum persequi non possent.* FERRAR. *Sciunt, qui eum Pharsalica fuga*] Faonium intelligit, et alios, de quibus statim. Pugna Pharsalica, cum iam eius castra miles Caesarianus invaderet, fuga elapsus est. Quod ait, eum fugientem ad urbem Paphum navigium appulisse, credat aliquis, esse μνημονικὸν ἁμάρτημα. Siquidem, ut Dio, Plutarchus, Lucanus, et alii tradunt, ad insulam Lesbum iuxta Mitylenen appulsus est, ut inde Corneliam uxorem abduceret. quam-

Paphum prosecuti sunt. Numquam ab eo mentio de

vis, cum etiam Cypro navem applicuerit, nihil videtur novandum. ABRAM. Ien. et plures scripti, *persecuti sunt*. Dices, non de hostibus fugientem persequentibus, sed de amicis eum comitantibus sermonem esse. Sed et amicos *persequimur*, quibuscum agere volumus. Sic Cicero III. Epist. 6. et 8. Plin. I. Epist. 5. 11. Curt. IX. 6. 12. De hac fuga Pompeii vide Valer. Max. I. 5. 6. HEUSING. Adsciverunt *persecuti* P. Man. Car. Steph. et Lamb. et probavit Barbadorius. Vide ad III. Phil. 3. *Persequi* medium est omnino verbum, quod in quamvis partem adhibetur. Itaque defendi potest apud Horat. I. Serm. 9. 15. ut vidit etiam Cl. Otho in Gifan. Observ. L. L. p. 356. neque odium modo, atque insectationem exprimit, verum etiam amorem, ac fidem; atque adeo fortem, ubi res ferat, in adhaerendo, consequendo, insequendo perseverantiam. Restitue igitur *persecuti*, auctore Vaticano, et Ferrarii codicibus. GARATON. Ern. omisit praepositionem *de*, quae non debet abesse. Ien. ψ. *persequuti sunt*. Deinde Ien. *nunq. ab eo de me mentio*.

Paphum] Paphus duplex fuit in Insula Cypro. Strabo libro 14: *Antiqua Paphus decimo a mari stadio condita, portum habens, et vetus Paphiae Veneris templum. Deinde Paphus ab Agapenore condita portum habens, et templa bene constructa. Distat a vetere Papho terrestri itinere stadiorum sexaginta: et per eam viam solemnes pompae ducuntur ad veterem Paphum, viris simul et mulieribus ex aliis urbibus eo convenientibus.* Iam dubium non est, Pompeium e Pharsalia fugientem ad Cyprum nave appulisse. Lucanus 8. v. 456.

Tunc Cilicum liquere solum, Cyproque citatas
Immisere rates: nullas cui praetulit aras
Vndae Diva memor Paphiae, si numina nasci
Credimus, aut quemquam fas est coepisse Deorum.

Quibus verbis non solum Cyprus, sed etiam urbs Paphos indicatur. Plutarchus in Pompeio: *Vt igitur sedit in Ægyptum fugere, a Cypro vela faciens*, etc. Quo tempore iam tum multi fugae comites ad eum convenerant ad Pamphyliam. *Ibi quaedam et triremes*, inquit idem Plutarchus, *occurrerunt ex Cilicia, et milites scribebantur, et ex Senatoribus rursum ad sexaginta circa ipsum erant.* Lucanus loco proxime citato:

Cilicum per littora primus
Parva puppe fugit: sequitur pars magna Senatus
Ad profugum collecta ducem. —

Cum autem primo ad insulam Lesbum navigavit, tres tantum, aut ad summum quatuor comites habuit. Plutarchus: *Ambo Lentuli erant, et Favonius. Et paulo post videntes a terra ad*

me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderii, quum me vidisse plus fateretur, se speravisse meliora. Et eius viri nomine me insectari audes, cuius me amicum, te sectorem esse fateare? Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuisti. Ne iocis quidem respondebo, quibus me in castris usum

ipsos tendentem Deiotarum regem, eum acceperunt. Hic autem obiter notandum est omen, quod Paphi accepit Pompeius. Valerius Maximus lib. 1, cap. 5: *Pompeius vero Magnus in acie Pharsalica victus a Caesare fuga quaerens salutem, cursu in insulam Cypron, ut aliquid in ea virium contraheret, classem direxit, appellensque ad oppidum Paphum, conspexit in littore speciosum aedificium, gubernatoremque interrogavit, quod ei nomen esset: qui respondit, κακοβασιλέα vocari: quae vox spem eius, quantulacunque restabat, comminuit.* Abram.

Amicissimi desiderii] Ien. *amantissimi*, quod Ciceronianum est: infra quoque c. 16. vulgo *amicissimi* pro *amantissimi* legitur. Hevsing.

Cum me vidisse plus] Me prudentiorem fuisse in praevidendis malis, quae nata sunt e bellis civilibus: se autem speravisse victoriam. Abram.

Speravisse] Ien. *sperasse.* Hevsing. Sic alios quoque habere notavit Lambinus: nimirum certe Muretum: sed Vatic. stat pro vulgata. Qui codex infra *fatere* habet pro *fateare.* De formula *plus videre* I. F. Gronov. egit Diatr. ad Stat. III. Silv. 2. cap. XXIX. p. 180. Latomum reprehendens, qui in re apertissima hic haeserat. Errorem Latomi, sive stuporem potius Curio iam ante notaverat. Gar.

Et eius viri] Epiphonema. Sector Pompeii fuit Antonius, quia, ut infra dicetur, *bona Cn. Pompeii Magni voci acerbissimae subiecta praeconis. Expectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam Diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo praeter Antonium.* Idem.

Ne iocis quidem] Praetermissio. Quod spectat ad iocos, quibus me in castris intempestive usum esse dixisti, illud crimen indignum est responsione. De iocis Plutarchus in Cicerone iam ante laudatus: *Ipse quidem sine risu et moestus obibat exercitum, aliis autem, cum minime requirerent, ridendi materiam suggerebat.* Sed quid nocebit, si tum ipse, tum Macrobius, uterque loco citato, nonnihil nobis harum facetiarum impertiat? Macrobius: *Cum ad Pompeium venisset, dicentibus, sero eum venisse, respondit: Minime sero veni: nam nihil hic paratum video.* In eo iocus fuit, quod tanquam ad epulas invitatus re-

esse dixisti. Erant quidem illa castra plena cu-

sponderit, orationemque a bello ad convivia traduxerit. *Deinde interroganti Pompeio, ubi gener eius Dolabella esset, respondit: Cum socero tuo.* Elegans plane iocus. Obscure crimini dabat Pompeius, quod in adversis partibus esset gener Ciceronis, quasi genero et socero non bene conveniret: ipse quasi aliud agens crimen retorsit, et Pompeio crimini vertit, quod a Caesare socero suo dissideret. Plutarchus: *Cum Domitius quendam usu militari non satis probatum ad ordines militiae promovere vellet, diceretque, eum et probum esse et frugi, Cur igitur, inquit, eum non servas, ut sit curator tuorum liberorum? Quibusdam Theophanem Lesbium praefectum fabrum laudantibus, quod Rhodios amissa classe commode consolatus esset, Quam bonum est, inquit, Graecum habere praefectum? Cum Caesari plurima ex animi sententia succederent, isque quodammodo iam ipsos obsideret, Lentulo dicenti, se comperisse, Caesaris amicos esse tristes, respondit, Dicis, eos Caesarem odisse. Marcio autem quodam ex Italia veniente, dicenteque, Romae famam esse, Pompeium obsideri: Deinde, inquit, huc navigasti, ut esses testis oculatus? Post cladem Pharsalicam, Nonnio dicente, bene sperandum esse, quod e Pompeii exercitu septem aquilae superessent, Bene, inquit, hortareris, si cum graculis bellum gereremus. Labieno divinationibus nitente, quasi in fatis esset, ut penes Pompeium esset totius belli victoria: Videlicet, inquit, hoc usi strategemate modo castra amisimus.* Idem.

Erant quidem illa castra] *Erant illa quidem*, multo lenius. Ferrarius. *Erant illa*] Tradit Caesar, Plutarchus et alii, Pompeianos in castris adeo victoriae fuisse securos, ut non de bello gerendo, sed de disponenda victoria cogitarent, alii, tanquam bello iam confecto, primo quoque tempore redituri aedes in urbe conducerent, alii de sacerdotiis et magistratibus inter se certarent: *In castris Pompeii*, verba sunt Caesaris, *videre licuit triclinia strata, magnum argenti pondus expositum, recentibus cespitibus tabernacula constrata, Lucii etiam Lentuli, et nonnullorum tabernacula protecta hedera. Multa praeterea, quae nimiam luxuriam et victoria fiduciam designarent, ut facile existimari posset, nihil eos de eventu eius diei timuisse, quin non necessarias conquirerent voluptates.* Noster tamen ea castra plena curae fuisse dicit, quod ipse, caeteris nimia insolescentibus fiducia, plenus curae fuerit, semperque de eventu belli timuerit: id tamen aperte non dicit, ne sibi praecipuam laudem arrogare, caeteris levitatis notam inurere videatur. Abram. Lamb. retulit, *Erant quidem illa*,

rae: veruntamen homines quamvis in turbidis rebus sint, tamen, si modo homines sunt, interdum

ut ambo Barb. et ante P. Man. editi: quem ordinem non praefero, quamvis a Vaticano firmetur. Vide V. L. Gar.

Verumtamen homines] Ab ipsa hominis natura nonnunquam iocis animum relaxandum docet, ne animus tanquam arcus assidua contentione frangatur. Dicit tamen *interdum*, ne in huiusmodi iocis nimis effusus fuisse credatur. Abram.

Quamvis in turbidis rebus] Sapienter Aristoteles cap. 3, lib. 8 Polit. *Potius in negotiis et occupationibus ludo et iocis utendum est. Nam ei, qui in labore versatur, requie opus est, et requietis caussa ludus interponitur, negotium gerere autem cum labore et contentione coniunctum est: idcirco ludus et iocus nobis adhibendus est, captato et observato eis utendi tempore, proinde quasi adhibeamus ea medicinae faciendae gratia. Talis enim animi agitatio remissio est, et requies ob voluptatem.* Contra tamen dicere videtur Paulus Silentiarius libro 4 Antholog. cap. 32:

> Δεῖ γὰρ μήτε πονεῖν ἐν ἀθύρμασι, μήτε τι παίζειν
> Ἐν σπουδῇ· καιρῷ δ' ἴσθι νέμειν τὸ πρέπον.
>
> *Est importunus ludo labor, atque labori*
> *Ludus: sed fiant tempore quaeque suo.*

Idem.

Si modo homines sunt] Notum est illud Philosophi tertio Ethicorum exeunte: *Qui in appetendis voluptatibus deficiant, minusque, quam par est, iis frui velint, haudquaquam multos reperias. Neque enim humana est huiusmodi sensus vacuitas.* Item: *Si vero cui iucundum nihil est, neque inter aliud et aliud quicquam interest, multum abest, ut homo dicendus sit.* Quod non solum de voluptatibus, quae tactu et gustu percipiuntur, sed etiam de aliis, et potissimum de iocis dicendum videtur. Idem enim pene est lepos atque humanitas, ut apud Tullium secundo de Oratore: *Socratem, opinor, in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praestitisse.* Qui tamen a iocis omnino sunt alieni, eos philosophus non immanes, sed duros et agrestes appellat. quarto Ethic. cap. 8: *At qui nihil ipsi iocantur, et iocantibus indignantur, agrestes et asperi videntur esse.* Talis fuit Aglaitades ille morosus apud Xenophontem libro 2 de Cyri institutione. de quo, ut in eum nescio quis festive: *Facilius, opinor, ignem quis extriverit, quam risum eduxerit.* Sed qui eiusmodi immanitate sunt, ne hominum quidem loco censendi sunt. Praeclare Crassus 2 de Oratore: *Otii fructus est non contentio animi, sed relaxatio.* Subdit: *Laelium semper*

animis relaxantur. Quod autem idem maestitiam

fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, cum rus ex urbe tanquam e vinculis evolavissent. Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solebat narrare Scaevola, conchas eos et umbilicos ad Caietam, et ad Laurentum legere consuesse, et ad omnem animi remissionem ludumque descendere: sic enim se res habet, ut, quemadmodum volucres videmus procreationis atque utilitatis suae causa fingere et construere nidos, easdem autem, cum aliquid effecerint, levandi laboris sui caussa passim ac libere solutas opere volitare: sic nostri animi forensibus negotiis, atque urbano opere defessi, gestiunt ac volitare cupiunt vacui cura atque labore. Pulchre Gellius lib. 18, cap. 2 Noct. Atticarum, cuius verba furari maluit Macrobius libro 1 Saturnal. cap. 5, quam mutuari: *Saturnalia Athenis agitabamus hilare prorsum ac modeste: non, ut dicitur, remittentes animum. Nam remittere, inquit Musonius, animum quasi amittere est: sed demulcentes eum paulum, atque laxantes iucundis honestisque sermonum illectationibus.* de quo sequenti nota. Abr.

Animis relaxantur] Arcus similitudo ad unum verbum contracta, quam fusius tractat Amasis apud Herodotum libro secundo ad finem vergente. Is, negotiis publicis ante meridiem diligenter et magna animi contentione tractatis, *deinde potabat, et in compotores dicta iaciebat.* Monitus ab amicis, quasi alienum id esset a regia dignitate, ita respondit: *Qui arcum possident, qui illo opus habent, intendunt; postquam autem usi sunt, remittunt. Nam si perpetuo intentus esset, frangeretur, ut, cum opus esset, uti iam illo non possent. Talem et hominis conditionem esse: si assidue seria tractare, nec ullam partem ad lusum sibi indulgere velit, fore, ut sensim sine sensu aut mente captus aut stupidus evadat.* Eandem similitudinem usurpat Gregorius Nazianzenus oratione de suo reditu, rationem reddens, cur ad litus maris animi relaxandi causa se contulisset: *Neque funis contentionis vim servat, si semper tendatur, sed necesse est, ut aliquando ex annulis relaxetur, si rursum sit tendendus, neque futurus est inutilis sagittatori, cum utendi tempus advenerit.* Hanc similitudinem trahit in contrarium Publius Mimus:

Remissio animum frangit, arcum intentio. Idem.

Vox *animis* in Vaticano supra lituram scribitur. Gar.

Idem moestitiam meam reprehendit, idem iocum] Lang. qui cum plerique faciunt, *eundem iocum.* nonnulli, *et idem,* quod fortasse verum est. Ferrar. *Quod autem idem moestitiam*

meam reprehendit, idem iocum: magno argumento est, me in utroque fuisse moderatum.

XVI. Hereditates mihi negasti venire. Utinam

meam reprehendit, idem iocum] Acute ex ipsis Antonii criminibus demonstrat, se et in iocis et in seriis et in animi moerore fuisse moderatum, quia Antonius et moerorem et iocos obiiciebat, quae duo nisi temperata, ut caeteris contrariis usu venit, in una et eadem persona haerere non possunt. Abram. Lamb. monet, alios habere, *idem iocos:* quibusdam editis id tribuit Graev. in V. L. eiusque tantum lectionis vestigium reperi in vet. Ven. quae habet *ioco.* Vatic. a vulgata non discedit. Hinc miror, *iocos* apud Muret. inveniens. Gar.

Moestitiam meam] Etiam hac moestitiae significatione ioci condiuntur. Noster 2 de orat. *Me quidam hercule valde illa movent stomachosa, et quasi submorosa ridicula. Non cum a moroso dicuntur: tum enim non sal, sed natura ridetur. In quo, ut mihi videtur, persalsum illud est apud Naevium. Quid ploras, pater? Mirum ni cantem, condemnatus sum.* Aliquanto post: *Itaque imbuendus est is, qui iocose vult dicere, quasi natura quadam apta ad haec genera, et moribus, ut ad cuiusque modi genus ridiculi vultu etiam accommodetur: qui quidem quo severior est, ut in te, Crasse, hoc illa quoque, quae dicuntur, salsiora videri solent.* Abram.

Argumento sit, me caet.] Pro *sit me*, Lang. *simul:* nonnulli *et simul:* nonnulli *est me.* quod probo. Ferrarius.

Fuisse moderatum] Vt omnis alia

Virtus est medium vitiorum,
et utrimque reductum,

ita iocandi dexteritas in aurea illa mediocritate consistit. Aristoteles 4 Ethicorum: ὁ δὴ χαρίεις καὶ ἐλεύθερος οὕτως ἕξει, οἷον νόμος ὢν ἑαυτῷ. τοιοῦτος μὲν οὖν ὁ μέσος ἐςίν, εἴτ' ἐπιδέξιος, εἴτ' εὐτράπελος λέγεται. ὁ δὲ βωμολόχος ἥττων ἐςὶ τοῦ γελοίου, καὶ οὔτε ἑαυτοῦ, οὔτε τῶν ἄλλων ἀπεχόμενος, εἰ γέλωτα ποιήσει, καὶ τοιαῦτα λέγων, ὧν οὐθὲν ἂν ὁ χαρίεις εἴποι, ἔνια δ' οὐδ' ἂν ἀκούσαι. ὁ δ' ἄγριος εἰς τὰς τοιαύτας ὁμιλίας ἀχρεῖος· οὐδὲν γὰρ συμβαλλόμενος, πᾶσι δυσχεραίνει. *Gratus et liberalis sic habebit, quasi lex sit sibi ipsi. Talis est medius, sive dexter, sive eutrapelus dicatur. Scurra vero a ridiculo vinci se patitur, neque aut a se ipso, aut ab aliis abstinet, dummodo risum aucupetur, et ea dicit, quorum nihil ingenuus dicat, nonnulla vero, quae ne audiat quidem. Agrestis autem est ad huiusmodi conversationes inutilis: cum enim nihil conferat, omnibus stomachatur.* Abram.

Hereditates mihi negasti venire] Hac morum perversitate et malignitate, quam me in te ipsum, in Lentulum, vitricum tuum, in P. Clodium, in Caesarem, in

hoc tuum verum crimen esset! plures amici mei, et

ipsum denique Pompeium expromptisse dixisti, me civibus meis odio esse probare voluisti, adeo ut nemo eorum, qui, dum viverent, se mihi amicos esse simulabant, moriens et testamentum faciens se mihi vere amicum fuisse ostenderit, et me bonorum suorum scripserit heredem. Ignominiosum fuit in amicorum testamentis praeteriri, quod illud indicio esset, praeteritos parum amari. Plutarchus in Pompeio: *Ostendit vero maxime Sulla testamenti sui tabulis, se benevolum non esse Pompeio: aliis enim amicis dona legans, aliosque instituens filio suo tutores, Pompeium omnino praeteriit. Quod ille tulit moderate et civiliter.* Haec siquidem vox illa est, de qua scite Nigrinus apud Lucianum: *Romanos unam duntaxat in vita sua vocem veram emittere: eam videlicet, quae testamentis continetur.* Vide Milonianam: *Testamentum autem palam fecerat, et illum heredem, et me scripserat.* Vbi tum alia multa, tum illud imprimis protulimus ex Tacito 3 Annalium de testamento Asinii Salonini: *Testamentum multo apud vulgum honore fuit, quia in magnis opibus, cum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Caesarem omisit, quod civiliter acceptum.* Probro igitur fuit praeteriri, quod et obiicit Antonius Ciceroni, et Clodio noster exprobravit ad Atticum libro primo, epist. 15: *Quousque, inquit, hunc Regem feremus? Regem appellas, inquam, cum Rex tui mentionem nullam fecerit? Ille autem Regis hereditatem spe devorarat.* Pro Sextio: *Te sororis filius Postumus, adolescens gravis, senili iudicio notavit, cum in magno numero tutorem liberis non instituit.* Quibus vides dedecori fuisse non solum ut heredem, sed etiam ut tutorem in testamenti tabulis praeteriri. Idem. Ern. notavit, esse in Huydec. *obvenisse.* male.

Hoc unum verum crimen] *Hoc tuum verum crimen*, o. l. v. ut supra, *Omne autem tuum crimen est.* Ferrarius. *Vtinam hoc tuum verum crimen esset*] Amabilium morum significatione crimen eludit, vitam amicorum propriis emolumentis et rei familiaris compendiis anteponens. Vtinam a nemine amicorum fuissem heres institutus: plures enim amici mei viverent, ut mori non potuerint, quin me instituerent heredem. Tale illud Pittaci apud Laërtium: *Sed etiam Croeso pecunias ei largiente non recepit, dicens, se duplo maiores habere, quam optaret. Fratre enim sine liberis defuncto se factum fuisse heredem.* In eos enim, qui hereditates habere malunt, quam amicos, aut propinquos superstites, illud Hesiodi cadere possit:

Νήπιοι, οὐδ' ἴσασιν, ὅσον πλέον ἥμισυ παντός.

necessarii viverent. Sed qui istuc tibi venit in mentem? Ego enim amplius HS. ducenties acceptum hereditatibus retuli. Quamquam in hoc genere fateor feliciorem esse te. Me nemo, nisi amicus, fecit heredem, ut cum illo commodo, si quod erat, animi quidam dolor iungeretur: te is, quem tu vidisti

Abstulit! ignorant, medium praecellere toti. ABRAM. Barb. ambo, Rom. et Ven. *tuum* optime servant: *unum* est senioris Aldi mendum, quod ei cum Naug. Cam. et Gryphio commune postea fuit. GAR.

Sed qui istuc tibi venit in mentem?] *Quid*, o. l. v. de hoc paulo ante diximus. FERRARIVS. *Sed qui istuc tibi*] Inficiatur crimen ipso facto, quod in tabulas accepti plus quam ducenties hereditatibus acceptum retulisset. Ducenties autem, si summam hanc ad nummos Atticos revocemus, erunt talenta octingenta triginta tria cum minis viginti: si ad Gallicos, summam efficient quingentorum prope millium scutatorum. ABRAM. Ienens. *Sed quid istud tibi venit in mentem?* HEVSINO.

HS. ducenties] Quingenta millia aureorum, seu scutatorum. Iam autem, ut Plutarchus scribit, Ciceroni obvenerat, antequam rempublicam attingeret, κληρονομία τις εἰς ἐννέα δηναρίων συναχθεῖσα μυριάδας. *Quaedam hereditas, quae nonaginta denariorum millia colligebat.* Deinde multa alia sibi legata fuisse significat. Pro domo: *Quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit; quod si adessem.* Omitto hereditatem Cyri architecti, quam ipse crevit cum P. Clodio, ut dicitur pro Milone verbis iam ante laudatis. epistola 20, lib. 1. ad Atticum: *Diodotus mortuus est: reliquit nobis HS. fortasse centies.* ABRAM. Scribe *sestertium* omnibus litteris, ut est in Vatic. Sic autem ille: *sestertium ducentiens.* GAR.

Quanquam] Non contentus refutatione criminis, hinc etiam occasionem arripit gravius invehendi, qui vel vi, vel fraude, vel blanditiis, vel denique subiectis falsis testamentis in multorum etiam ignotorum hereditates invaserat. ABRAM.

Cum illo commodo] Hereditatis adeundae. IDEM.

Dolor] Ex amici, qui me faciebat heredem, morte perceptus. IDEM.

Te is, quem nunquam vidisti] Sic o. l. s. *Te is, quem tu vidisti nunquam.* FERRAR. Cum P. Man. et Car. Steph. ex omnibus antea editis retinuerint, *quem numquam vidisti*, tandem Lambinus MSis Ferrarii est obsecutus, addito suorum testimonio, imo etiam paullo ante Muretus ex Vatic. hanc vulgatam induxit, quam Grut. et Graevius

numquam, L. Rubrius Cassinas, fecit heredem. Et quidem vide, quam te amarit is, qui, albus aterne

habent. In utroque Barb. est, *quem vidisti numquam.* Gar.

L. Rubrius Cassina] L. Col. *Casinas*, alter *Cassinas*. e Cassino scilicet oppido. atque hoc quidem probant inscriptiones veterum monumentorum. *T. Cl. Cassinati coniugi bene merenti fecit Virginia.* sic Romae in quodam sepulchro inscriptum est. Ferrar. Cum Colotiano Vaticanus habet *Casinas.* Vide Cellar. G. A. II. 9. 432. Garaton.

Et quidem vide] Ironia, quae gravius aliquid suspicandum relinquit. amor enim non fertur in incognitum: nec Rubrius amare potuit Antonium, quem penitus ignorabat. Quibus innuitur, testamentum illud, quod Antonium Rubrii faciebat heredem, adulteratum et subiectum fuisse. Abram.

Albus aterne] Adagium. Catullus:

Non nimium cupio, Caesar, tibi velle placere,
Nec scire, utrum sis albus an ater homo.

Vidi viros eruditos, qui *albus aterve* interpretarentur, *bonus malusve.* Sic M. Antoninus de vita sua λευκὸν ἦθος, *albos mores*, id est bonos et commodos. et alibi μέλαν ἦθος, *malos mores.* Horatius:

— *hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.*

Hinc illud Pythagorae symbolum: μὴ γεύεσθαι μελανούρων, *non gustare melanurum.* interpretante Plutarcho lib. de educatione liberorum: τοῦτ' ἔςι μὴ συνδιατρίβειν μέλασιν ἀνθρώποις διὰ κακοήθειαν. *Hoc est non conversari cum hominibus, qui morum improbitate sunt nigri.* Addunt illud Amos 9: *Nunquid ut filii Aethiopum vos estis mihi filii Israel?* In quae verba sic Hieronymus: *In omnibus scripturis Aethiopes dicuntur, qui penitus in vitia demersi sunt.* Notat Victorius lib. 6. Variar. cap. 23. parasitos a comicis atros induci. Pro Caecina: *Et argentarius Sextus Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio.* Alexis apud Athenaeum lib. 6. Deipnos.

Δύ' ἐςι, Ναυσίνικε, παρασίτων γένη,
Ἓν μὲν τὸ κοινὸν, καὶ κεκωμῳδημένον,
Οἱ μέλανες ἡμεῖς. θάτερον ζητῶ γένος.

Sunt genera, Nausinice, parasitorum duo,
Vnum frequens communeque in comoediis,
Hos dico nigros. alterum quaero genus.

Idem. *Albus, aterve*] Ien. *aterne*, quod solum verum: vide, quae dixi in Emend. ad Corn. Nep. Datam. IX. 2. Male vero in Graeviana *fuerit* pro *fueris.* Proverbium est, *albus, aterne*, de quo Erasmus in Chiliad. Phaedr. III. Fab. 15. v. 10.

Heusing. Cod. Vaticanus, Barb. ambo, Rom. et Ven. *albus, aterne fuerit*, ut Graevius. Aldus senior emendare hoc volens dedit, *aterve fueris*, quem plerique postea secuti sunt. Muret. Lamb. et Heusing. *aterne fueris:* quod rectum est, atque adeo, ut reliqua verba nunc MSi offerunt, necessarium. Itaque *fueris* in Graeviana correxi, cum praesertim Ferrarii silentio id magnopere firmatum esse videatur. Sed ego, ut verum fatear, neque ista sum lectione valde contentus, neque in verbo *fuerit* mendum residere plane concedo. Suspicor enim verbum potius *ignorans* esse mendosum: una in eo littera abundat: qua detracta, sic legerem. *Et quidem vide, quam te amarit is, qui albus, aterne fuerit, ignoras. Fratris filium etc.* Quam haec mea sit lenis, probabilisque emendatio, malo in aliorum existimatione ponere, quam multis ostendere. Locutio quidem videtur mihi non modo melior eruta, verum etiam talis, ut Librarios in errorem sponte influentem impulerit. Adfinis est illa XII. ad Att. 23. *nam quid de me dicam, cui ut omnia contingant, quae volui, levari non possum?* Sed nulla huius generis minus est dura. Pro Flacco 17. *quum vero is, quem nemo vestrum vidit umquam, nemo, qui mortalis esset, audivit, tantum dicit*, DEDI. Pro Cluent. 16. *qui qua fide, qua prudentia, qua dignitate fuerit, meminisse vos arbitror.* Etiam pro Flacco 36. *Ergo is, qui si aram tenens iuraret, crederet nemo:* ubi *cui, si* emendabat sine causa Graev. quum tamen V. in Verr. 18. ipse reliquerit, *Quid enim tibi nave opus fuit? qui si quo publice proficiscereris, et praesidii, et vecturae causa sumtu publico navigia praeberentur:* ubi praesto erat a Lamb. editum, *cui, si*, quod postea nollem ab Ernesto, et Harlesio probatum. In ipsa vero sententia quid lucri fiat, sine ullius admonitione perspicitur. Qui verba, *Fratris filium praeteriit etc.* ab antecedentibus separari nolit, futurum arbitror neminem. Id vero commoda certe ratione obtinemus. Rubrius Antonium, primarium hominem, videre facile potuit, ac de facie nosse: hinc infra, *quem numquam viderat, aut certe numquam salutaverat.* Antonius vero, albus, an ater fuerit Rubrius, plane ignorabat. Valerius Max. IX. 4. 1. *Quum admodum locupleti L. Minucio Basilo falsum testamentum quidam in Graecia subiecisset, eiusdem confirmandi gratia potentissimos civitatis nostrae viros, M. Crassum, et Q. Hortensium, quibus Minucius ignotus fuerat, tabulis heredes inseruisset*, etc. Relatum est autem a Dione Cassio XLV. 47. plurimorum bona eripuisse Antonium hereditatis falsae, ementitaeque nomine, quum diceret, τοὺς μὲν μήτ' ἰδὼν, μήτ' ἀκούσας, τοὺς δὲ καὶ νῦν ἔτι ζῶντας, heredem se reliquisse. Heusing. quoque ad Cornel. Nep. Iphicr. III. 4. recte defendit *aterne*. Garatonius. Quanquam in con-

fueris, ignorans, fratris filium praeteriit, Q. Fufii, honestissimi equitis Romani, suique amantissimi;

iectura Garatonii iudicii subtilitatem et sagacitatem non desidero, tamen ea non opus esse puto, ut verba *fratris filium* novam incipiant enunciationem, et seiungantur a superioribus. Coniuncta enim esse possunt. At quod sequentia attinet, ac nominatim verba *ne nominat quidem*, quae Heusing. Ern. Schütz., non item Graevius, omiserunt, locus secundum exemplar Vat. Cod. contra interpretum conatus vindicandus et constituendus est: si modo interpunxeris post *suique amantissimi*, aut novam inceperis enunciationem. Facile intelligitur, *Q. Iunii equit. honestissimi et amicissimi* pertinere ad *fratris*, cuius nomen affert, quemque describit, qualis fuerit, quo magis intelligatur, vix ab eo praeteriri potuisse. Neque vero etiam sic amplius offendere potest lectio Vat. *nominat*, pro quo in Col. est *ne nomen quidem qui scribit*, et Ien. *ne nomen quidem perscripsit*, quod etiam exhibet Teeg. Correctio est sane haec interpretum, qui genitivum superiorem habere vellent quo referrent et loci ita intelligentiam allevare. Verum haec interpunctio non tantum contextui convenit, sed etiam concinnitati loci consulit, *quem pal. her. s. factitarat, ne nom. q. te, quem nunquam viderat.* Deinde *ac nunquam* est absurda lectio; quem enim nunquam videmus, etiam non possumus salutare. Legi debet e Vat. *aut certe nunq. salut.* propterea quod salutatione maior quaedam familiaritas significatur, atque maiorem vim habet, quam quum dico, me tantum aliquem vidisse. Ita constituit hunc locum Muretus, atque etiam Heusing. in editione sua, nisi quod hic verba ista e glossa esse putat, neque ea quae sunt in Vat. *ne nominat quidem* in eorum locum substituit. Quanquam Garatonio in nota sequente Heusingeri sententia arridere videtur, tamen hic puto Vat. vestigia premenda esse.

Praeteriit] Non instituit heredem. Abr.

Q. Fufii, honestissimi equitis Romani, suique amicissimi] Vetus liber, *sibique amicissimi.* F. Vrsinvs. Recte Faërnus, Muretus, Manut. Lamb. F. Vrsin. *Q. Fufii*, cum in Grutero et vulgatis sit *Q. Fusii.* Graevivs. *Suique*] Alii, *sibique*, sed recte *sui*, quia pro *amicissimi* reseribendum est *amantissimi*, ut aperte Ienensis: qui etiam, *Q. Fucii;* meliores, *Fufii.* Hevsing. Nullibi est *Fusii*, quod mendosum statim esse constaret, et certe millies factum ex *Fufio.* Sed omnes, qui a Vatic. discedunt, habent *Furii*, quod potest esse verum. Vnus autem Ien. *amantissimi*, quod est egregium, et ab Heusing. etiam receptum. Gar.

quem palam heredem semper factitarat, ne nominat quidem, te, quem numquam viderat, aut certe num-

Quem palam heredem semper factitarat] Ego in huius loci emendatione olim Mureto assensus sum, scripturam antiquam ipsis vestigiis persequenti, a Faerno, qui ex *nominat* facit *meminit*, dissensi. Fateor tamen me ex *nominat* fecisse *nominavit*, ut cohaererent tempora. nunc *meminit* probavi: neque tamen *nominavit* reieci. Lambinvs.

Q. Furii ne nomen quidem perscripsit: te, quem numquam viderat, ac numquam salutaverat, fecit heredem] Multa hic errata sunt, sed illud absurdum: *quem numquam viderat ac numquam salutaverat;* quasi salutare potuerit quem numquam antea viderit. quare totus hic locus ita legendus: *Q. Fufi honestissimi equitis Romani, suique amicissimi, quem palam heredem semper factitarat, ne meminit quidem, te, quem numquam viderat, aut certe numquam salutaverat, fecit heredem.* haec ex antiquo libro, in quo tamen pro *meminit* scriptum est *nominat.* quod stare non potest. Faernvs. *Ne nomen quidem perscripsit*] Vetus liber: *Q. Fufi honestissimi equitis Romani, suique amicissimi, quem palam heredem semper factitarat: ne nominat quidem: te, quem numquam viderat, aut certe numquam salutaverat, fecit heredem.* quae scriptura si recte distinguatur, videatur fortasse vera. Suo quisque utatur iudicio, mihi quidem, quod in vetere libro legitur, minime displicet. Mvr. *Ne nomen quidem perscripsit*] Lambinus aliique varie emendant, sed praeter libros nostros. Grvt. Tanta hic est librorum varietas, ut ea ipsa argumento sit, haec verba esse adsiticia, *ne nomen quidem perscripsit*, sive *ne nominat quidem*, sive *ne meminit quidem.* Quidquid adsciveris, redundabit illud, et veram auctoris sententiam perturbabit. Antonius heres exstiterat L. Rubrio Cassinati, ut ipse videri volebat, a defuncto scriptus, ut Cicero suspicatur, adulteratis testamenti tabulis, per fraudem subditus. Nam cum Rubrius vivens saepe palam dixisset, se fratris sui Q. Fufii filio bona sua relinquere, neque ulla postea simultas intercessisset: postquam defuncti testamentum apertum est, praeter omnium opinionem, praeterito fratris filio, scriptus in eo fuit Antonius, quem numquam viderat. Hoc satis declarant Ciceronis verba, dummodo suspecta haec abiiciantur, *ne nomen quidem perscripsit*, quae, quod aliquid deesse videbatur, a Grammatico aliquo adscripta sunt, qui non vidit, *fratris filium Q. Fufii* cohaerere hoc modo: *qui, albus, aterne fueris, ignorans, fratris, Q. Fufii, filium praeteriit: te fecit heredem.* Ita omnia plana, ac perspicua sunt. Hevsing. Coniecturam viri doc-

quam salutaverat, fecit heredem. Velim mihi dicas, nisi molestum est, L. Turselius qua facie fuerit, qua statura, quo municipio, qua tribu. Nihil scio, inquies, nisi quae praedia habuerit. Igitur, fratrem exheredans, te faciebat heredem. In multas praeterea pecunias alienissimorum hominum, eiectis veris heredibus, tamquam heres esset, invasit. Quamquam hoc maxime admiratus sum, mentionem te hereditatum ausum esse facere, quum ipse hereditatem patris non adisses.

ctissimi vehementer probo: cum praesertim verbum ipsum *praeteriit* varie interpretatos suspectis illis verbis duos homines existimare possimus. Sunt enim duae tantum lectiones, altera Vaticani, altera ceterorum codicum omnium. Vtraque defendi potest, sua cuique propria interpunctione tributa: nihilo tamen minus glossemata sese produnt. Garaton.

Quem nunquam viderat, ac ne unquam salutaverat] *Ac nunquam*, l. v. Ferrar. *Te, quem nunquam viderat ac nunquam salutaverat*] Legunt alii et eleganter quidem, si magis librorum fide quam sua coniectura niterentur: *Te, quem nunquam viderat, certe nunquam salutaverat, fecit heredem.* Abram. Ex Faërni et Mureti editionibus, quae sequuntur Vaticanum, recepi, *aut certe nunquam salutaverat.* Graevius.

Velim mihi dicas] Familiaris compellatio, et ironica, qua Antonium ob aditam Turselii ignoti hereditatem in invidiam adducit. Abram.

Tamquam heres esset, invasit] Nulla hic lectionis diversitas ab aliis observatur: et tamen, quod celeberrimus Heumannus primus me monuit, legendum est, *tamquam heres esses, invasisti.* Neque enim ab Antonio ad Senatum orationem avertit. Heusing. Sic solebat Heumannus: sed miror prudentis viri calculum additum. Huic criticae temeritati iam nos occurrere meminimus ad c. 31. in Pison. ubi vide. Simillime supra c. 7. *tibi idem, quod illis accidit, contigisset. Ad sepulturam corpus vitrici sui negat a me datum. Hoc vero ne P. quidem Clodius dixit umquam: quem, quia iure ei fui inimicus, doleo a te iam omnibus vitiis esse superatum.* Item infra c. 51. *ergo ut te catamitum etc. perturbasti. Et domi quidem causam amoris habuit etc. productus autem etc. cum respondisses, te rei tuae causa venisse etc.* Pro Q. Rosc. 1. *Quid ita non profers? non conficit tabulas? imo diligentissime. Non refert parva nomina in codicem? etc. quomodo tibi tanta*

XVII. Haec ut colligeres, homo amentissime, tot dies in aliena villa declamasti? quamquam tu quidem (ut tui familiarissimi dictitant) vini exhalandi,

pecunia extraordinaria iacet? Sed omnia huiusmodi persequi longum esset. GARATON. Ernest. et Schütz. immerito Heumanni coniecturam probarunt, hic etiam eam in textum recepit.

Haec ut colligeres] Vt crimina contra me conquireres et colligeres, quod mihi obiecisti de amicitia violata, de Consulatu crudeliter gesto, de nece Clodii, de bello civili, de nece Caesaris, de alienatione Pompeii, et reliquorum amicorum, quorum hereditates mihi negasti contigisse. ABRAM.

Tot dies] Philippica 5: *Adesse in Senatu iussit ad* XIII. *Kalend. Octob. Ipse interea decem et septem dies de me in Tiburtino Scipionis declamitavit, sitim quaerens, haec enim ei causa esse solet declamandi. Cum in die, quo me adesse iusserat, venisset, tum vero agmine quadrato in aedem Concordiae venit, atque in me absentem orationem ore impurissimo evomuit.* IDEM.

In altera villa] Legunt *in aliena villa,* Scipionis videlicet, *in Tiburtino Scipionis.* Epistola 2, lib. 12. ad famil. *Caedem enim gladiator quaerit, eiusque initium ad* XIII. *Kalendas Octob. a me se facturum putavit. Ad quam paratus venerat, cum in villa Metelli complures dies commentatus esset. Quae autem in lustris et in vino commentatio potuit esse? Itaque omnibus est visus, ut ad te antea scripsi, suo more vomere, non dicere.* ABRAM. *Altera* mendum est repet. Lamb. et aliarum quarumdam non magni pretii editionum. GAR.

Quamquam] Bella et elegans correctio, quasi declamarit Antonius, non ut crimina conquireret, aut se ad dicendum pararet, sed ut exhalato vino sitim quaereret ad bibendum denuo. IDEM.

Vini exhalandi, non acuendi ingenii causa] *Non ingenii acuendi,* o. l. v. placet. FERRAR. *Vini exhalandi*] Solent nonnunquam Oratores causas ridiculas adferre, ut adversarios in contemptum adducant. ut Demosthenes pro Ctesiphonte: Καὶ ἔμοιγε δοκεῖς ἐκ τούτων, Αἰσχίνη, τῶν λόγων ἐπίδειξίν τινα φωνασκίας βουλόμενος ποιήσασθαι, τοῦτον προελέσθαι τὸν ἀγῶνα, οὐκ ἀδικήματος οὐδενὸς λαβεῖν τιμωρίαν. *Et mihi quidem videris, o Aeschines, his sermonibus vocis tuae exercitationes praebere, dum hanc caussam suscepisti, non iniuste factum iudicio persequi voluisse.* ABRAM. Antonii vinolentia pluribus notata auctoribus: Plut. Ant. p. 919. extr. Plin. lib. XIV. c. 22. sub fin. Macrob. II. Saturn. 2. unde et novum se Liberum patrem appellari iussit. Velleius II. 81. Vide infra c. 25. HEVSING.

non ingenii acuendi causa declamitas. Et vero adhibes ioci causa magistrum, suffragio tuo, et compotorum tuorum, rhetorem;

Declamitas] Ita et Ienens. sed Lamb. et Graev. *declamas*. Idem. Praefertur sane a me quoque *declamitas*, quod ceteri omnes editi, et ambo Barb. servant. Vtriusque verbi exempla vide in Ind. Ernesti. Vatic. *declamas*. *At vero etc.* et ita Muretus. Gar.

Magistrum] Sex. Clodium, de quo ad c. 4. Hunc Ciceronis locum citat Suetonius de clar. Rhet. cap. V. Heusing.

Rhetorem] *Sextus Clodius e Sicilia*, inquit Tranquillus lib. de claris Rhet. *Latinae simul Graecaeque elegantiae professor.* Rhetor autem, ut notat Noster Cresolius, proprie dictus est Latinae eloquentiae professor, cum, qui Graece docebat, Sophistes diceretur. D. de excusat. *Grammatici, Sophistae, Rhetores*, etc. *a tutela requiem habent.* Cod. de studiis lib. urb. Rom. *Habeat igitur auditorium specialiter nostrum, in his primum quos Romanae eloquentiae doctrina commendat, Oratores quidem tres numero, Grammaticos vero decem: in his etiam qui facundia Graecitatis pollere noscuntur, quinque numero sint Sophistae, et Grammatici item decem.* Nihilo tamen secius tam Latinae quam Graecae facundiae doctores Rhetorum nomen habuerunt. Noster 1. de officiis: *Hinc Rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plataeis.* Suetonius Vespasian. 18: *Primus e fisco Latinis Graecisque Rhetoribus annua centena constituit.* Cod. Theod. de med. et pr. *Rhetores Atticae Romanaeque doctrinae.* Et sane tum Rhetoras, tum Sophistas apud Graecos Chrysostomus agnoscit in cap. 2. primae ad Corinth. *Καὶ σοφισταὶ, καὶ ῥήτορες, καὶ φιλόσοφοι, καὶ συγγραφεῖς.* Et in cap. 1. secundae ad Thessalonic. *Καὶ ποιηταὶ, καὶ ῥήτορες, καὶ σοφισταὶ, καὶ λογογράφοι πάντες.* Quare idem Cresolius cap. 2, lib. 1. Theatri Rhet. distinctionem inter Rhetorem et Sophistam aliunde derivat, *ut ῥήτωρ, cum quidem ad docendum refertur, sit politicae veluti eloquentiae professor, qui praecepta modo communia explicet, σοφιστὴς autem, qui praeterea plurimarum artium scientiam complectatur, et dictionem mirabilius exornet, omnibus luminibus pictam, flosculis et copia redundantem.* Id colligit ex Gregorio Nazianzeno, qui commendans Eudoxio Rhetori Nicobulum adolescentem, affinem suum, *Velim*, inquit, *eum a nobis accipias, τὸ μὲν ῥητορικὸν ἴριον τῷ πατρὶ χαριούμενος, τὸ δὲ σοφιστικὸν ἡμῖν. Rhetoricam quidem taeniam patri, Sophisticam autem nobis largiturus.* Sed adi Cresolium. Nobis enim, quod ad rem praesentem spectat, pauca de multis libasse suffecerit. Abram.

cui concessisti, ut in te, quae vellet, diceret. Sal-

Cui concessisti, ut in te, quae vellet, diceret] Alii, *ut non modo in te, quae vellet, sed in quem vellet, diceret.* optimi quique et vetustissimi libri a nobis faciunt. Mvr. *Vt in te, quae vellet, diceret*] Sic Pall. edd. quo antiquae, item Victoriana. at Lambiniana non una, *ut non in te, quae vellet, diceret; sed in quem vellet, diceret,* repraesentat in contextu; quod natum suspicor a male intellecto Ferrario. Grvt. *Cui concessisti, etc.*] Sexto Clodio. Legunt nonnulli: *Cui concessisti, ut non in te, quae vellet, diceret, sed in quem vellet, diceret.* Sed frustra sunt. melior vulgata: *Cui concessisti, ut in te, quae vellet, diceret.* Natus error ex scioli cuiusdam emendatione, qui ignarus morum Antonii, putabat eum, quod iracundior esset, dicteriorum non esse patientem. Quod longe secus erat. Antonius auctore Plutarcho multos quidem convitiis appetebat: *At iocorum et dicteriorum contumelia in seipsa remedium habebat. Licebat enim vicissim dicteria et contumelias reponere. Neque minus gaudebat, cum ridebatur, quam cum alios ridebat.* Quod Sext. Clodius Siculus probe intelligens se a iocis et dicteriis tum in Antonium, tum in Fulviam Antonii coniugem iaciendis non abstinebat. Tranquillus: *Male oculatus et dicax, par oculorum in amicitia M. Antonii triumviri extitisse se aiebat. Eiusdem uxorem Fulviam, cui altera bucca inflatior erat, acumen stili tentare dixit: nec eo minus, immo vel magis ob hoc Antonio gratus. A quo mox Consule ingens etiam congiarium accepit, ut ei in Philippicis Cicero obiicit.* Abram. Non erat vituperandus a Grutero Lambinus, sed huius repetitores, homines nullo numero, qui videntur quidquid erat ubique pessimum de industria collegisse. Hoc autem sumserant a P. Man. et Car. Steph. quos miror a tam inepta lectione ne Ferrarii quidem auctoritatem deterruisse. Lamb. a reliquis omnibus editis, et MSis suis, aliorum, et meis nihil discessit. Fuit aliquis, cui visum est sequentibus *in te, et in tuos* non satis haec respondere, *concessisti, ut in te quae vellet diceret:* itaque adscripsit hanc emendationem, *in quem vellet, diceret,* quae Suetonii libros, nescio quomodo, occupavit, veramque inde lectionem expulit, quos libros vel unus Vatic. satis refutaret. Hinc porro monstrum illud: cum Tullii verbis emendatio conflata; particulae *sed*, et *non*, ut ea simul cohaererent, additae. Sed statim Lamb. mutavit haud probe interpunctionem, adiecitque v. *est* ex uno Vatic. quod rectius aberat. Sic enim totum locum lego cum Cl. Hensing. et distinguo. *Et vero adhibes ioci causa magistrum, suffragio tuo, et compotorum tuorum Rhetorem, cui concessisti, ut in te, quae vellet, diceret, salsum omnino hominem: sed*

sum omnino hominem! sed materia facilis, in te et in tuos dicta dicere. Vide autem, quid inter te et

materia facilis, in te, et in tuos dicta dicere. Ita distinguunt ambo Barb. et Sueton. in ed. Burm. et parum differunt ante Lambin. editi, in quibus, *Rhetorem: cui etc. diceret: salsum etc.* Garaton. Errat Ern. quum existimet, ita Latinos loqui non posse, et scribendum esse *dicenti* aut *ad dicendum*, quo sane sensus totius loci sublatus esset. Plura enim addi deberent, si velles plenam habere sententiam et accurate expressam. Neque vero etiam suspicari debebat Ern. *dicta dicere* esse ab interpolatore, quae phrasis frequens est apud Cicer. Vid. Heusinger.

In te et in tuos] Qui vitiis et sordibus abundatis, ut facile sit in vos iocandi materiam invenire. Nam, ut dicitur 2. de Oratore: *Locus et regio quasi ridiculi turpitudine et deformitate quadam continetur. Haec enim ridentur vel sola, vel maxime, quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter.* Quod addit non turpiter, sumptum videtur ex Arist. 4. Eth. Nicomach. cap. 8: *Ingenui et eruditi ludus a servilis et imperiti ludo diversus est. quod etiam in antiquis novisque comoediis elucet. In illis enim ridiculum est verborum obscoenitas, in his obscoeni suspicio.* Abram.

In tuos dicta dicere] *Dicta* in quibusdam l. v. non est: quos ille, qui de clar. Rhet. scribit, comprobat: si tamen non mendose scriptus est. Is etiam hoc amplius, quod non, *In te quae vellet diceret*, sed, *In quem vellet diceret*, scriptum habet. I. Col. et Lang. impressos tuentur. Ferrarius. *Et in tuos dicta dicere*] Schottus noster cap. 12. abiiciendum censet *dicta*, aut *dicere* mutandum in *iacere*. Gruter. Haec lectio Schotto non placebat, at placuit Ciceroni 2. de orat. *Ne, quotiescunque potuerit dictum dici, necesse habeamus dicere.* Dictum autem dicere est nostratibus, *dire le mot.* Quid sit autem dictum, quid dicacitas, eodem libro pulchre explicatur: *Cum duo genera sint facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve, illa a veteribus cavillatio, haec altera dicacitas nominata est.* Subdit de Crasso: *Non enim fere quisquam reperietur, praeter hunc, in utroque genere leporis excellens, et illo, quod in perpetuitate sermonis, et hoc, quod in celeritate atque dicto est. Nam haec perpetua contra Scaevolam Curiana defensio tota redundavit hilaritate quadam et ioco, dicta illa brevia non habuit.* Item: *Dicere enim aiunt Ennium flammam a sapiente facilius ardente in ore opprimi, quam bona dicta teneat. Haec scilicet bona dicta, quae salsa sint. Nam ea dicta appellan-*

avum tuum intersit. Ille sensim dicebat, quod causae

tur proprio iam nomine. Plautus Captiveis actu 3, scen. 1:

Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus,
Quibus solebam menstruales epulas ante adipiscier.

Idem Sticho scen. *Quisnam:*

Ibo intro ad libros et discam de dictis melioribus.

Nonnunquam tamen *bona dicta* alio sensu capiuntur, ut in prologo Amphitruonis:

Verum profecto hoc petere me precario
A vobis iussit leniter dictis bonis.

Id est (interprete Lambino) blandis, sine contumelia verborum, sine maledictis. Sic Catullus ad Furium et Aurelium:

Pauca et nuntiate meae puellae
Non bona dicta.

Contra infesta dicta apud eundem de coma Berenices:

Non si me infestis discerpant sidera dictis.

Sed, ut ad lectionem receptam redeamus, dictum dicere est etiam in Planciana: *Admonuisti etiam, quod in Creta fuisset, dictum aliquod in petitionem tuam dici potuisse: me id perdidisse. Vter igitur nostrum est cupidior dicti? Egone qui, quod dici potuit, non dixerim, an tu qui etiam ipse in te dixeris?* I nunc, et contende legendum *dicta iacere.* Abram. Vide adnot. meam ad Cornel. Nep. fragm. V. 2. Parei Lex. Crit. p. 351. 352. Gesner. ad Quinctilian. VI. Inst. 3. 36. Hinc satis apparebit, Atticismum hunc Cicerone non indignum esse, ut Schotto Nod. Cic. I. 12. visum est. Heusing. Schotti aetate apud Sueton. quoque *dicta* legebatur, cum eum ad Tullii edd. multi emendassent: sed abest ab eius MSis, et edd. vett., quas vidit Ferrarius. Recte omnes libri Tulliani, paucis exceptis, quos ne nominatim quidem Ferr. appellat, id retinent, ut omnes II. de Orat. 60. et pro Planc. 34.

Avum tuum] M. illum Antonium Oratorum clarissimum. Abram.

Quod causae prodesset] Ipse Antonius Orator apud Tullium secundo de Oratore ita declarat suam dicendi rationem: *Mea autem ratio in dicendo haec esse solet, ut boni quod habeat* (causa) *id amplectar, exornem, exaggerem, ibi commorer, ibi habitem, ibi haeream: a malo autem vitioque causae ita recedam, non ut id me defugere appareat, sed ut totum bono illo ornando et augendo dissimulatum obruatur.* Subdit: *Confiteorque me, si quae premat res vehementius, ita cedere solere, ut non modo non abiecto, sed ne reiecto quidem scuto fugere videar: sed adhibere quamdam in dicendo speciem atque pompam, et pugnae similem fugam: consistere vero in meo praesidio sic, ut non fugiendi hostis, sed capiendi loci causa cessisse videar.* Et paucis interiectis: *Non tam ut*

prodesset; tu cursim dicis aliena. At quanta merces data est rhetori? Audite, audite, Patres conscripti, et cognoscite rei publicae vulnera. Duo millia iugerum

prosim causis elaborare soleo, quam ut non obsim: non quin enitendum sit in utroque, sed tamen multo est turpius oratori nocuisse videri causae, quam non profuisse. Sed vide plura in hanc sententiam, et adde verba Ciceronis in Bruto: *Omnia veniebant Antonio in mentem: eaque suo quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possent, ut ab Imperatore equites, pedites, levis armatura, sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio, imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur, sed ita erat paratus, ut iudices illo dicente nonnunquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse.* ut merito Iulius Caesar eum 2 de Orat. sic alloquatur: *Ego mehercule, inquit, Antoni, semper is fui, qui de te oratore sic praedicarem, unum te in dicendo mihi videri tectissimum, propriumque hoc esse laudis tuae, nihil unquam a te esse dictum, quod obesset ei pro quo diceres.* Hinc est igitur, quod eum Noster *sensim*, id est, caute et circumspecte dixisse ait, quod causae prodesset. Idem.

At quanta merces] Commode postquam Antonium insulsum oratorem esse, parumque in Rhetorica profecisse docuit, ad mercedem Rhetori datam delabitur. Idem. Ienens. *At quanta merces data est Rhetori.* Heusing. Apud Sueton. sic Oudend. *At quanta m. R. est data? audite, audite, P. C.* sed Burman. *At q. m. R. est data, audite, P. C.* quomodo etiam Cuperus ad Petron. cap. CXIX. p. 716. hunc locum adfert, et ante utrumque Savaro ad Sidon. V. Epist. 7. p. 334. nisi quod is iterat *audite:* qui porro hanc magistrorum mercedem illustrat. Non inepte profecto faceret, si quis ita legeret. *At, quanta merces data est Rhetori, audite: audite, P. C. et cognoscite reip. vulnera.* Similes locos aliquot habes apud Heuman. et me ad c. 18. pro Mil. Garaton.

Audite, audite] Renovat attentionem, ut in re magna, et modo ad Antonium, modo ad Senatores convertit orationem, quasi dubius, ad quos potissimum se convertat, ut in sollicitudine, vel etiam in indignatione fieri consuevit. et profusam hanc largitionem reipublicae vulnus appellat, quod ea facta non fuerit sine magno reipublicae dispendio. Abram.

Reipublicae vulnera] Infra eodem sensu et eadem in re, *infligi magnum reipublicae vulnus putabamus.* Eodem sensu Pindarus Ode 4. Pythiorum epodo 12. *reipublicae vulnus* appellat his verbis:

campi Leontini Sex. Clodio rhetori assignasti, et qui-

Χρὴ μαλακὰν χεῖρα προσβάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν.
Ῥᾴδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖσαι καὶ φαυροτέροις. ἀλλ' ἐπὶ χώρας αὖθις ἕσσαι δυσπαλὲς
Δὴ γίνεται ἐξαπίνας,
Εἰ μὴ θεὸς ἁγεμόνεσσι κυβερνατὴρ γένηται.

Oportet mollem manum admoventem os vulneris tractare. Facile enim urbem concutere etiam imbecillioribus, sed in sedem rursum collocare difficile sane est repente, nisi Deus principibus gubernator fuerit. Idem.

Duo millia iugerum] *Iugera*, o. L. v. Ferr. Sic et Graev. *duo milia iugera.* Graev. Etiam Barb. ambo *iugera.* Sed firmant *iugerum* omnes editi, Vat. Suetonius; denique similis locus III. 9. et alius infra c. 39. quod est optimum. III. in Verr. 47. *pluribus millibus medimnum venisse decumas agri Leontini, quam quot milia iugerum sata erant in agro Leontino:* ubi Gruterus reprehenditur, quod *iugera* ediderit. Ibid. 49. *ad iugera XXX. milia:* Hottom. emendabat *iugerum.* Livius VII. 16. dixit etiam *mille iugerum*, ubi vide omnino Drak. Garaton.

Campi Leontini] Sext. Clodius Siculus fuit. Campus Leontinus in Sicilia dictus ab urbe Leontio, cuius meminerunt Plinius et Ptolemaeus: is autem ager fuit Siciliae totius uberrimus. M. Tullius Frumentaria in Verrem: *Aetnensis vero ager, qui solebat esse cultissimus, et, quod caput est rei frumentariae, campus Leontinus, cuius antea species haec erat, ut, cum obsitum vidisses, annonae caritatem non vererere, sic erat deformis atque horridus, ut in uberrima Siciliae parte Siciliam quaereremus. labefactarat enim vehementer aratores iam superior annus, proximus vero funditus everterat.* Iam si fuit uberrima Siciliae pars, facile vides, quantum Antonius hac largitione reipublicae vulnus inflixerit. Nam, ut auctor est Polybius de Sicilia scribens, καλοῦσι δ' αὐτὴν ταμεῖον τῆς Ῥώμης. *Siciliam vocant urbis Romanae cellam penariam.* Noster Verrina de iurisdict. Siciliensi: *Ille M. Cato sapiens cellam penariam reipublicae nostrae, nutricem plebis Romanae, Siciliam nominavit. Nos vero experti sumus, Italico maximo difficillimoque bello, Siciliam nobis non pro penaria cella, sed prae aerario illo maiorum vetere ac referto fuisse.* Abram.

Assignasti] Proprie assignari dicuntur agri, qui colonis dividuntur. Brutus apud Ciceronem lib. 11. epist. ad famil. *Aequaliter aut sorte agros legionibus assignari puto oportere.* Idem.

Et quidem immunia] Libera ab omni servitute, decumis et aliis eiusmodi vectigalibus non obnoxia. Frumentaria: *Foederatae civitates duae sunt, quarum decumae venire non soleant,*

dem immunia, ut populi Romani tanta mercede

Mamertina, et Taurominitana: quinque praeterea sine foedere immunes civitates ac liberae, Centuripina, Halesina, Segestana, Haliciensis, Panormitana: praeter ea omnis ager Siciliae civitatum decumanus est. Quare campus Leontinus immunis non erat, sed decumanus, et quod facile crediderim ex eo genere, quod proxime ante scribitur: *Perpaucae civitates sunt bello a maioribus nostris subactae: quarum ager cum esset publicus populi Romani factus, tamen illis est redditus. Is ager a censoribus locari solet.* Imo videtur remansisse publicus is ager, nec redditus fuisse Leontinis, tum ob ubertatem eximiam, tum quod infra perinde atque Campanus *in populi Romani patrimonio* censeatur. Agros autem huiusmodi etiam in Sicilia quosdam reservatos fuisse liquet ex 2 Agraria: AVCTIONIS PARS EA QVAE AD SICILIAM PERTINET. *Nihil est in hac provincia, quod aut in oppidis, aut in agris maiores nostri proprium nobis reliquerint, quin id venire iubeat. Quod partum recenti victoria maiores vobis in sociorum urbibus ac finibus, et vinculum pacis, et monumentum belli reliquerunt, id vos ab illis acceptum hoc auctore vendetis?* E quibus videas etiam in Sicilia quosdam agros fuisse, nec eos omnes Siculis redditos ea conditione, ut fierent decumani: ac proinde locum e frumentaria laudatum de maxima parte, non de agris omnibus esse capiendum. Quae porro dicantur immunia, liquet ex agraria: *Optimo enim iure ea sunt profecto praedia, quae optima conditione sunt. Libera meliore iure sunt quam serva. Capite hoc omnia, quae serviebant, non servient. Soluta meliore in caussa sunt, quam obligata. Eodem capite obligata omnia, si modo Sullana sunt, liberantur. Immunia commodiore conditione sunt, quam illa quae pensitant. Ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, quia a municipio fundum accepi: si a Sulla mihi datus esset, Rulli lege non penderem.* E quibus intelligis, agros immunes eos esse, qui ab omni vectigalium pensitatione liberantur. IDEM.

Vt populi Romani tanta mercede] Ita omnibus litteris scriptum est in illo nunquam satis laudato libro. est autem ita dictum, *tanta mercede*, ut apud Catullum, *magno cum pretio atque malo.* exempla crebra sunt apud optimos utriusque linguae auctores. MVRETVS. *Pro* recte omittit Suetonius: Vatic. *ut populi Romani tanta mercede*, quod Mureto probatum, Latinius, et gravius. Non sua enim, sed populi Rom. mercede nihil sapere discebat. Ex P. Ro. factum est *pro.* Supra c. 4. *qui te tanta mercede nihil sapere doceat.* Ita saepe alibi. HERVAING. Miratus

nihil sapere disceres. Num etiam hoc, homo audacissime, ex Caesaris commentariis? Sed dicam alio loco et de Leontino agro et de Campano: quos iste agros

sum vehementer, Lambinum, Graevium, alios, et omnes, Heusing. excepto, recentiores egregiam Vaticani lectionem contempsisse, neque saltem, quod erat proximum, *pro* delevisse, ut faciendum censuit Cl. Oudend. ad Sueton. l. c. similem locum faciens illi superiori c. 4. Vestigium notarum superest in Barb. primo punctum apponente post *pro*. Firmant *populi Rom.* sequentia, *quos iste agros ereptos reip. etc.* et illa praecipue, quae III. 9. leguntur. *Eu cur magister eius, ex oratore arator factus, possideat in agro publico populi Romani campi Leontini duo milia iugerum immunia, ut hominem stolidum magis etiam infatuet mercede publica.* Sic autem ex *populi Romani* factum est *pro* in multis Caesaris MSis I. B. Civ. 9. et in uno Epit. Liv. XV. Contrario errore Vaticanus ipse infra X. 3. dedit, *populus Romanus amicitia*, cum dare debuerit, *pro amicitia*. Eumdem supra I. 13. *pro* habere vidimus loco *populi Romani:* et infra XI. 8. ubi est *pro rep.* idem habet *populi Romani ore publica*, ex litteris ita divisis, P. R. *o re p.* GARATON. Ern. et Schütz. *pro* omiserunt.

Nihil sapere] Supra: *Iam invideo magistro tuo, qui te tanta mercede, quantam iam proferam, nihil sapere docuit.* Nazianzenus ep. ad Eustochium Sophistam, quae 55 numeratur: Καὶ οὐκ ἐπιβουλεύσετε μὲν ὑμῖν αὐτοῖς, ἐπιβουλεύσετε δὲ τὰς τῶν νέων ἐλπίσιν, οἳ πάντως ἂν τὰ δεινότατα πάσχοιεν, εἰ λόγους ἀσκούμενοι κακίαν μάθοιεν, καὶ ταύτην οὐκ ἄμισθον. *Ne vobis ipsis, ne iuvenum spei insidias comparate, qui profecto gravissima iniuria afficientur, si litterarum studia colentes vitium addiscant, et quidem non sine mercede.* Themistius in Basaniste: Ἰχθύων μὲν ἔσονται ἀναυδότεροι, μισθὸν δ' ὅμως εἰσπράξεται ὁ διδάσκαλος τῆς ἀφωνίας, etc. *Magis erunt muti quam pisces, nihilo tamen secius mercedem pro loquendi impotentia exiget magister.* ABRAM.

Num etiam hoc] Quemadmodum alia ex Caesaris Commentariis te facere simulasti: *Cuius domus quaestuosissima est falsorum commentariorum et chirographorum officina, oppidorum immunitatum, vectigalium flagitiosissimae nundinae.* supra. Audacissimum vocat, quod id dicere non posset sine impudentissimo mendacio. IDEM.

Dicam alio loco de Leontino agro, et de Campano] *Et de Leontino agro*, o. l. v. quod placet. FERRARIVS. His accedit Barb. uterque, et Vaticanus. GAR.

Quos iste agros] Teeg. quis

ereptos rei publicae, turpissimis possessoribus inquinavit. Iam enim, quoniam criminibus eius satis respondi, de ipso emendatore et correctore nostro quaedam dicenda sunt. Nec enim omnia effundam, ut, si saepius decertandum sit, ut erit, semper novus veniam: quam facultatem mihi multitudo istius vitiorum peccatorumque largitur.

XVIII. Visne igitur te inspiciamus a puero?

istos agros, Gud. 2. *qui hos agros*. utrumque vitiosum.

Ereptos reipublicae] Cum prius in populi Romani patrimonio censerentur. Abr.

Turpissimis possessoribus] Agrum Leontinum medico et rhetori: agrum Campanum compransoribus suis et collusoribus divisit. Mimos et mimas in agro Campano collocavit. infra. Idem.

Iam enim] Transitio ad insectationem M. Antonii. superius dixerat: *Et pro me aliquid, et in Antonium multa dicenda sunt.* Neque hic se multa negat esse dicturum, sed quaedam ait, ut ostendat, sibi uberrimam dicendi materiam esse, ut, cum multa dixerit, plura supersint. Idem.

Emendatore, et correctore] Vide locos similes apud Bentleium ad Horat. I, Epist. 15, 37. Gab.

Semper novus veniam] Hunc locum explanans Petrus Victorius lib. 21. Variar. lect. c. 17: *Novum oratorem*, inquit, *Cicero quandoque appellavit eum, qui in simili vel potius eodem argumento nova quaedam anteaque inaudita afferret, non qui prius auditus non foret.* Profert et alium locum ex Bruto: *Maxime vero perspecta est utriusque nostrum exercitatio paulo ante, quam perterritum armis hoc studium, Brute, nostrum conticuit subito et obmutuit: cum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius easdem, novi veniebamus quotidie.* Item illud Dionysii Halicarnassei de Lysia: *Οὗτος δὲ καινὸς ὁ ῥήτωρ ἐςὶ καθ' ἕκαςον τῶν λόγων. Hic autem singulis orationibus est novus orator.* Abram.

Visne igitur] Communicatio rhetorica, qua ordinem orationis fingit se arbitrio adversarii committere. Idem.

A puero] Frequentes huiusmodi insectationes vel a pueritia, vel a toga pura repetitae. In Verrem de praetura urbana: *Primum illum actum istius vitae turpissimum et flagitiosissimum praetermittam: nihil a me de pueritiae suae flagitiis audiet: nihil de illa impura adolescentia sua: quae qualis fuerit, aut meministis, aut ex eo, quem sui simillimum pro-*

Sic opinor. A principio ordiamur. Tenesne memoria, praetextatum te decoxisse? Patris, inquies, ista culpa est. Concedo. Etenim est pietatis plena defensio.

duxit, *recognoscere potestis.* Libro 7. ad Attic. epist. 8: *Habebamus autem in manibus Antonii concionem, habitam x Kalend. Ianuar. in qua erat accusatio Pompeii usque a toga pura, querela de damnatis, terror armorum.* In Vatin. *At illud tenebrosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere: licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis*, etc. Sic Æschinem inspicit a puero Demosthenes oratione de corona: *Cum puer esses, educatus es in multa egestate*, etc. *Postquam autem in populares adscriptus es, quocunque tandem pacto (hoc enim in medio relinquo) postquam adscriptus es.* Sic Nazianzenus Iulianum steliteutica priore, (verba omitto) sic Calenus Ciceronem apud Dionem initio libri 46. Sed nos alio properemus. Abram.

Sic opinor: a principio ordiamur] Plus acuminis, et fellis habebit oratio, si ita interpunges: *Sic, opinor, a principio ordiamur.* Si te a puero inspiciamus, tum demum a principio ordiamur. Nam et pueritia tua omnibus vitiis inquinata fuit: non adolescens demum corruptus fuisti. Heusing.

Tenesne memoria] Primum Antonii crimen in pueritia susceptum, quod contra Rosciam legem, cum decoxisset, in quatuordecim ordinibus spectaverit. Sed hic adverte artificium singulare. Primo exprobrat illi fortunam, quod puer adhuc decoxerit, id est, ad tantam redactus fuerit inopiam, ut patrimonio cesserit, cum solvendo non esset. Quia tamen, ut notat Demosthenes, alteri obiicere fortunae calamitatem, quae cuilibet evenire potest, in eo non insistit, sed a fortunae malis ad animi mala, id est, ad impietatem et audaciam Antonii traducit orationem. Abram.

Praetextatum] Cum nondum decimum quartum aetatis annum attigisses, sed adhuc indutus esses praetexta puerili. Qui nodum in scirpo quaerunt, dicere possent, *praetextatum* ambigue dici de industria. Praetextatus enim dici potest tam qui gerit praetextam, quam qui est aperte impudicus, qua etiam Iuvenalis amphilogia luserit Sat. 1:

— *et praetextatus adulter.*

et Sat. 2. de Armenio quodam cunctis ephebis molliore:

Sic praetextatos referunt Artaxata mores.

Suetonius in Vespasian. cap. 22: *Erat enim dicacitatis plurimae, et sic scurrilis ac sordidae, ut ne praetextatis quidem verbis abstineret.* Festus: *Praetextatum sermonem quidam putant dici* (per antiphrasim videlicet) *quod praetextatis nefas sit obscoeno verbo uti. Alii, quod nubentibus depositis praetextis a*

multitudine puerorum obscoena clamentur. E quibus vides, quam suaviter Paulus Festum corruperit, dum huius sententiam his verbis expressit, *Praetextatum appellabant sermonem, qui nihil obscoenitatis haberet.* Praetextatus igitur eo sensu dici potuit Antonius, quod primam pueritiam probris et infamia traduxerat. Sed, ut reor, de hac amphilogia Tullius ne cogitavit quidem. Idem.

Decoxisse] Cessisse bonis paternis, omnesque divitias quasi succum perdidisse, instar arborum, quae succum suum et humorem vitalem amittunt, et solis ardore decoquuntur. Idem.

Patris, inquies, ista culpa est] Huic obiectioni meae respondebis: Mea culpa non est, sed patris mei. Non enim ego, sed pater meus vivendo luxuriose patrimonium abligurivit, et tam grande aes alienum contraxit, ut bonis cedere coactus fuerim, cum non possem aes illud alienum dissolvere, fidemque meam a paternis creditoribus liberare. Pater est ille M. Antonius Creticus tam dissolutus nepos, ut ne tabulas quidem rationum conficere crederetur. Cicero libro 3 in Verrem: *Audimus aliquem tabulas nunquam confecisse: quae opinio hominum de Antonio falsa.* Vbi Asconius: *Hic est Mar. Antonius dissolutissimus curator orae maritimae, Cretae mortuus,* etc. quem Sallustius ait *perdundae pecuniae genitum, et vacuum a curis nisi instantibus.* Vt Orator Antonio filio dissolutionem patris his verbis obiecerit: Patris, inqvies, ista cvlpa est. Antonii pater fuit *Antonius Creticus, vir*, ut est apud Plutarchum, *non ita quidem splendidus et illustris in republica, vir bonis tamen et commodis moribus, tum potissimum in largiendo liberalis, ut ex uno eius facto facile cognosci potest: cum enim magnas divitias haudquaquam possideret, et eam ob rem ab uxore liberalitatem exercere prohiberetur, contigit, ut familiaris quidam ad eum pecuniam petens accederet. Deficiente pecunia, servulo mandavit, ut aquam in vas argenteum infunderet, ad seque deferret. Quo allato quasi barbam rasurus mentum rigavit, et servulum alio praetextu abs se dimisit. Amico vasculum dedit iubens, ut eo pro suo commodo uteretur. Cum autem, quid eo vasculo factum esset, diligenter inter domesticos quaereretur, uxorem graviter stomachari videns, et de singulis velle habere quaestionem, factum confessus est rogans, ut illa sibi ignosceret.* Haec Plutarchus, paulo liberalius et benignius quam Orator, vel etiam ipse Antonius. Abram. In Ien. *ista* deest, qui paullo post: *etenim pietatis* (ironia: pius enim filius pudorem defuncti patris suscipit, secus quam Antonius) *plena est defensio.* Ex isto verbi positu ita variante suspicor, *est enim.* Heusing.

Concedo] Antonii defensionem admittit: ne, si, ut iam monui, acrius in illud non morum, sed

Illud tamen audaciae tuae, quod sedisti in quatuordecim ordinibus, quum esset lege Roscia

fortunae crimen insistat, frigida videatur oratio. Abram.

Pietatis] Ironia, qua vehementius pungit et cruentat Antonium, quam si aperte responsionis illius impietatem exprobraret. Idem.

Illud tamen] Lex Roscia theatralis a L. Roscio Othone Tribuno plebis lata, ne quis spectaret in quatuordecim primis graduum ordinibus, qui proxime ad orchestram et podium accedebant, nisi si esset ingenuus ab ingenuo patre et censum equestrem, id est, quadringenta sestertia possideret. Iis autem ex senatorio vel equestri ordine natis, qui sive suo sive fortunae vitio decoxerant, neque iam censum equestrem obtinebant, peculiarem locum constituit. Ex hoc igitur capite Antonii carpit audaciam, quod legem Rosciam praefracte violarit, et sederit in quatuordecim, cum decoxisset. Atque ut huius loci numerum paucis attingamus, vides, hoc loco membra incisis mira concinnitate misceri, et tandem membrorum quatuor ambitu terminari, sive, ut loquitur noster in Oratore: *Omnia tanquam crepidine quadam comprehensione longiore sustineri. Visne igitur te inspiciamus a puero?* membrum est, quod pene ad hexametri longitudinem accedens, duobus choriambis incoeptum anapaesto finitur. Sequitur incisum uno dichoraeo contentum. *Sic opinor*. Sequuntur tria membra: quorum extrema duo sunt hexametro breviora, medium paulo etiam longius, quam versus heroicus extenditur:

A principio ordiamur.
Tenesne memoria, praetextatum te decoxisse?
Patris, inquis, ista culpa est.

Excipit incisum, *concedo*, post membrum inchoatum a duobus anapaestis, ut aures magis feriant et adversarii mentem percellant, limitatum spondaeo et dochimo, ut spondaeus orationi pondus addat, dochimus aliquid amoenitatis impertiat. Tandem huic multiplici structurae longior ambitus et circumscriptio verborum quasi fastigium imponitur:

Illud vero audaciae tuae,
quod sedisti in quatuordecim ordinibus,
cum esset lege Roscia certus locus decoctoribus constitutus,
quamvis quis fortuna vitio, non suo, decoxisset.

Vides, circumscriptionem hanc a duobus heroico versu minoribus membris exorsam duobus grandioribus terminari, singula membra per productas initio syllabas plures continuari, ut iis veluti cuidam fundamento insistant, varie finiri, et hunc membrorum finem quasi quibusdam gradibus sensim ad culmen assurgere. *tuae* iambus est, qui minimum habet dignitatis, *ordinibus* paean primus aliquanto sublimior, si nu-

merum syllabarum spectes, si mensuram, non adeo grandis, *constitutus*, dichoraeus iambo quidem et paeane quidem grandior, nondum tamen sublimis, sed quadam amoenitate temperatus. *Decoxisset*, dispondaeus magnificus plane et gravis totam circumscriptionem sustentans. ABR.

Sedisti] Iam alibi, ni fallor, monuimus, antiqui moris fuisse, ut starent in spectaculis, et Scipionem Nasicam theatri subsellia sustulisse, vel potius ipsum theatrum. καθεῖλε τὸ θέατρον, inquit Appianus 1. civilium. Adde quod, ut testatur Valerius Maximus libro 2. de spectaculis; *Senatusconsulto cautum est, ne quis in urbe propiusve passus mille subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet, ut scilicet remissioni animorum iuncta standi virilitas propria Romanae gentis nota esset.* Paulo post tamen mos sedendi revocatus. Plutarchus in Sulla: *Contigit, ut iuxta Sullam sederet mulier facie honesta et liberali.* Cuius moris apud Nasonem et alios multa vestigia. Lepidum illud apud Martialem lib. 5:

Sedere primo solitus in gradu semper
Tunc cum licebat occupare, Manneius,
Bis excitatus, terque transtulit castra,
Et inter ipsas paene tertius sellas,
Post Caiumque Luciumque consedit.
Illinc cucullo prospicit caput tectus,
Oculoque ludos spectat indecens uno.
Et hinc miser deiectus in viam transit,
Subsellioque semifultus extremo
Et male receptus altero genu, iactat
Equiti sedere, Leotioque se stare.

Ausonius ludo septem sapientum:

Lumbi sedendo oculique spectando dolent.

Vide et Ciceronis dictum in Laberium mimum in Macrobio 2 Saturnal. cap. 3. Procedente tempore, ut mollius sederent, a Caio Caesare Caligula, ut auctor est Dio: *Pulvilli tunc primum Senatoribus, ne nudis asseribus insiderent, subiecti, et pileos Thessalico more in theatra inferre iis concessum, ne insolatione torquerentur.* Senatoribus? immo et Equitibus. Iuvenalis Sat. 3:

— Exeat, inquit,
Si pudor est, et de pulvillo surgat equestri,
Cuius res legi non sufficit.

ABRAM.

In quatuordecim ordinibus] Quatuordecim gradus in theatro infimi et orchestrae proximi Roscia lege fuerunt Equitibus destinati, vetitumque, ne quis plebeius huiusmodi gradus occuparet. Vetus interpres Horatii ad illa epodi verba in Maenam sive Maenodorum, libertum Sexti Pompeii:

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.

Otho, inquit, *quatuordecim gradus in theatro equiti separarat, ex quibus primi tribunitiis potestatibus vacarent.* Hinc huiusmodi gradus modo equestria, modo quatuordecim, modo ordines nominati. Dicti etiam quatuordecim, quod is revera graduum numerus esset Equiti destinatus. Seneca: *At mehercule multis quatuordecim gradus sunt clausi, non omnes curia admittit.* Sub Augustis tamen ita excrevit equestris ordo, ut non solum quatuordecim illos gradus, sed interdum totam caveam occuparet, ut Lipsius animadvertit. Calpurnius de ludis Carini:

Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter foemineas spectabat turba cathedras.
Nam quaecunque patent sub aperto libera coelo,
Aut Eques, aut nivei loca complevere Tribuni.

Ordines dicit Martialis:

Et puros eques ordines recepit.

Quare non displicet vulgata lectio, *Sedisti in quatuordecim ordinibus.* etsi quidam vocem *ordinibus* oblitterandam putarint. Idem. Faërnus, et Lambinus expunxerunt *ordinibus.* Sed Muretus retinuit, qui itidem usus est Vaticano codice. Graevius. Mihi vero melius abesse videtur *ordinibus.* Suetonius in Caes. xxxix. *sessum in quatuordecim e scaena per orchestram transiit:* ubi multi libri, *in* xiv. *scamna,* quod manifestum glossema esse, omnes consentiunt, et ostendit Casaubonus adducto simili Petronii loco cxxvi. Sed in Vaticano adest utique *ordinibus.* Garaton.

Lege Roscia] Theatrali, quam tulit Luc. Roscius Otho, Cicerone et Antonio Consulibus. Vide orat. pro Murena. Plutarchus in Cicerone: *Cum prius equites in theatro mixti multitudini et cum plebeiis spectarent, ut casus tulerat, primus Marcus Otho Praetor in honorem equestris ordinis Equites a reliquis civibus discrevit, iisque proprium spectandi locum tribuit, quem ad hoc usque tempus eximium habent.* Hoc loco, nisi me Plutarchi reverentia prohiberet, censoriam virgulam apponerem, et obiter tria notarem. Primum, Othonem Rosciae legis auctorem non Marci, sed Lucii praenomen habuisse, ut patet vel ex ipso Cicerone. Alterum, Roscium Othonem non videri primum fuisse, qui equestria a popularibus discreverit, non enim primum concessus honestissimo ordini, sed, ut auctor est Cicero, *cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus.* Tertium est, Othonem hunc, dum legem ferret theatralem, a Plutarcho Praetorem, a Livio epitome 99. Tribunum plebis, ab Asconio commentationibus in orationem pro C. Cornelio maiestatis reo Consulem nominari. Sed a Livio standum: neque enim Asconii cohaerere potest oratio: qui verba Ciceronis, *Quamdiu quidem hoc animo erga vos plebs erit, quo se ostendit esse, cum legem Aureliam,*

decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunae vitio, non suo decoxisset. Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem togam reddidisti.

vum Rosciam non modo accepit, sed etiam efflagitavit, de Roscia theatrali intelligit. Hui! Rosciam theatralem non modo plebs accepit, sed etiam efflagitavit?

— Credat Iudaeus Apella,
Non ego —

quippe cui persuasum sit, quod Plutarchus refert, plebem tam indigne tulisse hoc discrimen, ut legis auctorem in theatrum venientem initio sibilis exceperit, donec tandem a Cicerone Consule placata indignationem in plausum convertit. Plinius lib. 7, cap. 30. persequens gesta Ciceronis in Consulatu, eumque compellans: *Te suadente, Roscio theatralis auctori legis ignoverunt, notatasque se discrimine sedis aequo animo tulerunt.* Quid quod hanc legem Pedianus biennio latam fuisse dicit ante, quam Cicero Cornelium defenderet, id est, quatuor annis ante Consulem Ciceronem? cui Plutarchus et Plinius refragantur, dum plebem Ciceronis Consulis oratione pro Roscio placatam fuisse testantur. Quid denique quod nemo fuit Roscius Consul iis temporibus, ut ex omnibus Fastis apparet? Neque etiam praetor videtur fuisse. Haec enim lex vera fuit, quae etiam mutata republica, sub Augustis suam obtinuit auctoritatem, ut ex Horatio constat, Iuvenale, Plutarcho: at Praetoriae leges sive edicta non diuturniorem quam annuam vim obtinebant. Cicero in Verrem de Praetura urbana: *Qui plurimum tribuunt edicto Praetoris, edictum legem annuam dicunt esse. Tu edicto plus complecteris quam lege. Si finem edicto Praetoris afferunt Kalendae Ianuarii, cur non initium quoque edicti nascatur a Kalendis Iunuarii?* Sed haec satis. De ceteris Rosciae legis capitibus vide dicta pro Sextio cap. 51. ad illa verba, *Cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit.* Adverte tantum, in hac lege nullam sexus aut aetatis, sed ordinis habitam fuisse rationem. Nam etiam post legem Rosciam viri cum mulieribus sessitarunt, ut ex Ovidio liquet lib. 3. Amorum elegia 2, primo de arte, et 2. Tristium elegia ad Augustum, et aliis passim. Et Augustus apud Tranquillum cap. 44: *Militem secrevit a populo: maritis e plebe proprios ordines assignavit: praetextatis cuneum suum, et proximum paedagogis*, etc. Quare etiam praetextato Antonio per Rosciam legem in quatuordecim ordinibus sedere licuisset, nisi fuisset decoctor. Ann.

Decoctoribus certus locus constitutus] Merito. Nam ut diximus in Sextiana ad cap. 51. Roscius in assignandis locis non

solius ordinis, sed etiam census et fortunae putavit habendam esse rationem. Nullam tamen praeterea extat huius rei vestigium: ac proinde hic locus notandus diligenter. Simile quid tamen Spartianus agens de constitutionibus Adriani: *Decoctores bonorum suorum, si suae auctoritatis essent, catamidiari in amphitheatro et dimitti iussit.* catamidiari, καταμειδιᾶσθαι, *irrideri, traduci, exsibilari, explodi.* Simile ludibrii genus sunt Budaeus in Pandectas, et Gregorius Tolosanus lib. 22. Syntagm. iuris cap. 8. illud esse, *quo polygami afficiuntur, id est, qui multis uxoribus eodem tempore abutuntur, cum mitellati in scalario suggestu lascivientis plebeculae scurrilitates obaudire coguntur. Mitrari id appellant.* Etiamnum infamia quaedam decoctoribus irrogatur, cum nudato ano insidere lapidi coguntur, ut refert Guido Pappaeus ex consuetudine Curiarum Lugdunensium et aliorum locorum. Huc etiam spectat galeri viridis nota, de qua pro Coelio: *Ne foenore trucidetur.* Huc ille cophinus Boeotorum, de quo ibidem ex Nicolao Damasceno. Nec aliam fortasse ob causam decoctoribus zona adimitur in bonorum cessione, quam ut notentur eorum mores fluxi et dissoluti, quamvis Gregorius ibidem hanc zonae solutionem citra infamiam fieri putet, nihilque aliud indicari velit, quam eos, qui bonis cesserunt, se omnibus omnino bonis exuisse. Pecuniam enim gestabant olim in zonis. C. Gracchus oratione habita, cum e Sardinia rediit: *Itaque, Quirites, cum Roma profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Haec verba in noctibus Atticis lib. 15, cap. 12. referuntur. Spartanus in Nigro quasi inusitatum id refert: *Iussit, ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent, recepturi post proelia.* Contra Aurelianus quadam epistola apud Vopiscum: *Stipendium in baltheo, non in popina habeat.* Hinc intelligas illud Matth. 10, vers. 9: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Abr.

Quamvis qui fortunae vitio, non suo decoxisset] *Quamvis quis*, l. Col. quod placet. Ferrarius. Ienens. *qui* pro *quis*, ut supra c. 13. Heusing. Primus Naugerius dedit *quis*, eumque sequitur Gryph. P. Man. et omnes postea. Praetulit tamen *qui* Barbadorius, et ita Rom. Ven. Ald. et Hervag. atque adeo Barb. uterque. Sed *quis* firmat Vaticanus. Gar.

Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti] In antiquo libro ita legitur, *sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti.* quam lectionem valde probamus. nam toga meretricum erat, stola matronarum. virilem autem vel absolute dictum accipiemus, vel dictio *togam* ex inferioribus subaudienda erit. Faernus. *Sumsisti virilem, quam*

statim muliebrem togam reddidisti] Aliud si nihil in hac oratione emendassem, quam hunc locum, operam tamen praeclare a me positam indicarem. quis est enim eorum, qui has litteras tractant, cui nunquam venerit in mentem, eum aliter legendum esse, quam ita, uti vulgo ante nos legebatur? *Sumsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti.* quae tamen scriptura quam prava, quamque vitiosa sit, spero cognituros esse omnes, qui totam rem accurate consideraverint. Hoc enim ait Cicero, Antonium, ubi primum togam puram, seu, quod idem est, virilem sumsit, (quod fieri solitum, cum pueri ad annum XVII. pervenissent, omnes sciunt) primo quidem prostitisse ad libidinem omnium, et quasi diobolarem aliquam meretriculam omnes omnium impuritates corpore suo excepisse: postea vero, repudiatis ceteris, uni Curioni morigerum atque obsequentem fuisse, uni fecisse copiam sui, cum ab eo prope in uxoris loco haberetur. Primum illud tempus notat, cum ait, *Sumsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti.* Quae enim mulieres vulgo patebant, venalemque habebant pudicitiam, eae ignominiae causa, ut ab aliis internoscerentur, togam ferebant, non, ut matronae, stolam. Horatius:

— *quid inter-*
Est, in matrona, ancilla peccesne togata?

Idem:

— *atque etiam melius persaepe togatae.*

At de matrona loquens, stolam nominat:

— *quid vis tibi? nunquid ego a te*
Magno prognatum deposco consule cunnum,
Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?

Et in eadem Satyra:

Ad talos stola demissa, et circumdata palla.

Sed et adulterii damnatae impudicitiam profiteri cogebantur, et togam gestare. unde est illud Martialis:

Coccina famosae donas, et hianthina moechae.
Vis, mage quae meruit, mittere? mitte togam.

Et illud eiusdem:

Thelyn viderat in toga spadonem:
Damnatam Numa dixit esse moecham.

Cum igitur toga meretricum esset, matronarum stola: constat, ad exprimendum illud tempus, quo Antonius meretricum more prostabat, stolae nomen aptum non esse. at postea, ubi tanquam nupsisse Curioni dicitur, et apposite in primis, et salse adhibitum est stolae vocabulum: *Sed cito, inquit, Curio intervenit, qui te a meretricio quaestu abduxit, et tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili et certo locavit.* Est autem hic locus in eo libro, qui nobis ad has emendationes dux fuit, ita ut eum ipsi edidimus, plane ac sine ulla vel minima liturae suspicione scriptus. MVRETVS. *Quam*

statim muliebrem togam reddidisti] *Toga*, praeterquam quod erat virorum, erat etiam meretricum. unde mulieres togatae meretrices intelliguntur. Horat. Sat. 2, lib. 1:

— *quid inter-*
Est, in matrona, ancilla peccesne togata?

Sed hac de re plura Muretus ad hunc locum. LAMBINVS. *Quam statim muliebrem stolam fecisti*] Nihil variant mss. nostri. Idem amicus noster monet, Faërnum edidisse e veteri cod. Romano, *muliebrem togam.* ego totam illam vocem eradicatam mallem. Lambinus *togam* Faërni recepit in contextum. GRVT. Verissime ex Vaticano Faërnus et Muretus hunc locum restituerunt, quibus suffragati sunt Paullus Manutius, et Lambinus, male spreti a Grutero. GRAEVIVS. Grut. et ceterorum lectio falsa est: *stola* enim non meretricius, sed matronalis habitus erat. Horat. I. Sat. 2. 29. 63. 70. 82. 99. Martial. II. 9. X. 52. Quare non licet recedere a Vaticano. Huc respexisse Petron. c. LXXXI. putat Barthius, cum scripsit: *qui tamquam togae virilis stolam sumsit.* HEVSING. Buherius Diss. in Herodot. C. XX. p. 212. ita legit, *sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem reddidisti.* GAR. Expungi debet ex auctor. Vat. *stolam* et reponi *togam.* Namque primum non dixisset Cicero muliebrem *stolam*, quod per se satis constaret, istud genus vestimentorum matronarum esse proprium. Deinde patet, stolam, i. e. togam, cui limbus, qui vocabatur instita, adsutus fuerit, non meretricum, sed matronarum fuisse. Denique melius cohaeret hic totus sermo restituta voce *toga.* Dicit: *tu togam vir. reddidisti togam muliebrem*, tu prostibulum fuisti omnium commune, postea a Curione quasi in matrimonio collocatus es, quasi stolam tibi dedisset. Congruebant igitur inter se ista, magis quam ante, quod toga erat vestimentum meretricum, quae omnium libidinibus inservirent, postea matrona facta est et stolam accepit. Schütz. et Ern. Vat. lectionem merito receperunt.

Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti] Totus hic locus ex Æschine contra Timarchum videtur expressus. Pauca delibo. Perstrictis breviter pueritiae flagitiis: *Οὗτος*, inquit, *πρῶτον πάντων μὲν, ἐπειδὴ ἀπηλλάγη ἐκ παίδων, ἐκάθητο ἐν Πειραιεῖ ἐπὶ τοῦ Εὐθυδίκου ἰατρείου, προφάσει μὲν τῆς τέχνης μαθητὴς, τῇ δ' ἀληθείᾳ πωλεῖν ἑαυτὸν προῃρημένος. ὅσοι μὲν οὖν τῶν ἐμπόρων ἢ τῶν ἄλλων ξένων, ἢ τῶν πολιτῶν τῶν ἡμετέρων κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους ἐχρήσαντο τῷ σώματι Τιμάρχου, ἑκὼν καὶ τούτους παραβήσομαι.* Latina non attexo; confer tantum ἐπειδὴ ἀπηλλάγη ἐκ παίδων. *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem reddidisti.* Quanto acutius et elegantius noster? *vulgare scortum.* Presse et cursim, ut in re turpi decebat, quod Graecus fusius fortasse quam modestius tractavit. *Certa flagitii merces, nec ea parva,*

Primo vulgare scortum, certa; flagitii merces, nec ea parva; sed cito Curio intervenit, qui te a meretricio

quod ille dixerat *πωλεῖν ἑαυτὸν*, et paulo post: *καταισχύνων τὸ σῶμα τὸ ἑαυτοῦ καὶ τὴν πόλιν μισθαρνῶν ἐπ' αὐτῷ τούτῳ.* Quid deinde quae sequuntur, quam honesta? *Sed cito Curio intervenit*, etc. quam etiam in vilissimis rebus splendida, si cum Graecanicis illis sordibus conferantur? Graecus enim postquam Misgolam nescio quem, qui, ut Curio Antonium, ita Timarchum ab illo quaestu abduxit, abunde laudavit: *Ἀνὴρ τὺ μὲν ἄλλα καλὸς κἀγαθὸς, καὶ οὐδαμῇ ἄν τις αὐτὸν μέμψαιτο, περὶ δὲ πρῦγμα τοῦτο δαιμονίως ἐσπουδακώς. Vir caetera sane bonus, nec ullo nomine reprehendendus, caeterum istius rei impotenter studiosus.* subdit: *Οὗτος αἰσθόμενος, ὧν ἕνεκα τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο Τίμαρχος οὑτοσὶ ἐπὶ τοῦ ἰατρείου, ἀργύριόν τι προαναλώσας, ἀνέστησεν αὐτὸν, καὶ ἔσχε παρ' ἑαυτῷ εὔσαρκον ὄντα καὶ νέον, καὶ βδελυρὸν, καὶ ἐπιτήδειον πρὸς τὸ πρᾶγμα, ὃ προῃρεῖτο ἐκεῖνος μὲν πράττειν, οὗτος δὲ πάσχειν.* Sed adverte, quanto cautius noster hanc impuritatem verbis ab honesto matrimonio velarit, qui quantopere abhorreat ab illa Graeculorum obscoenitate, testatur oratione pro Flacco in Asclepiadem testem invehens. *Damnatus*, inquit, *turpissimis iudiciis domi, notatus litteris publicis: cuius de probris, adulteriis ac stupris extant Æmonensium litterae: quas ego non solum propter longitudinem, sed etiam propter turpissimam obscoenitatem verborum praetereundas puto.* Haec ille. *Statim*, dixit, nimirum primo forensis tirocinii anno, de quo Noster in Coeliana: *Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus: et ut exercitatione ludoque campestri tunicati uteremur*, etc. *Qua in aetate nisi qui se ipse sua gravitate et castimonia* etc. *defenderat* etc. *quoquomodo a suis custoditus esset, tamen infamiam veram effugere non poterat. Sed qui prima illa initia aetatis integra atque inviolata praestitisset; de eius fama ac pudicitia, cum is se corroboravisset, ac vir inter viros esset, nemo loquebatur.* vide Notas, et ex iis collige, iure Antonium notari, quod statim post sumptam togam virilem, eo ipso anno, de quo pendebat iudicium et existimatio totius aetatis, in omnem impudicitiam se effuderit. ABRAM.

Vulgare scortum] Omnium libidini prostitutum. IDEM.

Curio] Merito C. Curionis consuetudinem obiicit: is enim fuit, ut verbis utar Velleii, lib. 2: *Vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam et facundus malo publico. cuius animo, voluptatibus, vel libidini-*

quaestu abduxit; et, tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili et certo locavit. Nemo umquam puer, emptus libidinis causa, tam fuit in domini po-

bus, neque opes ullae, neque cupiditates sufficere possent. Plutarchus: *Antonium, cum esset honesta facie et liberali, in Curionis amicitiam et consuetudinem tanquam aliquod contagium incidisse narrant. Cum is enim nulla honesti ratione in voluptates esset effusus, Antonium, ut eum sibi morigerum magis haberet, in compotationes, mulierculas, et sumptus immoderatos immisit.* Quantum autem haec Antonio Curionis familiaritas offecerit, colligi potest ex iis quae dicebamus in explanatione verbis Vellei. Fuit autem ex Scribonia gente, plebeia, quae divisa fuit in duas praecipuas familias Libonum et Curionum. Hoc posterius cognomen ortum videtur a Scribonio quodam, quem Livius lib. 33. fuisse dicit maximum Curionem, et lib. 41. alium Scribonium maximum Curionem agnoscit. ABRAM.

Stolam] Alludit ad morem nuptiarum. Novae enim nuptae, praetextis positis, stolas sumebant, a maritis datas, ut videtur. Fuit autem illud insigne matronarum. Nonius Marcellus libro de generibus vestimentorum: *Stolam veteres non honestam vestem solum, sed etiam omnem, quae corpus tegeret.* Ennius Telepho:

Cedo et caveo vestitus squalida septus stola.

Idem eadem:

Regnum reliqui septus mendici stola.

Frequentius stola est vestis muliebris. Nec tamen stola quarumlibet mulierum fuit, sed duntaxat matronarum, et, ut cum Tertulliano loquar, *custos et index dignitatis.* Tibullus lib. 1, eleg. 6:

Sit modo casta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Ovidius 3. de Ponto, eleg. 3. ad Maximum pene Tibullum verbatim expressit:

Scripsimus haec illis, quarum nec vitta pudicos
Attingit crines, nec stola longa pedes.

Erat enim stola ad talos usque demissa. Horatius 1. Serm. Sat. 2:

Ad talos stola demissa et circumdata palla.

quasi quoddam velamen pudoris et honestatis, unde et *stolatus pudor* Martiali lib. 1, ep. 92:

Quis floralia vestit, et stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

IDEM.

In matrimonio stabili et certo locavit] Maro 1. Aeneidos:

Coniugio iungam stabili propriamque locabo.

Sed ibi de honesto matrimonio;

testate, quam tu in Curionis. Quoties te pater eius domo

hic Noster honesto verbo rem turpem velavit. ut lena apud Plautum Cistellaria actu 1, scen. 2:

Haec quidem ecastor quotidie viro nubit, nupsitque hodie,
Nubet mox noctu: nunquam ego hanc viduam cubare sivi.
Nam si haec non nubat, lugubri mihi fame familia pereat.

Et Demosthenes pro Ctesiphonte: ἡ μήτηρ σου τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις etc. χρωμένη. *Mater tua utens diurnis nuptiis.* Hanc notam debes P. Victorio libro 21, cap. 3. Var. lect. Addit Turnebus lib. 12, cap. 12. haec verba accipi posse, quasi *de firmo certoque coniugio, nec divortio fortasse ullo unquam dirimendo,* dicerentur: *Sed, opinor*, inquit, *ita appellabant, velut quodam omine stabilitatem et firmitatem matrimonio augurantes, cum praesertim nemo nuptias contrahat, nisi spe permansionis et diuturnitatis.* Idem. Stola dabatur nubentibus, quae ante praetexta usae fuerant. I. in Verr. 44. *eripies igitur pupillae togam praetextam? detrahes ornamenta non solum fortunae, sed etiam ingenuitatis?* ubi legendus est Asconius. Valer. Max. VI. 1. pr. *te* (pudicitia) *custode matronalis stola censetur.* Vide Demster. ad Rosin. Ant. Rom. V. 35. Brouckhus. ad Tibull. I. 7. 73. Hrvsing. Melius legitur in Vatic. *in matrimonio stabili et certo collocavit.* Gar.

Quoties te pater] Cum Curio pater videret, tua familiaritate filii sui famam et mores labefactari, te frequenter eiecit, et ne limen intrares, te excluso, custodes apposuit ad ianuam, qui te, si ingredi velles, excluderent, et aditu prohiberent. Langueret oratio, si ita loqueretur, sed interrogatione vim incutit orationi. *Quoties*, quasi diceret, tam multis vicibus, ut earum numerus iniri non possit. Plutarchus: *Magnum aes alienum praeter aetatem contraxit ducentorum quinquaginta talentorum, intercedente Curione. id cum sensisset pater; Antonium domo eiecit.* Abram.

Domu sua eiecit?] Et *domu*, et *domo* dicebant. Sed temeritas hominum omnia, quae paulo minus videbantur usitata, mutantium priori illi vix ullum in veterum scriptis locum reliquit. Infra quoque oratione XIII. ita scriptum est: *minaretur dominis, notaret domus, divisurum se urbem palam suis polliceretur.* Mvretvs. Nimirum *domu* habet optime Vaticanus, quem ab alio nemine auditum, nisi a Mureto, est paene turpe. Optimi tantum codices istud offerre solent. Confer Vossium IV. Gramm. 20. post quem Graevius in cod. Reg. Paris. V. in Verr. 49. invenit, *domu sua tota expilata.* Tam ille, quam Vatic. instar omnium esse possunt. Nimis hoc ἀρχαϊκὸν nonnulli putarunt, ego numquam: postquam vero confirmatum vidi nuper in

ana eiecit? quoties custodes posuit, ne limen intra-

Kalendario Praenestino certissimo, et luculentissimo Verrii Flacci testimonio, existimare coepi, qui a Tullii, et Augusti aetate alienum censeat, futurum amplius neminem. Sic ille ad IV. Kal. Mai. IN. DOMV. IMP. CAESARIS. AVG. Quinctilian. I. O. I. 6. p. 72. *si veniat in dubium,* HAC. DOMV. *dicendum sit, an* HAC. DOMO. *et* DOMVVM. *an* DOMORVM. *similia sint* DOMVS. ANVS. MANVS. In celeberrimo, et elegantissimo epigrammate Tom. II. Anthol. Lat. Burm. p. 268. *Tenebris tenentur, Ditis aeterna domu.* In plurimis, et optimis epistolarum Plinii MSis X. 76. Traianus Imp. *area,* inquit, *ista cum domu conlapsa.* Vide porro etiam Cortium ad Sallust. Catil. XLII. 3. GARATON.

Custodes posuit] Custodes, qui matronas servabant, ne adulteros admitterent. Sexcenta exempla sunt, ut apud Tibullum lib. 1, eleg. 2:

Nam posita est nostrae custodia dura puellae,
Clauditur et dura ianua firma sera.

Item elegia 7, 9, et alibi frequenter. unde et apud Horatium matrona dicitur *vallo circumdata*, quod illi sint

Custodes, lectica, ciniflones, parasitae.

Iuvenalis Sat. 6:

Pone seram, cohibe. Sed quis custodiet ipsos
Custodes. —

Huiusmodi custodes frequenter in catenis fuerunt, ut ne latum quidem unguem a ianua discederent. Tranquillus libro de claris Rhetoribus: *Luc. Otacilius Pilitus servisse dicitur, atque etiam ostiarius veteri more in catena fuisse.* Ovidius 1. Amorum, eleg. 6:

Ianitor indigne dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem.

Item:

Excute, sic nunquam dura religere catena,
Nec tibi perpetuo serva bibatur aqua.

Canes etiam adhibebant, et ad hunc morem Lyricus allusit 3. carm.

Inclusam Danaen turris ahenea
Robustaeque fores, et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris.

Tibullus lib. 2, eleg. 4:

— hinc clavim ianua sensit,
Et coepit custos liminis esse canis.
Sed pretium si grande feras, custodia victa est,
Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.

Fibulis etiam puerorum verenda constringebant, comoedorum praesertim et cantorum, ne usu venereo vocem obtunderent, ut docent interpretes Iuvenalis ad illos versus Sat. 6:

res? quum tu tamen, nocte socia, hortante libidine,

Solvitur his magno comoedi
fibula —
Si gaudet cantu; nullius fi-
bula durat
Vocem vendentis Praetori-
bus. —

Abram.

Cum tu tamen] Commode ad maiorem impudicitiam Antonii notandam, quibus artibus et fallaciis patris Curionis de filii sui fama et integritate solliciti vigilantiam eluserit. Idem. Guelf. ab Ern. inspectus et Teeg. *quum tamen tu.*

Nocte socia] Quae pudorem tollit, quae libidines et flagitia suis tenebris involvit. Bene et eleganter Ovidius lib. 1. Amor. eleg. 6:

Nox et amor, vinumque nihil
moderabile suadent,
Illa pudore vacat, Liber
amorque metu.

Et Plutarchus quaestionibus convivalibus libro 3, problem. 6: παραπέτασμα τῆς ἡδονῆς τὸ σκότος. *Tenebras velum libidinis* ait, ἐξελαύνειν τῶν ὀμμάτων τὸ αἰδούμενον, καὶ τῷ ἀκολάστῳ θάρσος ἐμποιεῖν. *Ab oculis repellere, quod est verecundum, et ei, qui est intemperans, conferre audaciam.* unde et Sophocles in Trachiniis:

— σκότῳ
Κἂν αἰσχρὰ πράσσῃς, οὔποτ'
αἰσχύνῃ πέσῃ.

— *nocte si socia facis*
Inhonesta, nullus ora suffun-
det pudor.

Libanius loco communi contra homicidam non multum abludit a phrasi Tulliana: τὴν νύκτα λαβὼν εἰς τὸ τόλμημα συνεργόν. *Assumens noctem sociam et adiutricem audaciae.* Sed vide quae iam diximus in Sextianam: *Animus eius vultu, flagitia parietibus tegebantur.* Coelianam: *Huc unius mulieris libidinem esse prolapsam, ut ea non modo solitudinem ac tenebras, atque haec flagitiorum integumenta non quaerat, sed in turpissimis rebus frequentissima celebritate, et clarissima luce laetetur.* De Provinciis Consularibus: *Lateant libidines eius illae tenebricosae, quas fronte et supercilio, non pudore et temperantia contegebat.* Milonianam: *Neque multa solitudo indicasset, neque caeca nox ostendisset.* E quibus facile intelliges et turpitudines ἐσχατιᾶς ταρτάρου δεῖσθαι, *infimo tartaro indigere*, ut cum Philone loquar lib. de virtutibus, aut κυνέης ᾅδου, καὶ Γύγου δακτυλίου, ut loquitur Plato, *Orci galea et Gygis annulo*, aut, ut Seneca,

— *Tartaro abscondi iuvat,*
Aut si quid ultra tartarum
est. —

Quod non unus Oedipus, sed omnes impuri et libidinosi merito usurpare possint. Abram.

Hortante libidine] Quae te impellebat, ut in omnibus flagitiis te volutares, pudicitiamque tuam Curioni filio substerneres. Eleganter Persius hoc cupiditatum imperium declarat, Sat. 5:

Te nihil impellit, nec quic-
quam extrinsecus intrat

cogente mercede, per tegulas demitterero. Quae flagitia domus illa diutius ferre non potuit.

Quod nervos agitet: sed si
intus et in iecore aegro
Nascantur domini, qui tu im-
punitior exis
Atque hic, quem ad strigiles
scutica et metus urget
herilis.

Mox avaritiam et luxuriam loquentes inducit, quae non solum hominem suis laqueis implicatum hortantur, sed etiam cogunt. Vbi vide Casaubonum. Idem.

Cogente mercede] Quam tibi dabat Curio filius, non hortante solum, sed etiam tibi vim inferente, ut te ab illis sordibus abstinere non posses. Adverte, quemadmodum sensim crescat oratio. nox socia est, hortatur libido, merces cogit. Idem.

Per tegulas dimittere] Ego, *demitterere*, etsi o. l. contra sentiunt. ut Liv. dec. IV, *Multi proxima nocte funibus per murum demissi.* Ferrarivs. *Per tegulas*] Per tectum Curionis tegulis coopertum in domum descenderes. Abram. Vera est Ferrarii emendatio, quam et Gruterus recepit, licet repugnent MSS. Graev. *Demitterere*, non *demittere*, ut in Graeviana operarum vitio legitur. Puta, Curionem scalis admotis in tectum evasisse, et inde demissum esse a servis libidinis suae ministris. Vide Lightfoot. Hor. Ebr. et Talmud. ad Marc. II. 4. Hevsing. Mendum Graevianae correximus. Eadem syllabae repetitio mendose omittitur in vet. Ven. et in Barberino sec. superscribitur. Videtur autem ex nimia, et insolita litterae I. crassitudine, ductuque quodam eminente in Barb. primo prior eius scriptura prodi *demitterere:* quam porro editam primum vidi a Gryphio MDXXXIX. deinde ab Hervagio MDXL. qui a Ferrario dissidere soleut, tum ab huius adseclis usque ad Lamb. qui retulit ultimus *dimitterere*, ut perperam dedit ipse Vaticanus. Garaton.

Quae flagitia domus illa diutius ferre non potuit] Gemblacensis, *quo flagitio domus illa diutius stare non potuit*, quod adfricabunt ad historiae Lydium lapidem otiosiores. nam mihi valde adlubescit. Grvt. Ien. *per quae flagitia domus illa diutius stare non potuit.* Indicent eruditi, cum altera lectio alterius sit explicatio, utra antiquior sit. Hevsing. *Domum* intelligo non familiam, sed ipsum aedificium, quod, quasi sensum haberet, flagitia tam impura, quibus clanculum operam praestare cogebatur, diutius ferre non potuit, eaque prodidit, atque indicavit. Sensit hoc pater, a domesticis admonitus: sed ad elegantem, et acrem istam ὑπερβολὴν Ciceronem quasi manu duxerunt praecedentia, *per tegulas.* Similis est pro Coel. 24. *non ipsam domum metuet, ne quam vocem eliciat?* et pro Clu-

Scisne, me de rebus mihi notissimis dicere? Recordare tempus illud, quum pater Curio maerens iacebat in lecto; filius se ad pedes meos prosternens, lacrimans, te mihi commendabat; orabat, ut te contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret,

ent. 6. *non* (timuisse) *limen cubiculi? non cubile filiae? non parietes denique ipsos superiorum testes nuptiarum?* Vide, num forte pro *illa* scribendum sit *ipsa.* Quidquid sit, male arbitror duos illos codices discedere a reliquis omnibus. Garaton. Gud. *quae flagitia domus illa diutius ferre non potuit.* item Teeg.

Scisne, me de rebus] Opportune ipsius Antonii conscientiam testatur, ut et ipse hac fiducia maiorem fidem inveniat, et adversarium graviore ictu percellat. Abram.

Moerens] Ob rei familiaris iacturam, filii impuritatem, et dedecus, quod intemperantia sua filius toti familiae inurebat, sic afficiebatur, ut dolor animi in corpus redundaret, eumque lecto velut aegrotum affigeret. Idem.

Filius se ad pedes] Curio adolescens meis pedibus advolutus mihi supplicabat, lacrymis ubertim manantibus ex amore, ut me interponerem, suamque ipsius causam susciperem, meaque auctoritàte a patre Curione sestertium sexagies impetrarem, quibus aes ille alienum dissolveret. Dicebat enim, eam sibi summam tuo nomine praestandam esse, quod pro te suam fidem obligasset. Ferrarius et Gruterus vocem *dicebat* e textu sustulerunt, et sane facilè potest intelligi, quamvis non exprimatur: *Tantum enim se pro te intercessisse.* Id est, sua intercessione obtinuisse a foeneratoribus, ut tibi tantum darent, et apud te occuparent. Abram. Teeg. habet: *se ad pedes meos iterum prosternens.*

Sestertium sexagies] In vetustis libris, *sexagiens, quotiens, totiens,* ceteraque ad eundem modum, per *n* litteram summo consensu scripta videas: ut interdum veniat in mentem subvereri, ne illo modo melius sit, quam quomodo nunc scribimus. Sed rursus scrupulum obiicit, quod in aliis quoque dictionibus video veteres, sive grammaticos, sive librarios libenter fecisse, ut inter litteras *e* et *s* interiicerent *n*, siquando illud *e* suapte natura longum esset, ut cum *thensaurum* pro *thesauro* scribebant. At contra *mesam* et *mesem* pro *mensa* et *mense* in antiquis marmoribus legere memini. Et sane eo modo Graeci Ὀρτήσιον vocant, qui est Latinis *Hortensius:* multaque alia ad eundem modum efferunt. Amplius igitur cogitandum, si cui modo ea res tanti est. Muretus. *Sexagies,* non *sexcenties,* ut Valer. Max. IX. 1. 6. Plutarchus Ant.

defenderem; tantum enim se pro te intercessisse.

p. 916. ὀφλημα πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων appellat, *ducentorum et quinquaginta talentorum aes alienum.* Singula vero talenta sex milia denariorum, xxiv. milia sestertiorum conficiebant. Adde Velleium II. 48. Hevsing. Locus Valerii et sanus est, et nihil huc pertinet. Nam post hoc aes alienum Curionis a patre dissolutum, novum contrahere ille non destitit, quod, cum Tribunus pl. esset, et bellum civile imminens summa vi homo insanus concitaret, in summam immanem excreverat, quam C. Caesar pro eo dissolvit. Hoc est Valerianum illud *sexcenties.* Confer Lipsium ad Vellei. II. 48. et Fabric. ad Dion. Cass. XL. 60. Tullianum *sexagies* exprimere voluit Plutarchus, de qua re vide Ruald. Animadv. XXXIV. Garaton.

Tantum enim pro te intercessisse dicebat] Sic tres l. v. in queis Col. *Tantum enim se pro te intercessisse.* quod minime displicet: sic enim video Ciceronem locutum in vi. lib. epist. ad Attic. *Culcar admovet, intercessisse se pro iis magnam pecuniam.* Ferr. *Tantum enim se pro te intercessisse*] Secutus sum tres Ferrarii codd. vulgati adiecerant adhuc vocem *dicebat.* Grvt. *Pro te intercessisse*] *Intercedere pro alio fideiussor apud creditorem dicitur, quia pro eo rogat, ut detur ei mutuo pecunia, vel illud quicquid est quo opus habet, quare quod iussu et rogatu ipsius factum datumve est, fide sua praestare cogitur.* Verba sunt Connani apud Schardium in Lexico iuridico. Aut, ut ibidem ait Cuiacius: *Intercedere est alienam obligationem accipere, id est se vel res suas obligare pro alio.* Cicero ad Atticum: *Adscribit etiam et quasi calcar admovet intercessisse pro eis magnam pecuniam.* Ita libro 6. epist. 1. Abram. Vide P. Manut. ad hunc lib. vi. ad Att. epist. Graev. Vide et Ald. Manut. ad Cic. Paradox. VI. 2. Item *tantum enim intercessionis pro te dicebat.* Pronomen *se* non videtur adfuisse, cum ita scriberet Librarius, idque abesse potest. Hevsing. Pronomen *se* abest a libris plerisque, qui cum Barb. ambobus habent, ut editum Ferrarius invenit: a quo id pronomen P. Man. ad omnes propagavit, sed retinuit *dicebat,* qua etiam in re plerique illum sequuntur. Omittitur enim tantum a Grut. Graev. Verb. et Olivet. Ac sane speciem habet glossematis: quamquam eam restituerit Lallem. quod in Regiis omnibus invenerit. Vatic. *se pro te intercessisse dicebat.* Nihilo minus suspectum habeo *dicebat,* et Graevium laudo. Garaton.

Intercessisse] Contra legem Laetoriam, ut videtur. Nam, ut scribit Suetonius apud Priscianum libro 8: *Laetoria vetat minorem annis viginti quinque stipulari.* Nuater 3. officiorum:

Ipse autem amore ardens confirmabat, quod deside-

Iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela XII. *tabulis, et circumscriptio adolescentium lege Laetoria, et sine lege iudiciis, in quibus ex fide bona agitur.* De hac lege Callidorus Plautinus in Pseudolo sc. 3:

Perii, an non tum lex me
perdit quina vicenaria?
Metuunt credere omnes.

Verum ea lex non omnem omnino filiisfamilias stipulandi contrahendive potestatem adimebat, sed iis duntaxat, qui nondum ad quintum et vicesimum aetatis annum pervenerant. Quare, quantum ex hoc loco patet, iam tum Curio maior erat viginti quinque annis, ut cum Antonii creditoribus stipulari potuerit, iisque fidem suam obligare, quam post mortem parentum exolveret. Sed multis post annis, ut narrat Tacitus undecimo annalium, Claudius Caesar: *Lege lata saevitiam coërcuit, ne in mortem parentum pecunias filiisfamiliarum foenori darent.* Quae lex paulo post contrariis moribus exolevit, donec tandem Vespasianus Augustus, ut scribit Tranquillus cap. 11: *Auctor Senatui fuit decernendi, ut, quae se alieno servo iunxisset, ancilla haberetur, neve filiorumfamilias foeneratoribus exigendi crediti ius unquam esset, hoc est, ne post patrum quidem mortem.* Atque hoc fuit Senatusconsultum illud Macedonianum, de quo peculiaris titulus in iure civili, cuius eodem titulo leg. 1. haec ab Vlpiano verba referuntur: *Cum inter caeteras sceleris caussas Macedo, quas illi natura administrabat, etiam aes alienum adhibuisset, qui pecuniam, ne quid amplius diceretur, incertis nominibus crederet: placere, ne cui, qui filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis eius, cuius in potestate fuisset, actio petitioque daretur, ut scirent, qui pessimo exemplo foenerarent, nullius posse filiifamilias bonum nomen expectata patris morte fieri.* Vbi *pecuniam incertis nominibus credere* est ita foenerari, ut non singulis annis aut usura, aut certo tempore caput exigatur, sed ut maneat dies solutionis incertus, in mortem videlicet patrum. Sed ne te morer, adi Iurisconsultos. Abram.

Ipse autem] Curio filius cum te efflictim deperiret, quod ferre non posset, sibi tuam congressionem patris sui potestate et imperio prohiberi, dicebat, se in exilium esse iturum, ut vel te secum abduceret, et remotus a patris conspectu tua familiaritate frueretur, vel saltem, si tui copiam habere non posset, ut abs te segregatus paulatim amorem deponeret. Idem.

Quod desiderium tui discidii ferre non posset] Vel *desiderium tui discidii* intelligendum est illud desiderium, quod ei ex di-

rium tui discidii ferre non posset, se in exilium iturum. Quo tempore ego quanta mala florentissimae

scidio tuo inerat, vel certe supervacuum est verbum *discidii*, et sine eo legendum, *quod desiderium tui ferre non posset.* non tamen muto. FAERNVS. *Tui discidii*] Ita optimus liber: ut a discindendo ducatur. MVRETVS. *Dissidium* est animorum discordia, *discidium* corporum separatio, ut dudum multis declararunt viri docti. GRAEV. Optimus, et cum eo Ien. codex, *dissidii*. Valeat igitur *discidii*, cum corporum, non animorum, disiunctio intelligatur. Deinde Ien. *in exsilium iturum sine esse.* HEVSING. Ern. et Schütz. eand. lect. receperunt.

Se in exilium] Tale est Nasonis consilium 1. de remed. amoris:

Tu tamen et quamvis firmis retinebere vinclis,
I procul et longas carpere perge vias.
Flebis, et occurret desertae nomen amicae,
Stabit et in media pes tibi saepe via.
Sed quanto minus ire voles, magis ire memento:
Perfer et invitos currere coge pedes, etc.

Quod etiam se fecisse tradit Propertius libro 3, eleg. 19:

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Vt me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assidue spectando cura puellae:
Ipsa alimenta sibi maxima praebet amor, etc.
Vnum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris.
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

ABRAM.

Quo ego tempore tanta mala] Liber Vaticanus, *quo tempore ego quanta mala,* etc. F. VRSINVS. *Quo tempore*] Alii legunt, *quo ego tempore.* parum refert. Alii legunt *tanta* hoc pacto: *Quo ego tempore tanta mala florentissimae familiae sedavi, vel potius sustuli.* alii denique *quanta* cum nota admirationis: *Quo ego tempore quanta mala florentissimae familiae sedavi, vel potius sustuli!* ABRAM. Vatic. *se in exilium iturum. quo tempore ego quanta mala etc.* Omnia haec probo, ut Muret. olim probavit, cui sua erat laus ab Vrsino reddenda. GAR. Iam dudum ita correxeram ex auctoritate Vat. propterea nunc ita exprimendum curavi.

Florentissimae familiae] Quantopere floruerit Curionum familia, vel ex hoc liquet, quod avus, pater, filius insignes oratores fuerunt. Familia Curionum inter pauca summae felicitatis exempla numeratur a Plinio libro 7 natur. hist. cap. 41: *Vna foeminarum in omni aevo Lampido Lacedaemonia reperitur, quae Regis filia, Regis uxor, Regis mater fuit. Vna Pherenice, quae filia, soror, mater Olympionica-*

familiae sedavi, vel potius sustuli. Patri persuasi, ut aes alienum filii dissolveret; redimeret adolescentem,

rum. Vna familia Curionum, in qua tres continua serie Oratores extiterunt. Vna Fabiorum, in qua tres continui principes Senatus. Horum trium facit in Bruto Noster mentionem, sed patrem et avum parcius laudat. De avo cum dixisset Atticus: *Curio fuit igitur eiusdem aetatis fere sane illustris Orator, cuius de ingenio ex orationibus eius existimari potest. Sunt enim et aliae et pro Servio Fulvio de incestu nobilis oratio.* Respondet: *Atqui haec, inquam, de incestu laudata oratio puerilis est locis multis: de amore, de tormentis, de rumore loci sane inanes, verumtamen nondum tritis nostrorum hominum auribus, nec erudita civitate tolerabiles. Scripsit etiam alia nonnulla, et multa dixit et illustria, et in numero patronorum fuit, ut eum mirer, cum et vita suppeditavisset, et splendor ei non defuisset, consulem eum non fuisse.* De patre tum alia multa, tum hoc: *Neminem ex iis quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognovi in omni genere honestarum artium tam indoctum, tam rudem. Nullum ille poetam noverat, nullum legerat Oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat, non publicum ius, non privatum et civile cognoverat*, etc. Abram.

Familiae sedavi, vel potius sustuli] Liliensis ac Maur. *non sedavi, sed potius sustuli.* Graevivs. *Sedavi*] Sedat, qui malum lenit et mitigat, non tamen radices aut fibras evellit: tollit, qui ipsas mali causas aufert, et elementa penitus eradit. Sedavit malum Orator, cum patri Curioni persuasit, ut aes alienum a filio contractum dissolveret: sustulit, cum eidem persuasit, ut filium suum omni Antonii congressione prohiberet: ex illa enim consuetudine tanquam a radice omnia familiae mala pullulabant. Abram.

Patri persuasi] Curioni patri persuasi, ut illud sestertium sexagies dissolveret, et filii sui fidem Antonii creditoribus obligatam liberaret, et ita redimeret filium suum Curionem, qui, nisi hoc aere alieno solveretur, libertatem omnem amiserat, nec poterat in urbe consistere, aut forum rectis oculis intueri. Bene autem, quod nondum rem, sed spem tribuit adolescenti. Idem.

Redimeret adolescentem] S. Ambrosius libro de Tobia cap. 8. sic alloquitur filios debitoris: *Hoc meliores, quod vestro pretio redimitis patrem, servitute paternam emitis libertatem.* Mori antiquo allusum: debitores enim, si solvendo non erant, ipsi vinciebantur, et creditoribus addicebantur in servitutem, donec aes alienum dissolverent. Quae consuetudo etiam duodecim tabulis firmata est. Vide Gellium Noct. Attic. lib. 20, cap. 1. Obaerati, qui solvebantur et liberabantur

summa spe et animi et ingenii praeditum, rei familiaris facultatibus; eumque a tua non modo familia-

aere alieno, *redimi* dicebantur, quasi libertatem amissam reciperent, quamvis aevo Ciceronis obaerati haudquaquam necterentur, antiquata videlicet lege duodecim tabularum. Sub Augustis tamen recruduit ista sive legis severitas, sive creditorum crudelitas, ut pro aere alieno patrum liberi creditoribus addicerentur in servitutem. Basilius Magnus homilia contra foeneratores: *Εἶδον ἐγὼ ἐλεεινὸν θέαμα, παῖδας ἐλευθέρους ὑπὲρ χρεῶν πατρῴων ἑλκομένους εἰς τὸ πρατήριον. οὐκ ἔχεις καταλιπεῖν χρήματα τοῖς παισί; μὴ προσαφέλῃ καὶ τὴν εὐγένειαν. ἓν τοῦτο διατήρησον αὐτοῖς τὸ κτῆμα τῆς ἐλευθερίας.* Latina non apponam, quod haec apprime cum Ambrosio consentiant lib. de Tobia cap. 8: *Vidi ego miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctionem deduci, et teneri calamitatis heredes, qui non essent participes successionis: et hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem,* etc. *Agitetur hasta de pretiis singulorum. Non immerito hasta agitatur, ubi caput quaeritur: non immerito ad auctionem pervenitur, ubi sors petitur.* Neque vero solum in vivos, sed etiam in mortuos saeviebant, eosque nectebant. Idem cap. decimo: *Quoties vidi a foeneratoribus teneri defunctos pro pignore, et negari tumulum, dum foenus exposcitur,* etc. *Nihil interest inter funus et foenus, inter mortem et sortem. Personat funebrem ululatum foenoris usura: nunc vero capite minutus est, quem convenitis: vehementioribus tamen nexibus alligate, ne vincula vestra non sentiat,* etc. Quanquam, quod dixi, aevo Ciceronis debitores non fuisse nexos, sed hunc nectendi morem sub Augustis recruduisse, fortasse verum non est, siquidem tempore belli Punici secundi nonnullos in vinculis fuisse constat. Livius lib. 23: *Dictator M. Iunius,* etc. *descendit equo, dixitque: Qui capitalem fraudem ausi, quique pecuniae iudicati in vinculis essent, qui eorum apud se milites fierent, eos noxa pecuniaque se exolvi iussurum.* E quibus appareat, iam tum antiquatam fuisse legem, quae occasione Papiriani flagitii vetuerat necti creditores. Iunx.

Eumque a tua] Sic Vatic. *eumque non modo tua familiaritate, sed etiam congressione patrio iure, et potestate prohiberet.* Vtrumque rectum: imo est Plauti locus II. Epid. 2. 105. qui commendare vulgatam possit, *ne te censeat filii causa facere, quo illum ab illa prohibeas.* Verumtamen et optimi libri auctoritate moveor, quam secutum esse Muretum postremo didici, et facile intelligo, multis displicere potuisse geminum ablativum, nulla praepositione distinctum: vide ad c. 66. pro Sext. Praepositionem in hac ipsa locutione usque Livii

ritate, sed etiam congressione, patrio iure et potestate prohiberet. Haec tu quum per me acta meminisses: nisi illis, quos videmus, gladiis confideres, maledictis me provocare ausus esses?

XIX. Sed iam stupra et flagitia omittam. Sunt

codex addebat XXV. 15. contra fidem reliquorum. Duos addo locos pro Vaticano valde opportunos, Tullianum alterum in Pison. 31. *effecerunt, ut ego excluderer* (a Pompeio), *omnesque, qui me, qui illius gloriam, qui remp. salvam esse cupiebant, sermone, atque aditu prohiberentur:* alterum Suetonii in Vespas. c. IV. *prohibitusque non contubernio modo, sed etiam publica salutatione, secessit in parvam, ac deviam civitatem.* Garatonius.

Congressione] Alloquio, et vel salutatione communi. Abram.

Pro patrio iure et potestate] Patria potestas duobus maxime continetur, quod pater ius et dominium in libertatem liberorum suorum haberet, et vitae necisque potestatem. Pro domo sua: *Scilicet cum hoc iuris a maioribus proditum sit, ut nemo civis Romanus aut libertatem, aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit, quod tu ipse potuisti in tua causa discere. Credo enim, quanquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctorne esses, ut in te P. Fonteius vitae necisque potestatem haberet, ut in filium. Quaero, si aut negasses aut tacuisses, si tamen id triginta curiae iussissent, non id iussum esset ratum? Certe non. Quid ita? quia ius a maioribus nostris, qui non ficte et fallaciter populares, sed vere et sapienter fuerunt, ita comparatum est, ut civis Romanus libertatem nemo possit invitus amittere.* Idem.

Haec tu] Cum recordaris, me fuisse sequestrem inter patrem et filium. Idem.

Illis gladiis] Ithyraeorum et aliorum barbarorum, qui sunt a te cum gladiis in cella Concordiae collocati. Idem.

Sed iam] Transitio, cui subiicit rationem a studio vitandae verborum obscoenitatis, sine qua non posset ea stupra et flagitia describere. Libet pluscula e tertia Verrina exhibere: *Itaque primum actum illum istius vitae turpissimum et flagitiosissimum praetermittam: nihil a me de pueritiae suae flagitiis audiet: nihil de illa impura adolescentia, etc. Omnia praeteribo, quae mihi turpia dictu videbuntur: neque solum, quid istum audire, verum etiam quid me deceat dicere, considerabo. Vos quaeso date hoc et concedite pudori meo, ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim.* Idem.

Omittamus] Ita Vatic. et om-

quaedam, quae honeste non possum dicere: tu autem eo liberior, quod ea in te admisisti, quae a verecundo inimico audire non posses. Sed reliquum vitae cursum videte: quem quidem celeriter perstringam. Ad haec enim, quae in civili bello, in maximis rei publicae miseriis fecit, et ad ea, quae quotidie facit, festinat animus. Quae peto, ut, quamquam multo notiora vobis, quam mihi sunt, tamen, ut facitis, attente audiatis. Debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio solum rerum, sed etiam recordatio. Tametsi incidamus oportet media, ne nimis sero ad extrema veniamus.

nes Lamb. codices, et ille, quem Car. Steph. contulit, et Colon. quibus merito paruit Heusing. ceteris recentioribus nolentibus, qui *omittam* cum aliis libris omnibus male praetulerunt. Gar. Ern. et Schütz. *omittam*.

Tu autem eo liberior] Acute Antonii libertatem et petulantiam in maledictis iactandis, non ad conscientiae fiduciam, sed contra ad turpitudinem flagitiorum refert. Tu autem eo liberius et securius me provocasti tuis maledictis, quod non vereris, ne a me maledicta regerantur, tam enim foedae sunt adolescentiae tuae sordes, ut tibi plane compertum sit, me prae verecundia et pudore de iis nihil esse dicturum. Abram.

Sed reliquum cursum videte] Addenda dictio *vitae*, ut sit *vitae cursum*. Fabricius. *Reliquum vitae cursum*] Qui tuam pueritiam et primum tirocinii forensis annum excepit, quem paucis verbis, et quasi cursim attingam, neque singulis diutius immorabor. Abram. Ien. Gud. Teeg. omittunt *vitae*.

Ad haec enim] Reddit rationem, cur in multis Antonianae vitae partibus non moretur. Reliquas vitae partes strictim attingo, non quod desit materia invehendi in singulas, sed quia ad civile bellum festinat animus. Idem.

Et ad ea, quae quotidie facit] Quae quotidie faceret Antonius, iam dixit superius: *Cum tu reliquias reipublicae dissipavisses, cum domi tuae turpissimo mercatu omnia essent venalia, cum leges eae, quae nunquam promulgatae essent, et de te et a te latas confiterere, cum auspicia augur, intercessionem consul sustulisses, cum esses foedissime stipatus armatis*, etc. Idem.

Quae peto] Iam renovarat re ipsa attentionem sicns, se de maximis reipubl. miseriis esse dicturum: nunc eandem aperte petit, subditque petitionis suae rationem. Abram.

Tametsi incidamus oportet

Intimus erat in tribunatu Clodio, qui sua erga

media] Cursim perstringamus *media*, quae inter tirocinium forense, sive togae virilis sumptionem et Tribunatum plebis intercesserunt, *ne nimis sero ad extrema*, quae post illud tempus in bello civili fecit, et quotidie facit, *veniamus*. Idem. *Media* inter tirocinia forensia, et tribunatum, ut recte explicat Abramius: qui vero *incidere* non debuit interpretari *cursim perstringere*, sed potius *abrumpere*. Sic Horat. I. Epist. 14. 36. *incidere ludum*, Virgil. IX. Ecl. 14. *incidere lites*. Metaphora ducta est a *fune inciso:* Virgil. III. Aen. 667. Heusing. *Etsi* Vatic. habet pro *tametsi*, me non probante. Lamb. ex aliis refert, *etsi incidamus, opinor, media:* quae lectio Mureti est plane mendosa. Gar.

Intimus] Cum P. Clodius gereret tribunatum plebis, tam familiaris illi erat Antonius, ut non solum inter amicos vulgares in atrium admitteretur, sed in intima domus penetralia cum maxime necessariis, et omnibus eius consiliis interesset. Plutarchus: *Paulisper Clodii audacissimi illius temporis popularium furori rempublicam perturbanti applicuit se: sed cito insaniam Clodii pertaesus, et timens Clodii inimicos in Graeciam ex Italia navigavit.* Quis autem proprie dicatur intimus, videri potest ex Seneca lib. 6. de benef. c. 33: *Non sunt isti amici, qui agmine magno ianuam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur.* Et capite sequenti: *Apud nos primus omnium Gracchus, et mox Livius Drusus instituerunt segregare turbam suam, et alios in secretum recipere, alios cum pluribus, alios cum universis. Habuerunt itaque isti amicos primos, habuerunt et secundos, neutros veros.* Plinius lib. 33, cap. 3: *Fuit et alia Clodii principatu differentia in solis his, quibus admissionem liberti eius dedissent imaginem principis in annulo gerendi, magna criminum occasione: quae omnia salutaris exortus Vespasiani principis abolevit, aequaliter publicando principem.* Ad hanc autem admissionum varietatem diversa vela obtendebant, ut amicos, prout magis vel minus intimi essent, in penetralia sua admitterent. Lampridius in Alexandro: *Salutaretur vero quasi unus de Senatoribus patente velo, admissionalibus remotis, aut solis iis, qui ministri ad fores fuerant, cum antea salutare principes non liceret, quod eos videre non poterat.* Gratianus ex epistola Sylverii Papae 23, quaest. 4: *Belisarius Patricius noster mandavit me ad se venire pacifice pro quibusdam ecclesiasticis dispositionibus in palatium principis, et ad primum et secundum velum retinuit omnem clerum et populum, qui mecum veniebat, et nullum permisit introire nisi me solum,*

me beneficia commemorat; eius omnium incendiorum

et Vigilium diaconum meum. Atque haud scio, an de huiusmodi velis debeat intelligi Theodosii et Valentiniani rescriptum, C. Ne quis privatus: *Ne quis vela regia suspendere, vel titulum audeat sine praeceptione iudicis competentis alienis rebus imponere.* Post haec vela erat ostium domus interioris sive intimae. Corippus lib. 3. in laudem Iustini minoris:

Verum, ut contracto patuerunt intima velo
Ostia et aurati micuerunt atria tecti.

Intimus itaque proprie dicitur, qui per intimum illud ostium admittitur, et, ut cum Seneca loquar, *in secretum recipitur.* Eadem etiamnum in aulis Principum servatur admissionum diversitas. vulgo: *le grand coucher, le petit coucher du Roy.* Atque hinc familiarissimi quique intimi dicuntur. Tacitus lib. 6. annalium: *Pater quoque Pompeiae Macrinae, illustris eques, ac frater Praetorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere. Datum erat crimini, quod Theophanem Mitylenaeum proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset: quodque defuncto Theophani coelestes honores Graeca adulatione tribuerant.* Sed quoniam velorum fecimus mentionem, addamus et illud, non solum principes viros obtendisse velum, ut intimis cum familiaribus suis versarentur, sed etiam Grammaticos, ut illas suas praeceptiones hac secreti specie magnificentius venditarent. S. Augustinus lib. 1. confessionum cap. 13: *Atenim vela pandent in liminibus grammaticorum, sed non illa magis honorem secreti, quam tegumentum erroris significant.* Abram.

Eius omnium incendiorum fax] Vel est allegoria, et incendiorum nomine quasvis seditiones intelligit, quarum omnium Antonius fuit administer, et quasi quidam incendiarius facem subiecit: vel loquitur de incendiis a Clodio excitatis, quibus ipsa domus Ciceronis, aedes Nympharum, et alia loca deflagrarunt. B. Cyprianus ad Cornelium de haereticis: *Novatianus fax et ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo et tempestas ad facienda fidei naufragia.* Nec alio sensu, opinor, Paris ille Alexander fax patriae dictus 7 Æneidos:

— *Nec face tantum*
Cissaeis praegnans ignes enixa iugales.

Quamquam id ad Hecubae somnium referri potest. Vetus Poeta 1. de divinatione:

Quia mater gravida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba. —

Quod portendebat:

Eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.

Item:

fax; cuius etiam domi quiddam iam tum molitus est: Quid dicam, ipse optime intelligit. Iter inde Alexan-

Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio. Multos annos latuit. Cives, ferte opem et restinguite. Dictus igitur Paris fax belli et civitatis, quod bello Troiano causam praebuerit, fueritque ἀρχέκακος, ut Graeci loquuntur. Eodem modo fax incendiorum dicetur Antonius, quod Clodium ad seditiones excitarit, et turbis incendendis quasi facem subiecerit. De incendiis Clodianis, etiam vocis proprietate servata, frequenter Orator, ut pro domo sua: *Domus ardebat in palatio non fortuito, sed oblato incendio.* Pro Coelio de Sexto Clodio satellite furoris Clodiani: *Qui aedes sacras, qui sensum populi Romani, qui memoriam publicam suis manibus incendit.* Idem.

Cuius etiam domi quiddam iam tum molitus est] De stupranda eius uxore, inquit Manutius. Dici posset etiam, iam tum Antonium conspirasse contra rempublicam, ut Pompeium reliquosque principes civitatis occiderent, statumque imperii Romani convellerent. Sed Abramus sum, non Oedipus, et fortasse non est in eo magnopere laborandum. Solent enim Oratores aliquando, etiamsi in re nihil subsit, suspiciose loqui, et cum probare nihil possunt, testari ipsam adversariorum conscientiam. Sic enim et adversarios mire lancinant, nec alligantur mendacii. Idem.

Vatic. *cuius etiam domi iam tum quiddam molitus est*, numero, ut mihi videtur, meliore: idemque Lambino visum est, qui eum adscivit ordinem, a Mureto sumtum. Gar.

Iter Alexandriam] *Itur* Lang. nonnulli, *itum*. Ferrarivs. *Inde iter Alexandriam*] *Alexandream* habet liber Vaticanus, et ita est in argenteo denario M. Lepidi, de quo supra meminimus. F. Vrsinvs. *Inde itum Alexandriam*] Pall. et Maur. *iter*, ut etiam edidit Lambinus, neque aliter editio prima. Grvt. *Inde iter Alexandriam*] Post illam Clodii familiaritatem profectus est Alexandriam Aegypti, ut Ptolemaeum a civibus suis eiectum regno restitueret, *contra Senatus auctoritatem*, quae praescripta fuerat, ne quis omnino Ptolemaeum reduceret cum exercitu, *contra rempublicam*, quae hac reductione grave vulnus accipiebat, *contra religiones*, Sibyllinum oraculum, quod Romanas legiones ingredi Aegyptum prohibebat. legunt quidam, *Inde itum Alexandriam*. Nihil refert. Abr. *Iter* est etiam in Vaticano et in Faerni et Mureti edd. Sed in meis membranis est, *Inde iter Alexandriam direxit*. *Direxit* non est in Colon. ut nec in aliis veteribus codicibus, quod procul dubio profectum est a quodam magistro. *Iter* subaudi *instituit* vel *suscepit*. Graev. *Inde itum*] Vatic. et Ien. *inde iter Alexandream*:

driam contra senatus auctoritatem, contra rem publi-

Ien. addit, *direxit.* Mallem primum casum, quia sequitur: *qui tum reditus?* HEVSING. *Inde iter Alexandriam.* Ita Regii codices. Editi quidam addunt, *direxit.* Alii praeferunt, *inde itum Alexandriam.* LALLEM. Vera lectio *iter,* quam servant cum Vat. aliqui etiam Ferr. in his, opinor, optimus Colot. item Palatini, Mauric. Regii, Barb. prim, Rom. Ven. et Ald. vera, inquam, lectio varie corrupta fuit. Barb. sec. *inter,* Lang. *itur,* quem secuti sunt P. Man. et Car. Steph. tum alii Ferr. MSi cum Naug. Gryph. Cam. repet. Lamb. Grut. Verb. et Olivet. *itum.* Solus cod. Graev. seu Ien. addidit, *direxit.* Solus Heusing. recepit recte *Alexandream:* vide ad c. 10. pro Rab. Post. Cornelius Celsus III. 22. *ideoque aptissime Alexandream ex Italia itur.* In Vatic. scribitur *Alexandrieam,* corrupte quidem, sed indicatur, et *Alexandriam* legi, et *Alexandream:* nisi forte fuerit, *Alexandreiam.* Satis autem indicat, verum esse *iter* absolute positum, varietatum ipse conspectus. GARATON. Gud. *Inde iter Al.* Teeg. *Inde itum.*

Contra Senatus auctoritatem, contra religiones] Liber Marcelli Cervini Cardinalis, quem pro eius eximia virtute atque dignitate causa honoris appello, non *religiones*, sed *religionem.* quod vehementer probo. etenim in legendo, ac pervolutando Cicerone observavi, quoties hanc eandem rem commemorat (commemorat autem saepissime) toties non aliter locutum esse. ut in Pis. *Auderet, quam provinciam P. Lentulus amicissimus huic ordini, cum et auctoritate Senatus, et sorte haberet, interposita religione sine ulla dubitatione deposuisset, eam sibi tum adsciscere, cum etiam si religio non impediret,* c. Sed quid te obtundo? Sexcenta loca sunt in ep. ad Lentulum. FERR. *Contra Senatus auctoritatem, contra religionem*] In antiquo libro ita legitur: *Contra Senatus auctoritatem, contra rempublicam et religiones.* et paulo post, *parentem tuum.* et paucis interiectis, *acceperam iam ante,* sine dictione *etenim.* FAERN. *Contra Senatus auctoritatem*] Proprie. neque enim fecit Gabinius contra Senatusconsultum, sed contra Senatus auctoritatem. Epistola 7. ad Lentulum libri primi ad familiares: *Senatusconsultum nullum extat, quo reductio Regis Alexandrini tibi adempta sit: eaque quae de ea scripta est auctoritas, ut ne quis omnino Regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis Senatus consilium esse videatur.* Quare Gabinius sine Senatusconsulto quidem id fecit, sed contra Senatusconsultum non fecit. Fecit autem, ut dixi, contra Senatus auctoritatem. Magna quippe inter utrumque diversitas. Livius libro 4: *Si quis intercedat Senatusconsulto, auctoritate se fore contentum.* Cicero epist. 2. ad Lentulum; *De his*

rebus pridie quam haec scripsi, Senatus auctoritas gravissima intercesserat: cui cum Cato et Caninius intercessissent, tamen est perscripta. Et Marcus Coelius libro 8, epist. 8. refert aliquot Senatusconsulta, e quibus apparet eadem distinctio: *Senatusconsultum, quod tibi misi, factum est, auctoritatesque perscriptae.* sequuntur verba, *Si quis huic Senatusconsulto intercesserit, Senatui placere auctoritatem perscribi.* quae in altero S. C. iisdem plane verbis repetuntur, ut videas, hanc formulam fuisse solemnem. Paulo post: *Si quis huic S. C. intercessisset, auctoritas perscriberetur.* Clare Dio lib. 45. ex versione Xylandri: *Quod si quando casu fieret, ut non tot, quot opus erat, convenirent, consilium quidem ii capiebant, et quod statuissent id perscribebatur: non tamen vim Senatusconsulti obtinebat, sed auctoritas Senatus dicebatur, quae videlicet ostenderet, quae fuisset sententia eorum, qui consilio interfuerant, Senatorum. Idemque hoc etiam tum observatum est, cum aut loco, aut tempore alieno, aut nullo legitimo edicto vocati festinato coiissent, aut Tribuni aliqui plebis intercessissent.* Quis autem numerus ad S. C. requireretur, potest in dubium vocari. Prudentius in Symmachum libro priore trecentos requirit:

Sic consulta Patrum consistere Conscriptorum
Non aliter licuit prisco sub tempore, quam si
Tercentum sensisse patres legerentur in unum.

Plureis etiam Dio libro 54. de Augusto loquens: *Senatum legit, et cum videret frequenter non convenire Senatores, Senatusconsulta etiam a paucioribus quam quadringentis Senatoribus ut fieri possent, statuit, cum antea hunc numerum ad hoc, ut rata essent, requirerent.* Quare non erraverit fortasse, qui Prudentium non de prisca republica et Consulum tempore, sed de primis Augustis explicabit, quo tempore Senatorum numerus a quadringentis ad trecentos contractus est. Quamvis fortasse etiam Augusti, ut Senatusconsulta vim obtinerent, in aliis rebus trecentis contenti erant, in aliis etiam plures exigebant. Idem Dio libro 55: *Et numerum ad hoc, ut Senatusconsulta rata fierent, necessarium secundum singulas eorum formas lege lata constituit.* Hinc intelliges illud Sexti Pompeii: NVMERA SENATVM *ait, quivis Senator Consuli impedimento vult esse, quo minus fiat S. C. postulatque, ut aut res, quae referuntur, dividantur, aut singuli consulantur, aut si tot non sint Senatores, quo numero liceat perscribi Senatusconsultum.* Marcus Coelius ep. 11. ad Ciceronem: *Renuntiatum nobis erat Hirrum diutius dicturum. prendimus eum: non modo eum, sed cum de hostibus ageretur, et posset rem impedire, si, ut numeraretur, postularet, tacuit: tantum Catoni assensus est.* Id est, cum de tuis supplicatio-

eam et religiones: sed habebat ducem Gabinium,

nibus ageretur, nobis renuntiatum erat, fore, ut Hirrus diem dicendo eximeret: prensavimus eum, et magna animi contentione rogavimus, ut id ne faceret. Non modo nostris precibus acquievit, et diem dicendo non extraxit; sed cum de hostibus a te profligatis ageretur, et posset impedire Senatusconsultum, si, ut Senatus numeraretur, postularet, tacuit, etc. Quae explicanda censui, ne te P. Manutii, viri sane doctissimi, lapsus in fraudem induceret, qui ad illa verba, *Posset rem impedire*, sic infert: Falso igitur Cicero illud scripserat epist. 10, lib. 2: *Victoria iusta appellatus sum.* et illa, *ut numeraretur*, sic exponit: *Vt ostenderetur, quo caesi hostes numero essent.* Sed praeterquam quod tam inhumanus non erat Coelius, ut Ciceroni, quem plurimum amabat, et quasi alterum patrem observabat, mendacii crimen impingeret, si de hostium numero ageretur, non, *ut numeraretur*, sed, *ut numerarentur*, postulasset. Summa dictorum esto: Ad S. C. faciendum quinque requirebantur. 1. Vt Senatores certo numero convenirent, puta trecenti, vel etiam quadringenti. 2. Vt haberetur Senatus loco certo et legibus constituto. 3. Vt tempore non alieno. 4. Vt legitimo edicto convocaretur a Consule caeterisque magistratibus, quibus ea fuit auctoritas. 5. Vt Tribuni plebis non intercederent. Harum quinque conditionum si vel unica defuisset, Senatusconsultum non fiebat, nihilo tamen secius nonnunquam scribebatur, quid Patres censuissent, et id vocabatur Senatus auctoritas. Hic, antequam finio, adverto, quibusdam in rebus pauciores trecentis necessarios fuisse ad S. C. faciendum. Docet enim Asconius in orationem pro C. Cornelio, *Cornelium primo legem promulgasse, ne quis per Senatum lege solveretur: deinde tulisse, ut tum denique de ea re S. C. fieret, cum adessent in Senatu non minus ducentis.* Abram.

Sed habebat ducem Gabinium] Tradit contra Plutarchus, Antonium fuisse ducem Gabinio: *Gabinium decem talentorum millibus sollicitante Ptolemaeo, ut simul cum ipso in Ægyptum expeditionem susciperet, et ipse regnum reciperet, legatorum et praefectorum plurimi repugnabant, et Gabinium quamvis tanta mercede constrictum ab eo bello quaedam formido revocabat. Antonius autem in omnes magnarum rerum occasiones intentus, et Ptolemaeo roganti gratificans, ad hanc expeditionem Gabinium impulit, et concitavit.* Caeterum postquam a Clodio discessit, antequam se Gabinio coniungeret, in Graecia fuerat aliquandiu commoratus. Sed Orator tempus illud relinquit intactum, vel studio brevitatis, vel quia quod in eo reprehenderet non habebat. hoc enim temporis spatio Antonius intermissa litterarum et eloquentiae

quicum quidvis rectissime facere posset. Qui tum inde reditus, aut qualis? Prius in ultimam Galliam

studia renovarat. Missus etiam a Gabinio fuerat in Iudaeam, hostium arcem primus invaserat, Aristobulum cum filio ceperat; parva militum manu ingentes Iudaeorum copias conciderat. Id quoque prudens et sciens Tullius omittit. Paucisque perstringit profectionem in Ægyptum, dixisse contentus, ea profectione Senatus auctoritatem, rempublicam, religiones fuisse violatas, dissimulatis rebus in Ægypto praeclare gestis, quibus Antonius reliquerat suae fortitudinis, providentiae, humanitatis impressa vestigia. Nam cum equitatu praemissus, viarum angustias, atque adeo urbem Pelusium occuparat, et intervenerat, ne Ptolemaeus Ægyptiorum primores occideret, et ingenti praelio, circuiens hostes et a tergo invadens, *victoriam iis qui ex adverso veniebant expediens praemiis, ut par fuit, militaribus donatus est:* et Archelai *demortui caput inventum, et ornatum regia magnificentia sepelivit.* Quare Noster, quod invidiosum erat, videlicet ipsam profectionem contra religiones et oracula susceptam insectatur, reliqua tacet, quod Antonius ex iis veluti fontibus ad hominum commendationem et militum benevolentiam profluxerat. et allegoria suam orationem obscurat, ne vel aperte damnet Gabinium, quem olim maiestatis accusatum defenderat, vel inimicum laudare videatur. Abram.

Quicum quidvis rectissime facere posset] Ironia. Gabinius is erat, qui Consul cum Pisone Ciceronem patria expulerat, eaque gesserat, quae omnium maxime Cicero reprehendere poterat. Significat itaque hominis audaciam, omnia sibi, quae vellet, licita putantis. Vide post red. in Sen. 4. et seqq. pro Domo 48. Itaque et maiestatis, et repetundarum accusatus postea, altero quidem iudicio absolutus, altero vero condemnatus est. Heusing.

Qui tum inde reditus] Iure invehitur in reditum Antonii, quod ex Ægypto rediens, non domum et necessarios suos inviserit, sed profectus fuerit in ultimam Galliam ad Caesarem. Quod profecto non fecisset, nisi desperatis vitae suae rationibus videret, se in urbe stare non posse, aut propter flagitia sic invisum esse suis, ut ad matrem non auderet accedere. Abram.

Prius in ultimam Galliam ex Ægypto] Vetus liber, *ex Ægupto:* eadem videlicet ratione, qua *Purrhum*, et *Bruges*, et *Sullum*, et talia priscos illos dixisse accepimus. Muretus. *In ultimam Galliam*] Quo tempore Gabinius Romam rediit, Caesar non solum in ultimis Galliis erat, sed etiam *toto divisos orbe Britannos* adierat. Epistola prima lib. 3. ad Q. Fratrem: *Quid praeterea? quid etiam. Gabinius ad* iv. *Kalend. Octobris noctu in urbem introivit: et hodie hora octava, cum edicto C.*

ex Aegypto, quam domum. Quae autem erat domus? Suam enim quisque domum tum obtinebant, neque

Alfii de maiestate eum adesse oporteret, concursu magno, et odio universi populi pene afflictus est. Paulo post: *Ex Britannia Caesar ad me Kalend. Septembris dedit litteras, quas ego accepi ad IV. Kalend. Octobris satis commodas de Britannicis rebus*, etc. Caesar paulo ante aequinoctium in Galliam reversus, et *subductis navibus, conciliòque Gallorum Samarobrinae peracto*, exercitum in hibernis partim in Morinis, partim in Nerviis, Eburonibus, confinio Trevirorum collocavit, ut ipse narrat lib. 5. de bello Gallico, ipse in Belgio vigiuti quinque millibus passuum a Bellovaco moratus est. Ad quem eo loci morantem aut fortasse Samarobrinae, aut apud Nervios agentem venit Antonius, non ausus in urbem accedere ob conscientiam profectionis Alexandrinae contra religiones susceptae. Abram. *In ultimam Galliam:* in quam eo tempore Caesar ex Britannia rediisse videtur. Gabinius enim ex Syria Romam revertit extremo Septembri; nec dubium est, quin eodem tempore Antonius se receperit. Caesar vero Galliae redditus est circa aequinoctium, III. B. G. 36. Non igitur necesse est *ultimam Galliam* improprie accipere, et Britanniam interpretari. Heusing.

Quae autem erat domus] In contextu antiqui libri non est dictio *erat*. quae et supervacanea videri potest, et commode posse subaudiri, sicut et supra libro primo, ut ex hoc exemplari emendavimus, *quae autem ista tertia decuria?* ubi subintelligi debet verbum *est*. Faernus. *Quae autem erat domus?*] Correctio rhetorica, quasi lapsus fuerit verbo. non enim domum habebat Antonius, sed in praetexta decoxerat, et paterna domo fuerat expulsus. Abram. Superscriptum in Vaticano fuit *erat* eadem plane manu. Id proinde Muretus retinuit. Gar.

Suam enim quisque domum] Acriter reddit rationem, cur Antonius domum non haberet. Si enim dixisset, tu enim decoxeras, et domus patris addicta fuerat creditoribus, veram quidem ille causam reddidisset, sed longe vehementius, *Suam enim quisque domum tum obtinebat.* quibus verbis et memoria belli civilis, quod tam multos sedibus suis expulit, refricatur, et invidia quaeritur Antonio, qui in tam multorum civium domos invasit. Abram. Vatic. *suam enim quisque domum tum optinebant, nec erat usquam tua.* Optime: cui enim notum non est, cum verbo plurali solere *quisque* coniungi? Neque obstare arbitror, quae ad I. Act. in Verr. 14. ipse disputavi. *Quisque* valet hic *singuli*: et ita Plautus III. Capt. 2. 2. *ubi quisque vident, eunt obviam, Gratulanturque eam*

erat usquam tua. Domum dico? quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres, praeter unum Misenum, quod cum sociis, tamquam Sisaponem, tenebas?

rem; ita Ovidius II. Amor. 11. 21. *at vos, quod quisque loquentur, Credite;* ita centies alibi legimus; neque aliter ἔχωρος apud Graecos. Rarum tamen hoc esse fateor apud Tullium. Garaton. Sequutus sum Garat. quanquam nemo editorum habet *obtinebant.*

Domum dico?] Alia correctio ad augendam inopiam Antonii. Abram.

Vbi in tuo pedem poneres] Pedem ponere est alicuius loci possessionem sibi vendicare. Vnde Philippica 3. per translationem: *Hodierno die primum, P. C. longo intervallo in possessionem libertatis pedem ponimus.* Ductus, opinor, loquendi modus a veteri iudiciorum consuetudine, cum fiebat moribus deductio, id est, cum litigantes in rem praesentem, videlicet in eum agrum, de quo lis erat, communi consilio veniebant, et ibi pedem ponebat is, qui possessionem illius agri sibi vendicabat, et ab altero repetebat, et alter alterum vi quadam non vera, sed ficta et adumbrata repellebat, et qui repulsus erat, interdictum a Praetore impetrabat, ut, unde deiectus erat, restitueretur. Haec omnia constant ex oratione pro Caecina: *Si facta vis non esset moribus, superior in possessione retinenda non fuisset.* et: *Cum hoc novae litis genus tam malitiose intenderet, placuit Caecinae de amicorum sententia constituere, quo die in rem praesentem veniretur, et de fundo Caecinae moribus deduceretur. Colloquuntur, dies ex utriusque commodo sumitur.* et: *Est haec res posita, quae ab adversario non negatur, Caecinam, cum ad constitutam diem tempusque venisset, ut vis ac deductio moribus fieret, pulsum prohibitumque esse vi, coactis hominibus et armatis.* Pedis autem positionem ibi dictam fuisse, patet ex loco eiusdem orationis: *An vero illa defensio vobis praeclara visa est? Non deieci, sed obstiti: non enim te sum passus in fundum egredi: sed armatos homines opposui, ut intelligeres, si in fundo pedem posuisses, statim tibi esse pereundum.* Rursum: *Quid ergo? hoc* Eiici ego te, non deieci, *quam habet vim? ut illa res aliqua ex parte differre videatur, utrum, pedem cum intulero, atque in possessionem vestigium fecero, tum expellar, atque deiiciar,* etc. Ad hanc consuetudinem allusit et epist. 2. lib. 15. ad Attic. *Nam quomodo nunc est, pedem ubi ponat in suo non habet.* Abram.

Tanquam Sisaponem] Manutius: *Cum probro dictum, quasi civitatem vitiis infamem et luxu perditam.* Magis arridet Turneb. lib. 10. adversar. cap. 12. id referens ad miniaria metalla Si-

saponensium, quae societates publicanorum exercebant: dicit enim, Antonium non unum possessorem Miseni fuisse, sed possessionis socios habuisse multos. Sisapo oppidum est in Hispania olim in conventu Cordubensi, ut auctor est Plinius lib. 3. naturalis historiae, cap. 1. Ibi, ut ex Turnebo diximus, miniariae fodinae. Plinius lib. 33, cap. 7: *Iuba minium nasci et in Carmania tradit, Hermogenes et in Æthiopia. Sed neutro ex loco invehitur ad nos, nec fere aliunde, quam ex Hispania. Celeberrimum ex Sisaponensi regione in Baetica, miniario metallo vectigali populi Romani, nullius rei diligentiore custodia. Non licet id ibi perficere, excoquique. Romam perfertur vena signata, ad dena millia fere pondo annua. Romae autem lavatur, in vendendo pretio lege statuto, ne modum excederet* LXX *in libras.* vel, ut alii legunt, X. LX *in libras.* E quibus vides, sexies centena denariorum millia ex illis fodinis aureo proventu fuisse collecta: quae non unus publicanus, sed aliqua publicanorum societas redimebat. subdit enim: *Sed adulteratur multis modis, unde praeda societati.* Item: *Hoc ergo adulteratur minium in officinis sociorum.* id est, publicanorum, ut patet ex Vitruvio lib. 7, cap. 9: *Id genus venae postea est inventum Hispaniae regionibus, ex quarum metallis glebae portantur, et per publicanos Romae curantur. Eae autem officinae sunt inter aedem Florae et Quirini.* E quibus facile vides, cur Misenum tanquam Sisaponem habuerit, quia videlicet non unus illud praedium possidebat, sed multos habebat socios illius possessionis suae, quemadmodum miniaria Sisaponensium metalla non unus, sed plures habebant publicani. Videtur autem fuisse adagium: non enim aliter M. Tullius hunc dicendi modum inde usque ab Hispania petiisset, cum ipse monuerit, voraginem patrimonii potius quam syrtim esse dicendam, ne voces longius arcessitas alio transferamus. Quod si novos huic orationi sensus vellemus affingere, diceremus, Misenam Antonii villam Sisaponensibus miniariis eo etiam similem esse, quod, quemadmodum fodinae miniariae pestilentem auram exhalant, quapropter, *Qui minium,* inquit loco citato Plinius, *in officinis poliunt, faciem laxis vesicis illigant, ne in respirando pernicialem pulverem trahant, et tamen ut per illas spectent,* ita Antonii villula opposita esset ad ventum horribilem atque pestilentem, id est, oppignerata creditoribus, et, ut loquuntur, hypothecata. Quidquid sit de mente Ciceronis, ab hac explicatione non abludit Catullus:

Furi, villula nostra non ad austri
Flatus opposita est, nec ad Favoni,
Nec saevi Boreae, aut Apeliotae,
Verum ad millia quindecim ac ducenta.

XX. Venisti e Gallia ad quaesturam petendam. Aude dicere, te prius ad parentem tuum venisse, quam

O ventum horribilem atque pestilentem! Idem.

Aude dicere] Simile est illud Licinii Calvi in Vatinium apud Fabium lib. 9, cap. 2: *Perfrica frontem, et dic te digniorem, qui praetor fieres, quam Catonem.* Abram.

Aude dicere, te prius ad patrem tuum venisse, quam ad me] In eodem libro est, *ad parentem tuum.* Muretus. Statuit Buchananus, legendum esse *ad matrem tuam;* idque ab aliis magno consensu probatum est. Magis autem confirmatus esset in illa sententia, si veterem librum vidisset, quem ego postea nactus sum, in quo legitur quidem *ad patrem tuum:* sed ita, ut manifesto ex litura appareat, scriptum prius fuisse, *ad matrem tuum,* deinde erasa littera M, substitutam in locum illius litteram P, ab aliquo videlicet, qui tam apertum soloecismum ferre non posset. Ego autem non dubito, quin duae potius litterae adiungendae fuerint, scribendumque *ad amatorem tuum,* ut intelligamus Curionem. Atque hoc mihi ita perspicue verum videtur, ut ne confirmandum quidem pluribus verbis putem. Certe Carolus Sigonius, cum sententiam super eo loco meam decem abhinc annos per litteras exquisisset, ita eam probavit, ut ad me postea scripserit, nihil sibi videri potuisse rectius, aut verius cogitari. Idem XVIII. V. L. 6. *Aude dicere, te prius ad parentem tuam venisse*] Sic hunc locum restitui, Georg. Buchanani auctoritatem secutus. vulgata autem scriptura est haec, neque aliter habent cod. manuscr. *Venisti e Gallia ad quaesturam petendam. aude dicere, te prius ad patrem tuum venisse, quam ad me.* nisi quod nonnulli habent, *parentem tuum.* His argumentis ac verbis Buchananus hanc lectionem oppugnat, atque adeo evertit. Etsi in hac lectione omnia consentiunt exempla, si quis tamen propius inspexerit, mendum deprehendet. Nam pater Antonii, atque etiam vitricus, Lentulus, qui in coniuratione fuerat Catilinae, multo ante hoc tempus excesserant e vita. Neque *patruum* legi potest. Nam C. Antonius, M. Antonii patruus, damnatus fuerat repetundarum accusantibus Macedonibus Coss. Caesare et Bibulo, ut ex Cicerone et Suetonio perspicuum est. Cicero enim in oratione pro domo sua ita scribit: *Hora fortasse sexta diei questus sum in iudicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quaedam de republica, quae mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere. haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. hora nona, illo ipso die, tu es adoptatus.* ex quibus Ci-

ceronis verbis intelligere licet, quo die P. Clodius a patribus ad plebem transiit, eo die C. Antonium causam dixisse: Clodium vero ad plebem transiisse constat ex Suetonio Caesare et Bibulo Coss. Iisdem igitur Coss. C. Antonius in exsilium abiit, damnatus repetundarum, neque dum redierat M. Antonio et Dolabella Coss. Exprobrat enim Cic. in hac Philippica M. Antonio, quod, ceteris ab exsilio revocatis, patruum non restituisset. M. autem Antonius, praefectus equitum, cum Gabinio profectus fuerat in Syriam, e Syria cum Ptolemaeo in Alexandriam, ab Alexandria in Galliam ad Caesarem, e Gallia Romam rediit ad quaesturae petitionem, etiam tunc exsulante patruo. Non potest igitur, ut ante dixi, pro *patrem* supponi *patruum*. Neque *ad fratres tuos* posse legi arbitror, sive quod non tam facilis sit lapsus ex mutatione tot litterarum, sive quod fratres eius, etiam tunc adolescentes, et ignoti essent, nec ulla re postea nisi flagitiis nobilitati. Itaque *ad matrem tuam* legendum censeo: fuit autem ex vicinitate litterarum librario facilis peccandi occasio. praeterea satis constat, Iuliam M. Antonii matrem, matronam illustrem, et spectatae probitatis, ad triumviralem usque proscriptionem vixisse, ac L. Caesarem, fratrem suum, proscriptum servasse. una igitur mutata littera, *matrem tuam* legendum censeo. Haec Buchananus. Si quis tamen propius accedens ad scripturam antiquae *parentem tuum, parentem tuam* legendum esse contendet, non pugnabo. Cum haec olim anno CIↃ IↃ LXV. scripsissem, et Ciceronem eo ipso tempore edidissem: Petrus Victorius tamen libris Var. lectionum posterioribus anno CIↃ IↃ LXIX. editis, hoc est, annis quattuor post nostram primam Ciceronis editionem, scripsit cap. XVII, lib. XXXIII. hunc locum esse mendosum, ut vulgo legitur, et fortasse legendum esse, *ad parentem tuam:* quasi rem aliquam novam, et a nemine excogitatam, immo ne cogitatam quidem, afferens: cum dissimulare, aut negare non possit, meam illam Ciceronis editionem a se esse visam. Haec cuius sunt hominis? LAMBINVS. *Te prius ad parentem tuam*] Est a Buchanani coniectura. nam mss. meliores *parentem tuum.* vulgati, *patrem tuum.* Muretus lib. XIIX. Var. lect. cap. 6. coniicit *amatorem tuum.* GRVTERVS. *Ad patrem tuum*] Hic locus criticos haud parum exercuit, dum alii *matrem tuam*, alii *parentem tuam*, alii *patruum tuum*, alii denique *amatorem tuum* emendant. Vnum Bisciolam audiamus: *Non possum intelligere, quem hic Antonii patrem vocet: quidam imperitissime C. Caesarem, qui postea Dictator fuit, accipiunt: sed is bellum gerebat in Gallia, unde nuper discesserat Antonius. Nec Marc. Antonius Creticus intelligi potest, a quo moriente puerulus fuerat relictus. Non L. Lentulus vitricus: nam eum in carcere Con-*

sul Cicero strangularat: et in hac tamen scriptura codices omnes, quos quidem mihi legere contigit, legi autem plurimos, consentiunt. Itaque existimo, parentem tuam *legi debere, ut matrem M. Antonii intelligamus. Ea erat Iulia, lectissima foemina.* Eadem sentiunt Manutius, Lambinus et Buchananus. et hi quidem duo negant, *patruum* legi posse, quod tum temporis C. Antonius Marci patruus exularet. Sed de damnatione et exilio C. Antonii postea disseremus. *Amatorem tuum* est a coniectura Mureti lib. 18. variarum lect. c. 6. id est, Curionem, qui te efflictim adamabat. Primam illam lectionem *parentem tuam* eo libentius amplector, quod et plures ei suffragentur, et Ianus Gruterus asserat, *parentem tuum* in manuscriptis melioribus inveniri. Abram. Vaticanus, et si qui alii codices exhibent *parentem tuum*, paratum defensorem habebant, quod nemo tamen animadvertit, eumque non contemnendum Charisium p. 72. cuius haec verba sunt. HERES. PARENS. HOMO. *etsi in communi sexu intelligantur, tamen masculino genere semper dicuntur. Nemo enim aut secundam heredem dicit, aut bonam parentem, aut malam hominem, sed masculine, tametsi de femina sermo habeatur.* Deinde locum Pacuvii adfert in Medo, qui Medeam matrem quaerebat:

Te, Sol, invoco, ut mihi potestatem duis
Inquirendi mei parentis.

Adiungit alterum ex Virgilio III. Aen. 341. ubi Andromacha de Ascanio, qui Creusam matrem amiserat, sic interrogat:

Ecqua tamen puero est amissi cura parentis?

Quam quidem lectionem non aspernantur Pierius, Marklandus, et alii: sed plerique damnant cum Vossio, Heinsio, Burmanno, et legunt *amissae*, ut Servius, et MSi iubent. Praecipue Vossius I. de Anal. 15. totam Charisii sententiam refutavit: complura protulit testimonia poëtarum, qui *parentem* femineo genere usurparunt. Sic ipse Virgilius in primis IX. Aen. 83.

Da, nate, petenti,
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.

Nunc imo ita conversa res est, ut Burmannus exemplum quaerat, quo *parens* de matre masculine dicatur, cum id non licere omnes existiment. Vnus Charisio restat Pacuvii angulus, in quo delitescat: quia scilicet Pacuvii tragoediae perierunt, et fragmentum illud solus ipse servavit. Sed ecce alterum Tullii testimonium, siquidem habenda MSis est fides. Omnes enim *tuum* agnoscunt, plerique *patrem*, quod a Tullio esse non potuit, glossema vocis *parentem* pro matre positae in libris melioribus masculino genere. Neque tamen tantae sunt mihi cervices, ut hoc propugnare audeam: παράδοξα huiusmodi ut probentur, praesidiis indigent longe maioribus. Priscianus p. 657. utrumque genus agnoscit: neque *parens* differt a Graeco, ὁ καὶ ἡ γονεύς, quicum ab eo compara-

ad me. Acceperam iam ante Caesaris literas, ut mihi satisfieri paterer a te. Itaque ne loqui quidem sum te passus de gratia. Postea custoditus sum a te, tu a me

tur. Ipse Cicero IX. ad Att. 9. *ut, cum parentis non alere nefarium sit, nostri principes antiquissimam, et sanctissimam parentem patriam fame necandam putent.* Verum illud certe indicio Charisii detegitur, Grammaticis heic deberi *tuam*, cum Cicero *tuam* scripserit: sive ille plane fallatur, sive, quod Pacuvianum erat, ad alios male transtulerit. Quod si probare possis, Ciceronis temporibus *parentem tuum* pro matre dicere licuisse, tum demum ad MSos defendendos Charisius optime viam muniverit. Singularis profecto locus: in quo emendationem modestiae laus, MSorum defensionem temeritatis invidia consequatur. Quam quidem ita velim effugere, ut ne quid in Tullium ea re detrimenti perveniat. GARATONIVS. Olim iam propter ipsam Charisii notam, quum versionem vernaculam Orationis Phil. II. ederem, *parentem tuum* imprimendum curaveram. Ern. et Schütz. habent *parentem tuam.*

Acceperam enim] *Enim* in l. v. non est. FERRAR. *Enim* quoque nec in Colon. nec in Graev. legitur. GRAEV.

Acceperam] Reddit rationem, cur ipsum convenerit Antonius, antequam domesticos et necessarios inviseret: quia nimirum sciebat, se commendatum esse litteris Caesaris, et faciliorem gratiae reconciliationem fore sperabat, si primo quoque tempore satisfecisset Ciceroni. Cum enim intimus fuisset Clodio, et eius omnium incendiorum fax, Ciceronem inimicum Clodii violarat. Petebat itaque per litteras Caesar a Cicerone, ut Antonio veniam petenti et satisfacienti concederet. Quibus litteris tantum tribuit Cicero, ut Antonium ad se venientem complexus exceperit, neque passus fuerit, ut de petenda venia loqueretur. ABRAM.

Custoditus sum a te: tu a me observatus in petitione Quaesturae] *Cultus* pro *Custoditus*, l. Col. quod placet. quod autem sequitur, in eo nonnulli pro *observatus* reposuerunt *adiutus*, credo ob eam causam, quod iis absurdum videbatur, M. Tullium, qui multis annis natu erat maior, omnibusque honoribus usus, Antonium observasse: quod ut iis consonum videatur, huc verba quaedam ex lib. 1. de orat. transtulimus, *Cum Aedilitatem peteret Crassus, eumque maior natu, etiam Consularis Ser. Galba assectaretur.* Iam contra illos omnes libri faciunt. FERRARIVS. *Tu a me observatus in petitione Quaesturae*] Antiquus liber, *tu a me ovatus.* aliqui hic legerunt *adiutus.* alii legere volunt *ornatus.* ego impressam lectionem sequor. FABRIVS. *Tu a me observatus*] Credo equidem, hoc rectum esse: sed quia dubitare adhuc nonnullos

video, proponam scripturam veteris libri, corruptam illam quidem, sed quis praestare ausit, neminem ex ea quicquam melius excogitaturum? In eo igitur, pro *observatus*, legitur *ovatus*. MVRETVS. *Tu a me observatus in petitione quaesturae*] *Ovatus* corrupte scriptum est in libro Vaticano; pro quo verbo Ant. Augustinus legebat, *comitatus*: sive, ut amicus meus, *ornatus*. F. VRSINVS. *Postea custoditus sum a te, tu a me observatus*] Ita quidem Pal. prim. sed sec. *postea cultus a te*, quod et in uno Ferrarii, neque mihi admodum displicet: quamvis pro vulgato pugnet Guilielmius in Asinariam Plautinam cap. 5. Muretus lib. XIIX. Var. lect. c. 7, quod invenisset in uno ms. *beatus*, in altero *ovatus*, coniiciebat, *sublevatus*. GRVT. *Postea cultus*] Alii legunt, *custoditus*, et testatur Ianus Gruterus, in uno codice MS. Palatino reperiri: idem tamen in altero Palatino, et in uno Ferrarii *cultus* agnoscit. Si legas, *Postea cultus sum a te*, sensus est, Domum meam ventitasti, ut me coleres, et obsequium tuum mihi deferres. Si malis, *Postea custoditus sum a te*, mens fuit Oratoris: Posteaquam Caesaris litteris commendatus in gratiam meam receptus es, me comitatus es per urbem, meumque latus stipavisti, ut me contra vim et arma P. Clodii defenderes. Respicit tempus illud, quo Publius Clodius, restituto Cicerone, insidias ei comparavit, ad vimque confugit. Vide epist. 3, lib. 4. ad Atticum, ubi narravit, domum Qu. Fratris ante diem tertium Non. Novembris a Clodianis inflammatam fuisse. *Ille*, inquit, *vehementer furere. Post hunc vero furorem nil nisi caedem inimicorum cogitare, vicatim ambire, servis aperte spem libertatis ostendere.* Paulo post: *Itaque ante diem tertium Idus Novembres, cum sacra via descenderem, insecutus est me cum suis: clamor, lapides, fustes, gladii: haec improvisa omnia.* Ciceronem autem secum lateris sui custodes et stipatores (nobiles videlicet adolescentes, equitumque liberos) habuisse, qui ipsum contra Clodii vim defenderent, indicant quae sequuntur: *Discessimus in vestibulum N. Terentii Damionis: qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt. Ipse occidi potuit. Sed ego diaeta curari incipio. chirurgiae taedet.* Quae etsi C. Lentulo et Metello Nepote Consulibus contigerunt: tamen Clodius ad consequentes annos propagavit, donec tandem post annos quatuor a Milone occisus est. Vide epistolam 3, lib. 2. ad Quintum Fratrem, et Dionem lib. 39. Et sane Ciceronem, cum opus fuit, nobiles adolescentes adhibuisse ad sui corporis custodiam constat ex iis, quae refert Plutarchus de ipsius consulatu, in Caesare: Πολλοὶ τὸν Κικέρωνα φρουρούντων τῶν νέων γυμνὰ τὰ ξίφη συνδραμόντες ἐπέσχον. *Multi adolescentium, qui Ciceronem custodiebant, concursu facto nudos gladios intentabant.* Et in Cicerone ipsius

Clodii faciens mentionem : *Κικέρων δὲ ἦν μὲν αὐτοῦ φίλος, καὶ τῶν περὶ Κατιλίναν πραττομένων ἐχρῆτο προθυμοτάτῳ συνεργῷ καὶ φύλακι τοῦ σώματος. Cicero autem erat amicus Clodii, et eorum, quae circa Catilinam gessit, usus fuerat administro promptissimo corporisque custode.* Quare Clodio vim parante, credendum est, ei nobiles adolescentes non defuisse, qui praetextu deductionis honorariae eius latus stiparent et custodirent, ex equitibus praesertim, quem ille ordinem sibi arctissime devinxerat. In his autem fuit M. Antonius. *Tu a me observatus*, quibus haec lectio non placuit, quod Antonium adolescentem a Cicerone, viro Consulari, observandum fuisse non putarent, hunc locum misere lancinarunt. et alii quidem *adiutus*, alii *comitatus*, alii *ornatus*, alii denique *sublevatus* legendum esse censuerunt. Nihil muto, quod *observari* dicerentur adolescentes a proceribus, qui in petitione magistratuum honoris et commendationis caussa deducebantur. Observari etiam minorem a maiore ostendit Cic. lib. 7. ad familiares epist. 27: *Ego enim te in consulatu observaram.* Scribit autem ad Gallum. Fuit autem Gallus, (ut multis probat Manutius) Publius ille Sextius, qui Quaestor fuit Consule Cicerone, et ab eo post iudicio de vi defensus est, pro quo extat nobilis illa oratio. Igitur observatus est Quaestor a Consule, ut mirari non debeas, Antonium quaesturae candidatum observatum fuisse a Tullio consulari. *Est autem observare*, verba sunt Manutii Epist. citata, *cum ad aliquem honoris officiique causa saepe accedimus.* Id quidem ille probat tum hoc loco, tum epist. 1. ad Atticum: *Observat Luc. Domitium maxime.* Sed expressius exemplum est pro Murena: *Neque enim fieri potest, neque postulandum est a nobis, aut ab equitibus Romanis, ut suos necessarios candidatos sectentur totos dies: a quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, si uno basilicae spatio honestamur, diligenter observari videmur, et coli.* Qui legunt *sublevatus*, habent exemplum Caesaris de Lentulo Spinthere, ita loquentis 1. de bello civili: *In petitione consulatus ab eo erat sublevatus.* Abram. Cellarius cum Abramio *custoditus* interpretatur defensus, et stipatus contra arma Clodii. Alii e Cotiano, et Palat. sec. legunt, *postea cultus sum a te.* Illud *custoditus sum* aliam vim habet, atque Cicero voluit, cum *custodire aliquem* sit ab aliquo sibi cavere. Vide Heuman. ad I. in Catil. 4. Q. Cic. de Petit. Cons. 14. Itaque melius aliquid quaero: interea *cultus sum* praefero. Pro *observatus* in Vatic. fuit *ovatus*, quod ab aliis mutatur in *ornatus*, ab aliis in *sublevatus*. Ferri tamen potest *observatus*, quod est officii, honoris, et commendationis causa deductus. Vide VII. Epist. 27. pr. ibique Manut. In Ien. haec omnia omissa sunt a verbo *itaque* usque ad *quae-*

observatus in petitione quaesturae. Quo quidem tempore P. Clodium, approbante populo Romano, in foro es conatus occidere; quumque eam rem tua sponte conarere, non impulsu meo: tamen ita praedicabas, te non existimare, nisi illum interfecisses,

sturae. Heusing. Recte P. Man. Gryph. Car. Steph. Lamb. et Ald. nepos *cultus* receperunt: imo etiam a Mureto sic edi, et XVIII. Var. Lect. 7. sic recitari video, ut id mirer a Graevio non receptum, quod certe cum Colot. habet Vaticanus: ex quo meliori etiam ordine leges, *postea sum cultus a te.* Tum recte probatur *observatus* etiam ab Ernesto in Ind. Quae vox adeo Consularem virum adolescenti Quaesturae candidato faventem non dedecet, ut etiam fuerit ad paternam curam significandam traducta. Paullus L. 132. D. de Verb. Oblig. *Quidam, cum filium alienum susciperet, tradenti promiserat certam pecuniae quantitatem, si eum aliter, quam ut filium, observasset.* Qui locus in quibusdam Iuris Lexicis perperam explicatur. Garaton. Ern. et Schütz. *custoditus sum.* Si Heus. damnandam esse putat, *custod. sum*, quod aliam vim habeat, quam ut hic stare possit, errat. Cedo tamen auctoritati antiquissimorum Codd. et sequor Garatonium.

Quo quidem tempore] Narrat Dio libro 39. Clodium in gratiam cum Pompeio rediisse, et contra Marcellinum et alios habuisse concionem: *Cum magna ex eo Senatus indignatio cooreretur, Clodius rupto sermone plebem reliquit, contendensque in curiam, parum abfuit quin periret. obvii enim facti Senatores arcuerunt: interimque ab equitibus circumdatus, discerptus usque fuisset, nisi plebem inclamasset.* Non est tamen quod existimes, his rebus interfuisse Antonium. Rediit enim Gabinius ad 4. Kal. Octobris Appio et Domitio Consulibus, anno post secundum M. Crassi et Pompeii consulatum, at id periculum adiit Clodius, cum iidem Crassus et Pompeius consulatum petebant, quibus Consulibus bellum Alexandrinum confectum est. At Antonius, eo bello confecto, Clodium voluit occidere. Apud Dionem plebs Clodium defendit contra Senatum et equestrem ordinem: *Ibi multis cum igne accurrentibus, ipsos, si quam vim in Clodium fecissent, cum curia combusturis, Clodius cum minimum ab interitu abfuisset, servatus est.* Haec Antonius fecit, *approbante populo Romano.* Abram.

P. Clodium] Hoc ipsum est, de quo in Milone: *Nuper vero cum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset, gravissimamque adolescens nobilissimus reipublicae partem*

umquam mihi pro tuis in me iniuriis satis esse facturum. In quo demiror, cur Milonem impulsu meo rem illam egisse dicas, quum te, ultro mihi idem illud deferentem, numquam sim adhortatus. Quamquam, si in eo perseverares, ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quam ad meam gratiam. Quaestor es factus. Deinde continuo sine senatusconsulto, sine sorte, sine lege ad Caesarem cucur-

fortissime suscepisset, atque illam belluam iudicii laqueos declinantem iam irretitam teneret, qui locus, quod tempus illud, Dii immortales, fuit? cum se ille fugiens in Scholarum tenebras abdidisset, magnum Miloni fuit conficere illam pestem, nulla sua invidia, Antonii vero maxima gloria.' Vide supra. Idem.

Pro tuis in me iniuriis] Quas tu mihi intuleras, cum eras intimus Clodio in tribunatu, eiusque omnium incendiorum fax. Idem.

Rem illam egisse] Clodio necem intulisse. Idem.

Si in eo perseverares] Si constans esses in illo odio improborum. Idem. In meo codice non male, *si in eo perseverasses*, et sic omnino scripsisse Tullium censeo. Loquitur enim de praeteritis. Graev. *Perseverares*] Ien. *perseverasses*. Nihil muto. Heusing. Nimium suo codici tribuit Graevius: nec bene Manut. pro *quamquam* legendum censet *quoniam*. Cum ceteris libris etiam Vatic. *quamquam, si in eo perseverares*. Gar. Ern. et Schütz. retinuerunt *perseverares*.

Quaestor es factus] Videtur factus fuisse Quaestor M. Marcello et Servio Sulpicio Consulibus, anno exeunte: nam Quaesturam gessit in Gallia anno proxime sequenti, L. Æmilio Paulo et C. Marcello Consulibus, ut Hirtius in supplemento testatur. Abram. Qui vero Cicero, in Asia cum esset, proximi anni Sextili mense iam scire potuit, eum Caesaris esse Quaestorem? a quo in Galliam arcessi non potuit ante eius anni finem, si vera est Abramii sententia. Vide II. Epist. 15. VI. ad Att. 6. Itaque veri paullo similius est, Antonium Quaestorem factum Pompeio III. Consule. Heusing. M. Antonius cum Q. Cassio Longino Tribunus pl. fuit Lentulo et Marcello Coss. et cum eodem antea Quaestor, eoque nomine ipse Galliam sub Caesare, Longinus Hispaniam, Pompeio Procos. obtinuit. Abramius Antonium designatum Quaestorem facit Sulpicio Cos. ut non modo magistratum inierit cum Paullo Cos. et in ipso magistratu ad Caesarem iverit in suam provinciam, verum etiam septimo sui magistratus mense ad petendum Tribunatum Romam redierit, bi-

nosque adeo magistratus gesserit mense Decembri, cum ante Idus eius mensis Tribunatus inciperet, et extremo eiusdem die Quaestura desineret. Quam sint haec absurda, nemo non videt: sed ab Heusingero levissime refelluntur. Nihil enim aliud is curat, nisi ut Antonius Quaesturam in urbe gesserit: quod si secus fuerit, nemo admiretur. Iam vero Quaesturae candidatus erat Antonius, cum P. Clodium conaretur occidere. Hoc aperte Tullius modo dixit. Occisus est autem Clodius a Milone mense Ianuario, ante duos menses, quam Pompeius tertium Consul crearetur, ut in arg. Milon. docet Asconius. Ergo Antonius Romam venerat ad Quaesturam petendam Calvino et Messalla Coss. Nec legit attente Hirtium Abramius. Sic enim ille VIII. B. G. 2. *Caesar M. Antonium Quaestorem suis praefecit hibernis: ipse cum equitatus praesidio pridie Kal. Ianuar. ab oppido Bibracte proficiscitur ad legionem XIII. etc.* Sunt autem Kalendae illae Ianuariae, quibus M. Marcellus et Serv. Sulpicius Consulatum inierunt. Hiemabat Caesar Bibracte, et secum Antonium, et Trebonium habebat; nam eos et simul nominat VII. 81, et quo in hiberna miserit IX. Legatos, enarrat c. 90, decimum Trebonium, et Quaestorem Antonium praetermittit. Patet igitur, tertio Pompeii Consulatu paullo ante anni exitum, aestivis nondum peractis, Quaestorem Antonium in Gallia fuisse. Quo quidem anno eius Quaestura in Pighianis Annalibus collocatur, neque ambigitur, in Gallia, non Romae, gestam illam fuisse sub Caesare. Verumtamen propter eius et superioris anni turbas, et interregna, et propter Caesaris silentium priorum mensium haud constat, inter Quinctilem anni DCC. quo Calvinus demum et Messalla Coss. facti sunt, et Martium anni DCCI. quo mense Quaestor sit factus Antonius, et quamdiu postea in urbe manserit. Sed verba Tullii, *deinde continuo*, iustam praebent caussam existimandi, Antonium anno DCCI. Quaestorem factum, aut eum certe magistratum Romae iniisse, paucosque post menses, aestivis a Caesare in Gallia transalpina partem fortasse magnam actis, eo pervenisse, cum non parum temporis in itinere consumpsisset. GARATON.

Deinde continuo] Solebant Patres quas in provincias Propraetores aut Proconsules annui mitterentur, deinde Quaestores inter se sortiri, ut in eam provinciam mitterentur, quae cuique sorte obvenisset, aliquando tamen extra ordinem non Senatus aut sortis beneficio, sed populi suffragiis et lege perlata provinciae mandabantur Quaestoribus. Antonius ut primum factus est Quaestor, nulla interposita mora, contra ius et morem maiorum, sine S. C. sine sorte, sine lege ad Caesarem cucurrit. Videbat enim, se sic oppressum esse aere alieno, sic desperatas et perditas vitae suae rationes, ut salvus esse non posset, nisi Caesaris opibus et potentia fulciret et sustenta-

ret rei familiaris ruinas. Quaestura, ut auctor est Vlpianus de officio Quaestoris, *ingressus est, et quasi primordium gerendorum honorum, sententiaeque in Senatu dicendae.* Cicero 3. Verrina Quaesturam vocat *Principium magistratuum gerendorum, et reipublicae administrandae.* Asconius in divinationem ad illa verba, *Pecuniam publicam tu tractabas*, ita scribit: *Haec erat prima Senatoris administratio, Quaestorem fieri, et in provincia curam gerere pecuniae publicae in usus diversos erogandae.* Vnde videas, cur Noster ab Quaestura potissimum auspicetur non hic solum, sed etiam Verrina tertia, pro Murena, pro Sextio, in Vatinium, in Pisonem, et alibi. Alii erant Quaestores urbani, alii provinciales. *Quaestores urbani*, ut docet Pedianus, *aerarium curabant, eiusque pecunias expensas et acceptas in tabulas publicas referre consueverant.* Provinciales, ut iam diximus, *in provincia curam gerebant pecuniae publicae in usus diversos erogandae.* ABRAM.

Sine Senatusconsulto, sine sorte, sine lege] In Verrem de Quaest. legat. et Praetura urbana: *Quaestor ex S. C. provinciam sortitus es, obtigit tibi Consularis, ut cum Consule Cn. Carbone esses, eamque provinciam obtineres.* E quibus constat, Senatum, cum de provinciis Consularibus ageret lege Sempronia, statuisse etiam, ut quasdam ad provincias Quaestores mitterentur, non tamen singulos Quaestores nominatim singulis assignasse provinciis, sed eos inter se provincias a Senatu decretas fuisse sortitos. Nonnunquam tamen extra sortem ex Senatusconsulto singulis provinciis assignabantur sui Quaestores. ut Tiraquellus ad Alexandrum, et Sigonius lib. 2. de antiquo iure provinciarum cap. 3. notant ex illis Titi Livii verbis lib. 30: *Laelium, cuius ante legati, eo anno Quaestoris extra sortem, ex S. C. opera utebatur,* etc. E quibus patet, et S. C. et lege Quaestoribus provincias obtigisse. Tertia obtinendae provinciae ratio fuit, ut Quaestor ad certam provinciam lege ad populum perlata mitteretur, ut vel ex hoc loco videtur liquere. Quemadmodum enim, postquam Senatus provincias alias praetorias faciebat, alias consulares, tum demum Praetores, Consulesve eas sortiebantur, aut inter se comparabant, aliquando tamen extra ordinem populus Romanus eas suo suffragio mandabat, ut Pompeio bellum piraticum lege Gabinia, bellum Mithridaticum lege Manilia, Caesari Galliam et Illyricum lege Vatinia, Pisoni Macedoniam, Gabinio Syriam lege Clodia, ita ordinarie provincias a Senatu decretas sortiebantur Quaestores, nonnunquam tamen eas lege et populi suffragiis obtinebant. Quartus demum obtinendae provinciae modus fuit extra ordinem, *sine S. C. sine sorte, sine lege*, ex sola magistratuum voluntate dependens, qui sibi Quaestores allegebant. Ad Atticum lib. 6, ep. 6: *Pompeius eo robore vir,*

risti. Id enim unum in terris, egestatis, aeris alieni, nequitiae, perditis vitae rationibus perfugium esse ducebas. Ibi te quum et illius largitionibus et tuis

his radicibus Qu. Cassium sine sorte delegit, Caesar Antonium: ego sorte datum offenderem? Sed hoc, ut dixi, extra ordinem, idque Tullius merito reprehendit, cum ne reges quidem Quaestores sibi sine lege et populi voluntate suffragiis testata delegerint. Vlpianus D. de officio Quaest. *Gracchanus denique Iunius lib. septimo de potestatibus etiam ipsum Romulum, et Numam Pompilium binos Quaestores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio crearent, refert.* Quamvis Tacitus 11 Annalium contra Gracchanum sentire videatur: *Sed Quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt; quod lex Curiata ostendit ab Luc. Bruto repetita. Mansitque Consulibus potestas eos deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret.* Fortasse tamen conciliari poterunt, si dicamus, regibus quidem et primis Consulibus potestatem deligendi Quaestores fuisse, quod aperte significat Tacitus, sed necessarium fuisse, ut haec electio rata fieret populi suffragiis et lege Curiata, quod innuit idem Tacitus, quamvis paulo obscurius. Gracchanum autem absolute dixisse, *Quaestores non regum voce, sed populi suffragio creari*, quod rata non esset electio, nisi populi suffragium accessisset. Quo inclinare videtur Grucchius lib. 3. de comitiis: quem Sigonius ita reprehendit. *Neque vero legem Curiatam praetermissam in Antonio intelligere debemus, ut Grucchio homini eruditissimo placuit, neque enim militare imperium, quod lege Curiata dabatur, ullo modo in Quaestore requirebatur, quippe cui pecunia publica, non res militaris a populo Romano committebatur. Verum id Cicero significavit, Antonium Caesari Quaestorem, neque a Senatu, quod ordine, accedente sorte, fiebat, neque a populo, quod fiebat extra ordinem, datum, sed ab ipso tantum Caesare, ut Cassius a Pompeio fuerat, novo utrumque exemplo, esse allectum.* Priorem huius orationis partem non discutio, quantumvis Tacitus Grucchii sententiam auctoritate sua fulcire videatur: posteriorem ad institutum mihi assumo, quae non ineleganter mentem Ciceronis explanat. Abram.

Vnum in terris] Haec verba indicant raritatem. supra: *Quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres?* lib. 4. ad Attic. epist. 5: *Nemo enim in terris est mihi tam consentientibus sensibus.* Hac rursum oratione: *Etenim quod unquam in terris tantum flagitium extitisse auditum est?* Idem.

Egestatis, aeris alieni, nequitiae, perditis etc.] Videtur legendum, *egestati, aeri alieno,*

nequitiae, perditis rationibus, etc. nam haec omnia debent esse unius et eiusdem casus, non differentium, aut diversorum, cum ab uno regantur. LAMB. *Egestatis*] Tranquillus in Iulio cap. 27: *Tum reorum aut obaeratorum, aut prodigae iuventutis subsidium unicum ac promptissimum erat: nisi quos gravior criminum vel inopiae luxuriaeve vis urgeret, quam ut subveniri posset a se, his plane palam bello civili opus esse dicebat.* ABRAM.

Perditis vitae rationibus] Nescio qui locum hunc ita concinnant, ut idem sit ubique casus *egestati, aeri alieno,* etc. Sed cum sine novitate cohaereat oratio, nihil mutamus. Sensus est: cum perditae sunt et desperatae vitae rationes. IDEM. In meo vetusto libro legitur: *Simul nequitia perditis vitae rationibus.* Si deleveris *simul,* non improbes, *nequitia perditis vitae rationibus.* Fuit unicum perfugium aeris alieni, cum luxuria perditae sunt vitae rationes, hoc est facultates, unde utaris. Est enim *nequitia* luxuria. Donatus in Heautont. 2: *Nequitia est luxus vitae prodigus atque effusus.* Salvianus lib. 6: *Nos tantum novum genus pupillorum ac perditorum sumus, in quibus opulentia esse desiit, sed nequitia perdurat.* Paulus lib. IV. sententiarum tit. 3: *Quanto tu bona tua patria avitaque nequitia tua disperdis.* GRAEVIVS. Ien. *nequitia,* unde cum Graevio lego, *nequitia perditis vitae rationibus.* Nequitiam esse luxuriam, dictum est ad c. 14. pro Amer. Perditae vitae rationes sunt, cum desunt necessaria vitae subsidia, cum spes honeste vivendi amissa est. HEVSING. Lambinum refellunt ea, quae observavimus ad c. 1. pro Flacco. Vaticanus hanc vulgatam tuetur. GAR. Corrigendum esse puto locum ad scriptionem Cod. Vat. qui habet, *nequitia perditis vitae rationibus.* Haud dubie enim vulgata illa lectio nata est ex ignorantia significationis propriae, quam continet ea vox *nequitia,* quae saepe est luxus in profundenda pecunia. Ern. et Schütz retinuerunt *nequitiae.*

Perfugium] Infra: *Habebat hoc omnino Caesar: quem plane perditum aere alieno, egentemque, si eundem nequam hominem, audacemque cognoverat, hunc in familiaritatem libentissime recipiebat.* Coelius ad Cic. epist. 14. hoc ipsum ante bellum civile praeviderat: *In hac discordia video, Cn. Pompeium Senatum, quique res iudicant, secum habiturum: ad Caesarem omnes, qui cum timore aut mala spe vivant, accessuros: exercitum conferendum non esse.* Noster hoc ipso tempore ad Atticum lib. 7, epist. 3. ita rescripsit: *Verumtamen hoc video, cum homine audacissimo paratissimoque negotium esse: omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione ignominiaque dignos illac facere: omnem fere iuventutem, omnem illam urbanam ac perditam plebem, Tribunos valentes, addito C. Cassio: omnes, qui aere alieno premantur, quos plures esse intel-*

rapinis explevisses, (si hoc est explere, quod statim effundas,) advolasti egens ad tribunatum.

ligo, quam putaram. Causam solum illa causa non habet: reliquis rebus abundat. ABRAM. Barbadorius profert nescio quo ex MSo *profugium*, et firmat, adducto loco ex I. Tuscul. 49. *portum potius paratum nobis, et profugium putemus*, quomodo ibi cum aliquot libris MSis habet Victorius: adde locum similem pro Caec. 34. Sed utrobique viri docti ex optimis libris iamdudum legunt, *perfugium*. In frequentissima permutatione vulgata hic etiam est retinenda, quamvis cum codice illo Barberinus uterque consentiat. GARATON.

Si hoc est explere, quod statim effundas] Hic aliqnid deesse videtur, puta *haurire* vel *devorare*, vel aliquid tale post verbum *explere*, ut sit, *si hoc est explere, haurire quod statim effundas*. nihil tamen addo, reclamantibus omnibus libris. FAERN. In Gallia cum te effusis Caesaris donationibus explevisses, multa etiam rapuisses, et provinciam expilasses, et statim male parta male perdidisses, ad pristinam egestatem redactus Romam curriculo rediisti ad petendum Tribunatum, ut rursum ab illa egestate posses emergere. Addit oratoriam correctionem, quia videri poterat non satis proprie locutus, *Si hoc est explere, quod statim effundas.* quod est dictum obscurius, nisi legatur, *Si hoc est explere, devorare, quod statim effundas.* ABRAM. Haec est coniectura Faerni. Forte scripsit Cicero, *si hoc est explere, rapere quod statim effundas*. Verbum sane desideratur in Tullio, ideoque in editione Faerni his verbis praeposita est stellula index vitii. GRAEVIVS. Omnes fere desiderant aliquod verbum post *explere* quale est *haurire*, vel *devorare*, vel *rapere*. Ego *exhaurire* fuisse credo, quod, quia ab eadem syllaba incipit, Librarios fefellit. HEVSINC. Nihil puto deesse: verum Tullianam βραχυλογίαν agnosco. Sensus est: si hoc verbum *explere* de iis rebus usurpari potest, quae statim effunduntur. Pro Rab. Post. 16. *ex qua nihil illi detrahi potest, quod non aut fortiter ferat, aut facile restituat*, h. e. quod detractum. Notandum etiam pro Mur. 25. *qui consumpta replere, erepta recuperare vellent.* GARATON. Ernestius pro *quod statim* legendum esse putat *quum statim*, et Schütz. ad orationem plenam reddendam post *explere* inseruit in textum *ingerere*. At nullius correctione egemus, ut Garat. recte monuit.

Advolas egens ad Tribunatum] Pro *egens* 1. Col. habet *eius*. quod quanquam durinsculum mihi videatur: quia tamen et paulo infra dicit, *Iste venditum atque emancipatum Tribunatum consiliis vestris opposuit:* et liber hic non mediocris vetustatis est, praeterire silentio non placuit. FERRARIVS. *Advolas*

ut in eo magistratu, si posses, viri tui similis esses.

XXI. Accipite nunc, quaeso, non ea, quae ipse in se, atque in domesticum dedecus impure atque

egens] Antiquus liber *advolasti egens.* et paulo post *in te M. Antoni,* sine dictione *autem.* FAERNVS. Lamb. omnes codices ait habere, *advolasti.* Sed omnes MSi, excepto Vatic. et Lambinianis, *advolas,* quod non immerito retinebant Barbador. et Heusing. Tribui enim potest *advolasti* emendationi alicuius, qui a praecedente *cucurristi* id flagitari falso putaverit. GAR. Teeg. Gud. len. *advolas.*

Vt in eo magistratu, si posses, vitrici tui similis esses] *Viri tui similis,* o. l. scripti. optime. his autem verbis Curionem designat, qui superiore anno Tribunus plebis fuerat, emptusque a Caesare ab eius causa pertinaciter steterat. quid autem sibi haec verba velint, ex eo loco intelligere licet, *Sed cito intervenit Curio, qui te a meretricio quaestu abduxit: et tanquam stolam dedisset, in matrimonio stabili et certo locavit.* Sic etiam locutus est Post red. ad sen. *Eaque dixit, quae, si eius vir Catilina revixisset, dicere non esset ausus.* FERRAR. *Vt in eo magistratu, si posses, viri tui similis esses*] Pro *viri* in lib. Vaticano est *virtutis;* omnino mendose: *vitrici* est in alio libro, quod placet, et de P. Lentulo intelligendum est. F. VRSINVS. *Vitrici* placet Fulvio Vrsino. Sed cum P. Lentulus Sura fuerit gentis patriciae, non potuit gessisse Tribunatum. Quare retinenda est communis lectio *viri,* id est, C. Curionis, qui anno superiore, vel potius hoc ipso anno Tribunus plebis erat, magistratumque suum Caesari addixerat et mancipárat, adeo ut nemo flagrantiorem facem bello civili subiecerit. Dicitur vir Antonii eadem mente, qua superius dicitur *a Curione in matrimonio stabili et certo locatus esse.* Addit *si posses,* quia difficile fuit Antonio Curionis similem evadere, quod neque animo, neque ingenio et eloquentia ad Curionem aspiraret. ABRAM. Curio superiore anno Tribunus fuerat, et Caesaris causam egerat: vide c. 18. HEVSING. In Vat. non *virtutis* est, sed *virtuti,* manifesta corruptio ex *viri tui.* GAR.

Accipite] Duplex attentionis conciliandae ratio: altera, si directe petat, altera, si rerum, de quibus dicturus est, magnitudinem ostendat, doceatque, quae dicuntur, ea non aliena esse, sed ad ipsos auditores pertinere. Vtramque rationem usurpat: *Accipite nunc, quaeso.* directa petitio. Sequitur, *quae in nos fortunasque nostras, id est, nostram rempublicam,* quibus magnitudo rei ostenditur. Simul perspicuitatis

intemperanter, sed quae in nos fortunasque nostras, id est, in universam rem publicam, impie ac nefarie fecerit. Ab huius enim scelere omnium malorum principium natum reperietis. Nam, quum L. Lentulo, C. Marcello, consulibus, Kalendis Ianuar.

causa dicenda proponit, et iam dicta removet ab iis, quae dicturus est. Abram.

Quae in nos, fortunasque nostras, id est universam rempublicam] id est *in universam*, o. l. v. Ferrarivs.

Impie, ac nefarie] *Impie*, quasi in matrem, *nefarie*, quasi in Deos. *Omnes enim charitates patria una complectitur*, ut dicitur in libris Officiorum. Haec verba frequenter cohaerent. Exemplum sit in Verrem de Praetura urbana: *Multa enim et in Deos et in homines impie nefarieque commisit.* Quem in locum Asconius: *Nefarium, quod sacra polluit, farre pio solita celebrari. ergo nefarie, sacrilege.* Sed de nefario pro Milone et alibi. Abram.

Nam cum] De Tribunatu plebis Antonii et initio bellorum civilium plura dicturus, iacit velnti narrationis suae fundamentum, et chronologiam instituit, exposito non solum anno, sed etiam die, quo Antonius occoepit suis intercessionibus turbare rempublicam. Abram.

L. Lentulo, C. Marcello Consulibus] Duo breviter hic sunt dicenda, alterum, qui fuerint hi Consules: alterum, quoto urbis conditae anno gesserint Consulatum. De priore ut dicamus, gens Cornelia duplex fuit, patricia et plebeia. Rursum gens Cornelia patricia varias in familias fuit descripta. Nam alii dicti sunt Scipiones, alii Sullae, alii Cethegi, Cinnae, Dolabellae, Lentuli: familia Lentulorum in alias rursum familias est propagata. Fuerunt enim Lentuli Spintheres, Marcellini, Surae sive Crures. Lentulus Spinther Consul fuit cum Metello Nepote anno 696. ab Vrbe Condita. Lentulus Marcellinus anno sequenti cum Marcio Philippo. Lentulus Sura, vitricus Antonii, qui inter coniuratos in carcere necatus est, Consul fuerat cum Cn. Aufidio Oreste, octo annis ante Ciceronem. Iam cuius familiae fuerit noster hic Lentulus, dubitatur. Videtur ad Suras sive Crures pertinere. Hunc enim viri docti esse contendunt, cuius meminit Coelius epistola 4. ad Ciceronem, aiens: *P. Dolabellam quindecimvirum factum. Hoc tibi non invideo, caruisse te pulcherrimo spectaculo, et Lentuli Cruris repulsi vultum non vidisse. At qua spe, quam certa opinione descenderat? quam ipso diffidente Dolabella?* etc. Crederem, hunc Lentuli Surae filium esse, propter consortium nominis. (Solebant enim veteres eiusdem familiae cognomenta sua, eadem significatione servata, nonnunquam

labentem et prope cadentem rem publicam fulcire

deflectere, ut alibi diximus de Cascis et Priscis, et Suetonius a patre Leni dictus Tranquillus.) Sic a Lentulo illo Sura patre Lentulus Crus facile nomen acceperit. Certe Dio P. filium appellat. Quod ad C. Marcellum spectat, fuit e gente Claudia: quae gens, perinde ut Cornelia, duplex fuit. Suetonius in Tiberio cap. 1. *Patricia gens Claudia (fuit enim et alia plebeia nec potentia minor, nec dignitate) orta est ex Regillis, oppido Sabinorum.* Patricia in familias duas potissimas Pulchrorum et Neronum; plebeia in duas itidem est propagata; quorum alii Aselli dicti videntur, alii Marcelli. Marcellos autem fuisse plebeios, constat ex eorum Tribunatu. Livius lib. 9: *Tribuni plebis cum Praetore et decem legatis profecti, Marc. Claudius Marcellus, et M. Cincius Alimentius.* Tres autem sub initium belli civilis Marcelli floruerunt. M. Marcellus, pro quo extat Ciceronis oratio, Consul fuit anno 702. anno sequenti gessit consulatum C. Marcellus, M. Marcelli sobrinus, ἀνεψιὸς, sive utrumque enim fertur) ἀδελφὸς, frater, inquit, Dio sive potius frater patruelis, auctore Tranquillo cap. 29, lib. 1: *C. Marcello, qui fratri patrueli suo Marco in Consulatu successerat.* Hic est, qui Octaviam Augusti sororem uxorem habuit, e qua natus ille Marcellus deploratus sexto Aeneidos. Tertius fuit hic C. Marcellus, Marci frater, ut tum ex aliis constat, tum colligitur ex Dione, qui utrumque Marci filium appellat. Quoto urbis conditae anno hi duo, Lentulus et Marcellus, Consules fuerint, et bellum civile exarserit, non constat inter auctores. Velleius hanc iniit chronologiae suae rationem: *Lentulo et Marcello Consulibus, post urbem conditam annis* DCCIII, *et anno* LXXIIX, *quam tu, M. Vinici, Consulatum inires, bellum civile exarsit.* Dio Cocceianus biennio serius anno ab V. C. septingentesimo quinto assignat eorum Consulatum. Idem.

Labentem et prope cadentem] Luc. Lentulus Consul ipsis Kalendis Ianuariis retulerat ad Senatum de summa republica, quae Caesaris factionibus ruinam minabatur, et Patres his factionibus occurrentes labentem et prope cadentem rempublicam fulcire cupiebant, id est, tantis malis remedium adhibere, ne respublica, quae instar cuiusdam aedificii vitium facere et ruinam minari videbatur, penitus corrueret et affligeretur. Labi est sensim sine sensu deorsum ferri, cadere et subito et cum tumultu procumbere. Quidam e veteribus, ut aiunt, codicibus legunt *labantem*, quod fortasse magis quadrat. Est enim *labare*, graviter concuti, et praesentem ruinam minari. Et sane quae labuntur, nullo amplius adminiculo sunt fulcienda, quae labant autem, etiamnum fulciri possunt.

cuperetis, ipsique C. Caesari, si sana mente esset, consulere velletis! tum iste venditum atque

Labare est nutare, vacillare, ruinam minari. 2 Æneidos:

— *labat ariete crebro*
Ianua, et emoti procumbunt cardine postes.

Et clarius 4:

Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit. —

Hanc autem allegoriam libenter usurpat, ut de Haruspicum responsis: *Providete, ne reipublicae status commutetur. Etenim vix haec, si undique fulciamus, iam labefacta, vix, inquam, innixa in omnium nostrum humeris cohaerebunt.* Pro Sextio: *In gravissimis temporibus civitatis atque in ruinis eversae atque afflictae reip. P. Sextii tribunatus est a fortuna ipsa collocatus.* Abr. *Labantem* est quidem in Colon. et Graev. sed Vaticanus et ceteri retinent *labentem*, hoc est, quae coepit labi, et iamiam cadet. Graevivs. Ien. et alius cod. Graev. *labantem*, ut Abram. antea voluerat: Vatic. *labentem*, quod Graevius retinet explicans *labi incipientem.* Sed si plus est *prope cadentem*, non *labentem*, sed *labantem* praecedere debet; quod minus est, et nutantem, ruinam minantem significat, quae *fulciri* adhuc potest; labentibus enim sero fulcra parantur. Hevsing. Primus Car. Stephanus *labantem* suo ex cod. recepit, deinde Lamb. addito suorum testimonio, postremo Heusing. Ita etiam in cod. Mauriciano esse, Gruteri adnotatum manu reperit Abr. Gronovius, ut ad Iustin. xxx. 1. 10. testatus est. Rectissime: atque hanc lectionem magnopere confirmat locus pro Mil. 25. *Sed quis non intelligit, omnes tibi reip. partes aegras, et labantes, ut eas his armis sanares, et confirmares, esse commissas?* At enim in Epist. ad Brut. xviii. *te primo quoque tempore ferre praesidium labenti, et inclinatae* (cod. Barb. hic addit v. *paene*) *reipublicae:* tum pro Rab. Post. 16. *veterem amicum suum etc. labentem excepit, corruere non sivit, fulsit, et sustinuit re, fortuna, fide; hodieque sustinet, nec amicum pendentem corruere patitur.* Cave itaque damnes, licet non sequare, *labentem*, quod praecipua Vaticani commendat auctoritas. Garaton.

Ipsique C. Caesari] Quoniam potuit Antonius caussari, se intercessisse Senatusconsulto, quod Caesari, cui fuerat Quaestor anno superiore, iniuriam fieri videret (siquidem factum fuerat S.C., uti ante certam diem Caesar exercitum dimitteret, si non faceret, eum adversus rempublicam facturum videri), idcirco prudenter huic obiectioni noster occurrit, aiens, Senatum C. Caesari, si sana mente esset, et Senatui obtemperare vellet, consulere voluisse. Abram.

Tum iste venditum] Caesar Antonium magnis largitionibus

emancipatum tribunatum, consiliis vestris oppo-

sibi devinxerat, eique Tribunatum suum vendiderat, et quasi aere et libra mancipaverat Antonius, ut eo Tribunatu Caesar tanquam re propria abuteretur suo arbitratu. Tribunatum suum ita venditum consiliis Patrum opposuit Antonius, cum decreto Senatus intercessit pro Tribunicia potestate, et eam ob rem sententia Senatus iudicatus est fecisse contra rempublicam, quam ille Senatus ignominiam timere debet, quasi securim suis cervicibus imminentem. Multi enim, qui eam notam minores ob culpas contraxerant, penitus eversi et afflicti corruerunt. Idem.

Emancipatum] Scripti, vulgatique aliquot, *mancipatum*, quam lectionem in Thesauro Fabri adprobatam video. Recte tamen scribitur *emancipatum*, id est addictum, ut infra, *de vendita, atque addicta sententia*: dicuntur enim *emancipari*, quae venduntur, et in alienam potestatem traduntur. Vide interpretes Suetonii Oth. IV. Parei Lex. Crit. p. 412. et in primis Gronov. ad Epist. XLV. Nonium II. 285. Hevsing. Propagavit *emancipatum* ad omnes Gruterus, quod mirum est: apud solum enim Lambinum id reperit: sic tamen in Vaticano, unde habuit Muretus. Gar.

Tribunatum consiliis vestris opposuit] Res varie a variis describitur. Pretium operae fuerit aliquorum verba proferre. Caesar lib. 1. de bello civili videri vult Senatum liberum non fuisse: *Sic vocibus Consulis, terrore praesentis exercitus, minis amicorum Pompeii plerique compulsi, inviti et coacti Scipionis sententiam sequuntur, uti ante certam diem Caesar exercitum dimittat: si non faciat, eum adversus rempublicam facturum videri. Intercedunt M. Antonius, Qu. Cassius Tribuni plebis. Refertur confestim de intercessione Tribunorum: dicuntur sententiae graves. Vt quisque acerbissime crudelissimeque dixit, ita quam maxime ab inimicis Caesaris collaudatur.* Epitome Liviana lib. 109. *Cum Senatusconsultum factum esset, ut successor Caesari omnino mitteretur, M. Antonio et Qu. Cassio Tribunis plebis, quoniam intercessionibus id S. C. impediebant, urbe pulsis, mandatum a Senatu Consulibus et Cn. Pompeio, ut viderent, ne quid respublica detrimenti caperet.* Quod si, ut narrat Caesar, Senatusconsultum illud vi fuit expressum, quo decretum est, ut ante certam diem Caesar exercitum dimitteret, reprehendendus non est Antonius, qui conatus est intercessione rem impedire. Sed vereor, ut Caesar causam suam agat callidius quam verius, ne iniuste Consulibus et Pompeio bellum intulisse videatur. Dio Cassius lib. 4. rem aliter narrat, nec omni culpa liberat intercessionem Antonii. Postquam egit de Caesaris litteris

per Curionem allatis, et in Senatu per Antonium recitatis, subdit: *Cum sententiae essent ferendae, eae non a singulis pronuntiatae sunt (metuebant enim, ne quis verecundia timoreve compulsus secus, quam sentiret, diceret), sed in diversas Curiae partes discessum est. Ibi qui Pompeium (is tum in suburbanis cum exercitu erat) ab armis iuberet discedere, repertus est nemo: Caesarem vero universi praeter M. quendam Caecilium et Curionem eum, qui litteras attulerat*, etc. *His ita decretis, tamen per Longinum Antoniumque effectum est, ut neque ea die, neque postridie eius diei quicquam ratum haberetur. Id reliquis indigne ferentibus, lugubremque vestem sumentibus, cum ne sic quidem ratum fieret decretum, tamen ea sententia perscripta est.* E quibus vides, magno totius ordinis consensu fuisse decretum, ut omnino Caesar exercitum dimitteret. At Plutarchus in Pompeio, Caesare, Antonio videtur omnem culpam in L. Lentulum transferre: *Cum Caesar ex iis quae scripserat iusta et moderata petere videretur. Tandem vero cum de duobus Patres rogarentur sententias, censerentne, ut Pompeius exercitum dimitteret, rursum, an censerent, ut Caesar, cumque pauci iuberent Pompeium arma ponere, Caesarem propemodum omnes, surgens Antonius rogavit: Videreturne, ut Pompeius et Caesar arma ponerent, exercitusque dimitterent. Hanc sententiam omnes clare amplexi sunt, et cum clamore laudantes Antonium, id ratum haberi flagitabant.* Repugnantibus autem Consulibus, rursum alias conditiones modestas, ut videbantur, proposuerunt amici Caesaris, quibus restitit Cato: *Et Lentulus Consul Curia eiecit Antonium.* Quae si vera sunt, et imprudentissime Caesar ea praetermisit, et impudentissime Tullius Antonio suam intercessionem obiecit. Sed fortasse Plutarchus et rem et personas et tempora confuderit. id enim, quod in vita Caesaris et Antonii Antonio tribuit, in vita Pompeii refert ad Curionem, qui anno superiore fuerat Tribunus plebis, volueratque, ut uterque simul exercitum dimitteret, et ut narrat etiam Appianus lib. 2. de bellis civilibus: *Cum rogaret Curio, ecquid iubeant ambos potestatem deponere, viginti duobus id non placuit, trecenti septuaginta omissa contentione ob commodum publicum in Curionis sententiam discesserant.* Sed haec, ut dixi, anno superiore. Hoc autem tempore, quo de nunc agitur, cum minaces litteras Caesar ad Senatum misisset, sive per Curionem, ut volunt Dio et Appianus, sive potius per C. Fabium, ut Caesar ipse testatur, iis recitatis, magno totius ordinis consensu *conclamatum est* (inquit Appianus), *denunciari bellum, iussusque ei succedere L. Domitius.* Quae verissima esse, constare videtur ex epistola decima ad Tironem. Etsi enim non adfuit Cicero, cum haec agerentur, tamen tertio post die ad urbem accessit: *Ego ad ur-*

tuit, cervicesque suas ei subiecit securi, qua multi minoribus in peccatis occiderunt. In te, M. Antoni,

bem accessi pridie Nonas Ian. Nec causa suberat, ut mentiretur, cum et ad suum libertum scriberet, et adhuc amiens esset tum Caesaris, tum Antonii: *Omnino,* inquit, *et ipse Caesar, amicus noster, minaces ad Senatum et acerbas litteras miserat, et erat adhuc impudens, qui exercitum et provinciam invito Senatu teneret: et Curio meus illum incitabat. Antonius quidem noster et Cassius nulla vi expulsi ad Caesarem cum Curione profecti erant.* Abram.

Ei subiecit securi] Periculo vel etiam supplicio, quia securi cervices amputabant. Herodianus libro 8. occiso Maximino: *Balbinus vero etiam ipse hecatombas immolavit, omnesque magistratus et Senatus, ut si excussissent securim suis cervicibus imminentem.* Elegans illud Iuliani lib. 4. Anthologiae cap. 32. εἰς ἀρχοντικὸν πέλεκυν, cuius alibi memini me facere mentionem:

Ἢν μὲν ἀλιτραίνῃς, πέλεκυν βλεφάροισι δοκεύεις,
Ἂν δὲ σαοφρονέῃς, ἄργυρόν εἰμι μόνον.

Si pecces, rigidam cernes hic stare securim,
At vero argentum sum modo, si sapias.

Damnatorum tamen capita non solum securi, sed etiam gladio demebant. Spartianus in Caracalla: *In conspectu eius Papinianus securi percussus est, et a militibus occisus: quo facto percussori dixit: Gladio te exequi oportuit meum iussum.* E quibus colligunt viri eruditi, maioris ignominiae fuisse gladium, quam securim, etsi Florus lib. 2, cap. 5. de Illyricis agens videtur innuere contrarium: *Legatos quoque nostros ob ea, quae deliquerant, iure agentes nec gladio quidem, sed, ut victimas, securi percutiunt.* Abram.

In minoribus peccatis] *Minoribus in peccatis,* o. l. v. multo elegantius. Ferrarivs. Cum MSis Ferr. consentiunt ambo Barberini Vatic. et Nonius p. 387. qui habet etiam, sed non recte, *cervicisque.* Gar.

In te autem] Supra dixerat, Antonium, cum intercessit, cervices suas ei securi subiecisse, qua multi minoribus in peccatis occiderunt. Nunc a consequentibus, et poena iudicio Senatus inflicta Antonii peccatum exaggerat. Hanc autem notam a Senatus dignitate amplificat, qui tum erat incolumis, necdum Catones, Marcellos, Lentulos, Domitios caeteraque illa lumina reipublicae bellis civilibus amiserat. 2. amplificat, quod in eo mos maiorum servatus fuerit, eaque notatus fuerit ignominia, qua maiores notare consueverant eos, qui damnati et convicti fuerant quasi perduelles in rempublicam. Abr.

id decrevit senatus, et quidem incolumis, nondum tot luminibus exstinctis, quod in hostem togatum decerni est solitum more maiorum; et tu apud patres con-

In Vatic. et Colon. deficit *autem*, idque merito. Facile hoc apparebit, interpunctione a me sic infra mutata: *more maiorum: et tu apud Patres conscriptos etc.* h. e. et tu tamen ausus es. Sic cap. 43. Vide Heuman. ad c. 16. post red. in Senatu. Heusing. Vera est viri praestantis interpunctio, quam dederant antea iam Ald. Naug. Camer. P. Man. et Car. Steph. Gar. Interpungendum esse putavi textum. Vat. et Colot. merito *autem* omittunt, quorum auctoritatem Heusing. secutus est.

Nondum tot luminaribus exstinctis] *Luminibus*, tres l. v. in queis Col. quod ita placet, ut non dubitem, quin hoc verum, illud alterum subdititium sit. Ferrarius. *luminibus exstinctis*] Ferrario, qui in Col. et duobus aliis codd. invenit *luminibus*, haec lectio praeplacet. Teeg. Gud. et Ien. *luminaribus*.

Quod in hostem togatum decerni solitum] Explicat Schottus noster d. cap. 12. Gruт. *In hostem togatum decerni*] Senatus nonnunquam decernebat, ut perturbatores reipublicae in hostium numero haberentur. In Pisonem: *De me Senatus ita decrevit, Cn. Pompeio auctore, et eius sententiae principe, ut, si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur.* Vbi diximus, Senatum nonnunquam ita decreta sua muniisse, ut adscriberet, si quis intercesserit, se gravissime laturum, vel intercessorem videri facturum contra rempublicam, vel eum in hostium numero habendum. Quae eodem pene recidebant. Idem enim fuit videri fecisse contra rempublicam atque in hostium numero censeri. Nam pro Sextio, de eodem illo S. C. facto in sententiam Pompeii disserens, ait additum: *Ne quis impediret, ne quis moram ullam faceret: si quis aliter fecisset, eum plane eversorem reipub. fore, idque Senatum gravissime laturum, et ut statim de eius facto referretur.* Et epistola 8. Coelii ad Ciceronem haec verba cuiusdam S. C. referuntur: *Qui impedierit, eum Senatum existimare contra rempublicam fecisse.* In cives armatos idem etiam Senatus pronuntiabat. Abram.

Et tu] Secundum argumentum ab impudentia M. Antonii, qui cum sibi conscius esset huius notae a Senatu sibi inustae, ita tamen omnem pudorem abiecerat, ut non vereretur in ipso Senatu contra Ciceronem invehi, quem sciebat patrem et conservatorem reipublicae a Senatu fuisse iudicatum, postquam Catilinae coniurationem oppressit, et rempublicam ab exitio liberavit. Idem.

scriptos contra me dicere ausus es, quum ab hoc ordine ego conservator essem, tu hostis rei publicae iudicatus? Commemoratio illius tui sceleris intermissa est, non memoria deleta. Dum genus hominum, dum populi Romani nomen exstabit, (quod quidem erit, si per te licuerit, sempiternum,) tua illa

Commemoratio] Tertium argumentum a consequenti ductum, ex infamia et indicio posteritatis: quia nimirum, etsi ad aliquod tempus intermissa fuerit illius sceleris commemoratio, tamen hoc factum litteris mandatur, hoc litteris proditur, neque ulla unquam aetas de intercessione tam nefaria conticescet. Idem.

Dum populi Romani nomen extabit] Credebant imperii populique Romani nomen fore sempiternum. Quia nimirum aedificando Capitolio, ut narrat Livius lib. 1., Tarquinius, *ut libera a caeteris religionibus area esset tota Iovis templique eius, quod inaedificaretur, exaugurare fana sacellaque statuit.* Subdit: *Cum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere: idque omen augurlumque ita acceptum est, non motam Termini sedem, unumque eum Deorum non evocatum sacratis sibi finibus firma stabiliaque cuncta portendere. Hoc perpetuitatis auspicia accepto*, etc. Furius Camillus apud eundem libro 5 exeunte: *Hic Capitolium est, ubi quondam capite humano invento, responsum est, eo loco caput rerum summamque imperii fore. Hic cum augurato liberaretur Capitolium, Iuventas Terminusque maximo gaudio patrum nostrorum moveri se non passi.* Quod scilicet his auspiciis portendi putarent, neque terminos imperii Romani motum iri, et eius iuventutem perpetuam fore, atque proinde nomen populi Romani sempiternum. Hinc illud 1 Aeneidos:

His ego nec metas rerum, nec
tempora pono,
Imperium sine fine dedi. —

Inde *aeterna urbs* dicitur. Tibullus lib. 2, eleg. 5:

Romulus aeternae nondum formaverat urbis
Moenia, consorti non habitanda Remo.

Ex hac etiam persuasione illud 9 Aeneidos:

Nulla dies unquam memori
vos eximet aevo,
Dum domus Aeneae Capitoli
immobile saxum
Accolet, imperiumque pater
Romanus habebit.

Horatius:

— *dum Capitolium*
Scandet cum tacita virgine
Pontifex.

Id est, *dum populi Romani nomen extabit.* Abram.

Si per te licuerit] Licebit rectius est in libro Vaticano. F. Vrsinvs.

Si per te licuerit] Nisi tu tuis

pestifera intercessio nominabitur. Quid cupide a senatu, quid temere fiebat, quum tu, unus adolescens, universum ordinem decernere de salute rei publicae

sceleribus rempublicam everteris. Abram. *licuerit*] Vat. *licebit.* Tceg. et Gud. *licuerit.*

Quid cupide a Senatu] Vulgo dicitur, *quid cum passione?* Potuit autem Antonius hanc excusationem facto suo praetexere, quod non opposuerit se Senatus voluntati, sed cupiditatibus et studiis certorum hominum, qui Caesarem oderant, et eius odio impulsi eum de provincia revocabant, aut potius detrahebant. Occurrit Tullius, id non cupide, aut temere factum a Senatu, quod iusta causa Caesaris revocandi subesset. Intelligebat enim Senatus, consilia Caesaris iam in manifestam tyrannidem erumpere, nisi mature occurreretur, ac proinde non eum revocabat, ut odium suum expleret, sed ut labantem ac prope cadentem fulciret rempublicam. Idem.

Cum tu unus adolescens universum ordinem] Singulorum verborum momenta perpende, *unus*, *adolescens*, *universum ordinem*, etc. quibus quaedam antithesis continetur, *unus universo*, *adolescens ordini.* i. Senatui. addit *decernere de salute reipublicae*, quia ex eo pendebat reipublicae salus, ut Caesar exercitum dimitteret, quo ille exercitu fretus suam potentiam stabiliebat contra rempublicam. Idem.

Unus] Immo, ut ait Caesar, lib. 1. de bello civili: *Intercedunt M. Antonius, Q. Cassius* Longinus, *Tribuni plebis.* De intercessione utriusque adstipulatur Dio libro 41. innuit Appianus lib. 2. de bellis civilibus. Plutarchus in Caesare et Antonio intercessionis solius Antonii facit mentionem, etsi fortasse data opera ambiguitatem orationis captaverit, τῶν περὶ Ἀντώνιον. Apud omnes tamen in confesso est, tam Cassium quam Antonium se ad Caesarem contulisse. Facile inducor, ut credam elatorie dictum ad exaggerandam intercessoris audaciam, si unus intercessisse videatur. Idem.

Adolescens] Iam erat adolescens Antonius Ciceronis et C. Antonii Consulatu, supra: *Quis enim eques Romanus, quis praeter te adolescens nobilis, quis ullius ordinis, qui se civem meminisset, cum Senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit?* At inter Consulatum Ciceronis et Antonii Tribunatum anni quatuordecim effluxerant. Quare mirum cuipiam videri possit, Antonium adolescentem tamdiu fuisse. Verum cum lege Cornelia annali annus trigesimus esset Tribunatui plebis constitutus, potuit etiam tum adolescens vocari. Censorinus de die natali: *Varro quinque gradus aetatis aequabiliter putat esse divisos, unumquemque scilicet praeter extremum in annos quindecim. Itaque primo gradu*

prohibuisti? neque id semel, sed saepius? neque tu tecum de senatus auctoritate agi passus es? Quid au-

usque ad annum quintumdecimum pueros dictos, quod sint puri, id est impubes: secundo ad tricesimum annum adolescentes ab alescendo sic nominatos: in tertio gradu qui erant usque quinque et quadraginta annos iuvenes appellatos, eo quod rempublicam in re militari possent iuvare: in quarto autem ad usque sexagesimum annum seniores esse vocitatos, quod tunc primum senescere corpus incipiat: inde usque finem vitae uniuscuiusque quintum gradum factum, in quo qui essent, senes appellatos, quod ea aetate corpus senio iam laboraret. Notat tamen doctissimus Manutius in epistolam 1, lib. 2. ad familiares, et pueros dici nonnunquam post annum decimum quintum, et adolescentes post tricesimum, et iuvenes ante tricesimum. Singulorum exempla proferemus. Octavianus Caesar natus est Consulatu Ciceronis, ut Velleius et alii prodiderunt: ergo, cum ex Apollonia rediit, Caesarisque Dictatoris nomen et hereditatem adiit, annum aetatis undevicesimum excesserat. Nihilo tamen secius puer a Tullio nominatur, epist. 7, lib. 11: *Et adolescentem vel puerum potius Caesarem iudices temere fecisse, qui tantam causam publicam privato consilio susceperit.* Philipp. 4: *Laudo, laudo vos, Quirites, cum gratissimis animis prosequemini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potius.* Immo puer absolute, lib. 10, epist. 28. ad Trebonium: *Puer egregius Caesar.* Lib. 12, epist. 25. Antonium *ructantem et nauseantem conieci in Caesaris Octaviani plagas. puer enim egregius praesidium sibi primum et nobis, deinde summae reipublicae comparavit.* Brutus enim eo ipso anno, quo Praeturam gerens Caesarem percussit, dictus adolescens Cornelio Nepoti in Attici vita: *Sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens aequali familiarius quam hoc sene uteretur: neque solum eum principem consilii haberet, sed etiam in convictu.* Praetura autem, ut constat e legibus annalibus, non ante annum aetatis nonum et trigesimum conferebatur. Abram.

Neque id semel] Aliud adiectum, quo Antonii scelus exaggerat, quod Antonius in eo pertinax fuerit et obstinatus, ostenderitque, se non subito nascentis cupiditatis impetu, sed certa animi inductione Senatusconsulto de provinciis intercedere, neque secum agi de Senatus auctoritate, id est, ne voces quidem eorum admiserit, qui rogabant, ne se unus Senatus auctoritati opponeret. Idem. In Vatic. *id* omittitur. Gar.

Quid autem agebatur] A re ipsa, quae agebatur, videlicet salute reipublicae, facti indignitatem ostendit, ad maiorem acer-

tem agebatur, nisi ne delere et evertere rem publicam funditus velles, quum te neque principes civitatis rogando, neque maiores natu monendo, neque frequens senatus agendo, de vendita atque addicta

bitatem non ait, Quid autem aliud agebatur, nisi ut conservaretur respublica? sed orationem ad ipsum Antonium convertit. ABRAM.

Nisi ne delere, et evertere remp.] Emenda, *deleri, et everti.* FAERNVS. Recte: paruitque Faërno Lambinus. Coniecturam vero inde fecit vir doctissimus, quod in Vatic. reperit, *delere, et everti.* Passivi, et activi coniunctio, quam alibi defendimus, non habet hic, opinor, locum. GAR.

Velles] Hoc verbum in legibus, Senatusconsultis, et edictis usitatum. Macrobius 2. Saturnal. cap. 6: *Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut aediles edicerent, ne quis in arenam nisi pomum misisse vellet. Forte iis diebus Casellius consultus a quodam, an nux pinea pomum esset, respondit, Si in Vatinium missurus es, pomum est.* Gellius lib. 13. Noct. Attic. cap. 14: *In edicto Consulum, quo edicunt, quis dies comitiis centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua:* NE QVIS MAGISTRATVS MINOR DE COELO SERVASSE VELIT. Valerius Maximus libro 2. de spectaculis: *Senatusconsulto cautum est, ne quis in urbe propiusve passus mille subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet.* ABRAM.

Neque maiores natu monendo] Haec verba non sunt in antiquo libro: quae tamen supervacanea non videntur. FAERNVS.

Neque frequens Senatus agendo] Sic omnes fere l. v. *neque R. eques aut Senatus.* quod tamen minime placet. Col. cum impressis facit. FERRARIVS. *Neque frequens Senatus etc.*] Nihil muto: sed tamen in duobus libris reperi, *neque R. eques aut Senatus,* inquit Guilielmius. neque aliter Pal. pr. aut ii, quos excussit Ferrarius. GRVTERVS. Vna vox *frequens* imperite divisa, et pro duabus accepta, HEVSING. Mirum, quam multos libros mendum hoc occuparit: idque ab Aldo primum in editis sublatum vidi. GAR.

Vendita atque addicta] Res venduntur in privatis etiam contractibus, addicuntur auctionibus publicis. Atque adeo minus est vendere quam addicere. Supra *venditum et mancipatum.* Atque ut ibi diximus, id esse inter utramque dictionem discriminis, quod venditio sit simplex contractus, qui etiam sine testibus et privatim iniri possit, mancipatio autem et testes, et certam iuris formulam requirat: sic etiam in praesenti dicendum est, addictionem proprie dici in

sententia demovere potuit? Tum illud, multis rebus ante tentatis, necessario tibi vulnus inflictum, quod paucis ante te; quorum incolumis fuit nemo. Tum contra te dedit arma hic ordo consulibus reliquisque

publica auctione, vel etiam in iudicio, cum sententia Praetoris res controversa uni e litigatoribus attribuitur: qui secundus addictionis modus parum ad hunc locum videtur attinere. De priore modo vide Iurisconsultos D. de in diem addictione, Antonium Augustinum lib. 2. emendat. cap. 3. Vallam lib. 5. elegant. cap. 28. Budaeum, Alciatum, etc. E quibus constat, rem addici, cum in auctione publica plus offerenti, et ad pretium superioris licitatoris aliquid adiicienti attribuitur. Pro Caecina: *Adest ad tabulam: licetur Æbutius. deterrentur emptores multi, partim gratia Cesenniae, partim etiam pretio. Fundus addicitur Æbutio: pecuniam argentario promittit Æbutius*, etc. *hac emptione facta pecunia solvitur a Cesennia.* Vide et Tranquillum in Iulio c. 50. in Caio Caligula 88. Abram.

Tum illud] Redit ad notam Senatus, qui in Antonium decrevit, quod in hostem togatum decerni est solitum more maiorum. Id est, decrevit, eum contra rempublicam facturum videri, si diutius Senatusconsulto de provinciis Caesaris obstitisset. Notat tamen, id factum fuisse, et multis rebus ante tentatis, et necessario, ut ostendat Senatus lenitatem, qui ad huiusmodi poenam infligendam non descendisset, nisi necessitate compulsus. Notat, paucis ante Antonium id vulnus inflictum fuisse, ut eo poena gravior quo inusitatior appareat. Addit eorum, quibus inflictum est, incolumem fuisse neminem, ad exaggerandam poenae gravitatem. Idem.

Multis ante tentatis] *Multis rebus ante temptatis*, nonnulli v. l. in queis. Col. Ferr. *Multis rebus ante tentatis*] Iure notat Orator, multas res fuisse ante tentatas, ne quis Senatum putet temere descendisse ad illud Senatusconsultum, quod, ut mox e Caesare dicemus, erat *extremum atque ultimum.* Abram.

Tum contra te dedit arma] Epistola 10. ad Tironem: *Senatus Consulibus, Praetoribus, Tribunis plebis et nobis, qui Proconsules sumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid respublica detrimenti caperet.* Quo Senatusconsulto (ut notat Sallustius in Catilina) *Potestas per Senatum more Romano maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque cives, domi militiaèque imperium et iudicium summum habere.* Caesar libro 1. de bello civili: *Decurritur ad illud extremum atque ultimum Senatusconsultum, quo, nisi pene in ipso urbis incendio, atque in desperatione omnium salutis, latorum*

imperiis et potestatibus: quae non effugisses, nisi te ad arma Caesaris contulisses.

audacia nunquam ante discessum est: Dent operam Consules, Praetores, Tribuni plebis, quique Consules (lege *Proconsules*) *sunt ad urbem, ne quid respublica detrimenti capiat.* Videtur autem Noster inter imperia et potestates ponere distinctionem, quod Tribuni plebis potestatem haberent, imperium non haberent. Vide Sigonium lib. 1. de antiquo iure civium Romanorum cap. 20. ubi prudenter advertit, Dictatoris, Consulum, Decemvirum, Tribunorumque militum Consularium, ac Praetorum, eorum denique omnium, qui lictores cum fascibus habuerunt, non potestatem solum, sed etiam imperium extitisse, Censorum vero, et Ædilium, et Tribunorum plebis, qui non lictores, sed viatorem duntaxat habuerunt, potestatem tantum fuisse. Atque ut Censores et Ædiles omittam, quibus, ut ex Cicerone et Caesare constat, mandata non fuerat respublica, iure Tribunus plebis dicitur habere potestatem, non imperium, quia vis eius magistratus sita non erat in imperando, sed in prohibendo. Plutarchus Catone Uticensi: *Potestatem enim is magistratus habet magis prohibendi, quam faciendi. Etsi omnes reliqui praeter unum decernant, tamen eius, qui non vult, neque sinit, potestas obtinet.* Abram. De imperii, potestatisque differentia adde Ioh. Cannegieter. in suis Observ. Miscell. cap. VI. p. 398. ubi similes quoque alios Tullii locos habes. Gar.

Nisi te ad arma Caesaris contulisses] Res varie narratur. Noster epistola 10. ad Tironem suum, apud quem nulla suberat ratio mentiendi, negat expulsos: *Antonius quidem noster et Cassius nulla vi expulsi ad Caesarem cum Curione profecti erant, posteaquam Senatus Consulibus, Praetoribus, Tribunis plebis, et nobis, qui Proconsules sumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid respublica detrimenti caperet.* Affirmat et queritur Caesar: *Nec Tribunis plebis sui periculi deprecandi, neque etiam extremi iuris intercessionem retinendi, quod Luc. Sulla reliquerat, facultas tribuitur; sed de sua salute septimo die cogitare coguntur.* Sed, opinor, praetextus suis armis quaerendi causa Senatus et Consulum praesertim violentiam in maius exaggerat. Adstipulatur tamen Lucanus:

Expulit ancipiti discordes urbe Tribunos
Victo iure minax iactatis Curia Gracchis.

Suetonius in neutram partem affirmat, sed ait: *sublatam Tribunorum intercessionem, ipsosque urbe cessisse nuntiatum.* E Graecis Plutarchus in Caesare non solum expulsum a Consulibus, sed etiam cum contumeliis

XXII. Tu, tu, inquam, M. Antoni, princeps

expulsum fuisse testatur: *Contumeliis affectos cum ignominia expulerunt.* Dio cum Cicerone inustam a Senatu fuisse notam narrat, non tamen expulsos, sed tantum monitos, ut discederent. Vbi enim intercessionem Antonii exposuit: *Qui eius decreti auctores fuerant*, inquit, *statim Curia egressi, mutataque veste in Curiam reversi, de suppliciis eorum, qui se opposuerant, deliberavere: qui cum re percepta primum restitissent, post territi cum aliis de caussis, tum quod Lentulus suasisset, ut urbe exirent prius, quam sententiae perferrentur, multis verbis factis, obtestatique cum Curione ac Caecilio ad Caesarem abiere, non iam magni pendentes, quod essent ex Senatorum albo sublati.* Appianus libro 2: *Consules quoque Marcellus et Lentulus iusserunt hos Tribunos Senatu excedere*, Antonium, et Cassium Longinum, *ne forte quamvis sacrosancti violarentur. Tum Antonius iratus e sella prosilit, magno clamore fidem hominum deumque invocans, quod nec potestas hactenus inviolata iam tuta sit, et auctores salubrium sententiarum eiiciantur per contumeliam, quasi homicidio se polluissent, aliove scelere. His dictis furibundus excurrit, bella, caedes, proscriptiones, exilia, mulctationes ceu e tripode vaticinans dirisque devovens eos, qui caussa essent tantorum malorum.* Quare arbitror, Antonium et Cassium Tribunos plebis Consulum iussu ignominiae causa e curia magnis Senatus universi conviciis expulsos fuisse, nulla vi tamen ex urbe expulsos. Hi autem huiusmodi Senatus ignominia notati cum Curione et M. Caecilio (ut est apud Dionem, videtur autem legendum et M. Coelio, nam ipse Caesar M. Rufum convicio Lucii Lentuli Consulis fuisse correptum, M. autem Rufus is ipse est M. Coelius, pro quo Ciceronis extat oratio) hi, inquam, ita notati, ut scribunt Plutarchus et Appianus, ἐπὶ μισθίων ζευγῶν πεφευγότες, ἐν ἐσθῆσιν οἰκετικαῖς, *vehiculo meritorio fugientes, servilique habitu*, ad Caesaris arma se contulerunt. Abram.

Tu, tu, inquam] Verbi reduplicatione Antonium pungit, et quasi repetitis ictibus stimulat, quod C. Caesari quasi quidam antesignanus fuerit ad bellum patriae inferendum. Legunt aliqui, ut notat Lambinus, *ansam belli*, pro *causam belli*, quae lectio mihi plurimum arridet. Si enim Caesar iam ante omnia turbare cupiebat et tantummodo speciosum praetextum suo sceleri quaerebat, non reipsa belli causa fuit expulsio et circumscripio M. Antonii, sed tantum praetextus, et occasio, quam Caesar oblatam arripuit, quasi ansam, ad bellum reipublicae inferendum. Eam tamen causam videri volebat Caesar, quasi non ambitione duceretur, sed intercessionem Tribuniciam et iura plebis Romanae defenderet. Idem.

C. Caesari, omnia perturbare cupienti, causam belli contra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat? Quam causam dementissimi sui consilii et facti afferebat, nisi quod intercessio neglecta,

Caesare perturbare omnia cupienti] *Omnia perturbare*, o. l. v. Ferrar. (Sic et Graev. et Colon.) *Perturbare*] Eodem sensu Caesar 1. de bello civili: *Omnia permisceri mallent, quam imperium exercitusque dimittere.* Eodem sensu videtur dixisse Plutarchus in Gracchis: Ὡς γῆς ἀναδασμὸν ἐπὶ σύγχυσιν τῆς πολιτείας εἰσάγοντος τοῦ Τιβερίου, καὶ πάντα τὰ πράγματα κινοῦντος. *Tanquam agrorum divisionem ad confusionem status totius civitatis Tiberius induceret, et omnia perturbaret.* Comicus:

Ἤστραπτ᾽, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Sic fulgurabat, intonabat, Graeciam
Miscebat. —

Abram.

Causam belli contra patriam] Quidam legi volunt, *ansam belli.* Lambinus. Retinet *causam* cum libris omnibus, quos noverimus, ille ipse, qui magna cum varietate h. l. adfert, Aquila Romã de Figur. cap. XXIX. Sic enim Rhetor ille. *Tu, tu, Antoni, Caesari ruenti, atque omnia permiscere cupienti causam belli civilis dedisti.* Putat Ruhnken. voces *ruenti*, et *permiscere* huc Aquilam transtulisse ex 32. pro Amer. *ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant.* Etiam IX. ad Att. 10. *labentem, vel potius ruentem Pompeium:* et ipse Caesar *ruere* dicitur in hac eadem re VII. ad Att. 21. Gar.

Quid enim] Caesaris ipsius auctoritate probat, causam, vel saltem praetextum belli civilis in Antonii persona constitisse: quod ille nullam aliam causam suo facto praetexeret, nihil causaretur aliud, quam se arma sumpsisse, non contra patriam, sed contra quosdam factiosos, qui Tribunıciis intercessionibus non paruerant, eamque potestatem ad infimae plebis patrocinium institutam de republica sustulerant, et Antonium circumscripserant, id est, eius potestatem minuerant, et quasi positis cancellis limitarant. Abram.

Causam dementissimi sui consilii] *Sui dementissimi*, o. l. v. Ferrarius. Vaticanus Ferrarii libris accedit. Gar.

Intercessio neglecta] Iam videri potest e dictis superiore cap. hoc ipsum esse quod Caesar causaretur, et maxime inferendi belli consilio praetexeret. Lib. 1. de bello civili: *Refertur de intercessione Tribunorum: dicuntur sententiae graves. Vt quisque acerbissime crudelissimeque dixit, ita quam maxime ab inimicis Caesaris collaudatur.* Item: *Nec Tribunis plebis*

sui periculi deprecandi, neque etiam extremi iuris intercessionem retinendi, quod Luc. Sulla reliquerat, facultas tribuitur: sed de sua salute septimo die cogitare coguntur: quod illi turbulentissimi superioris temporis Tribuni plebis octavo denique mense suarum actionum respicere ac timere consueverant. Atque hanc unam consilii sui caussam attulit in illa militari concione, qua milites suos ad bellum civile suscipiendum hortatus est. ibidem: *Novum in republica introductum exemplum queritur, ut tribunicia intercessio armis notaretur atque opprimeretur, quae superioribus annis armis esset restituta. Sullam, nudata omnibus rebus tribunicia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse: Pompeium, qui amissam restituisse videatur, dona etiam, quae ante habuerit, ademisse.* Iure autem id causabatur Caesar, quod vellet causam suam videri popularem. Hic enim magistratus creatus fuerat, ut infimae plebis commoda contra patriciorum caeterorumque magistratuum vim defenderet. ut videre est apud Halicarnasseum libro 6. *Vt plebi sui magistratus essent sacrosancti,* inquit Livius libro 2, *quibus auxilii latio adversus Consules esset.* Multiplex autem fuit tribuncia intercessio, nam et intercedebant Senatusconsultis (vide Milonianam) et legibus ferendis, ut passim videre est, praesertim apud Appian. lib. 1. de bellis civil., et triumphis. Pro Coelio: *Virgo illa Vestalis, quae patrem complexa triumphantem ab inimico Tribuno plebis de curru detrahi passa non est.* Et delectui militum. Dionysius Halicarnass. lib. 8. exeunte: *Consules extra urbem in campo adiacentes Consulares (Praetorias) sellas posuerunt. ibi militum delectum habuerunt,* etc. *Tribunus autem plebis, qui intercedebat delectui, nihil amplius facere poterat. Nullius enim rei extra urbem Tribuni plebis potestatem habent.* Profectioni magistratuum in provincias, ut intercessit Crasso ad Parthos proficiscenti Atteius Tribunus plebis, et cum neque intercessionibus, neque diris et execrationibus quicquam profecisset, quas refert Plutarchus et alii, inquit Dio libro 39: *Eum Atteius in carcerem coniicere conatus est.* Iudiciis et quaestionibus instituendis. supra: *Non venirem contra iniuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure praetorio.* Sententiis iudicum iam pronuntiatis, et earum executioni, ut Tiberius Gracchus intercessit, ne L. Scipio damnatus peculatus in vincula duceretur. vide de Provinciis Consularibus. Denique omnibus collegarum suorum actionibus, ut mox ex Dionysio lib. 10. antiq. Rom. constabat. Cuius intercessionis ea vis fuit, ut unus posset contra collegarum suorum omnium sententiam rem impedire, neque intercessionis suae causam dare cogeretur, ut pro Milone iam probavimus ex Plutarcho et Appiano. ABRAM.

ius tribunicium sublatum, circumscriptus a senatu

Ius Tribunicium] Praeter intercessionem multa alia iura Tribunatus plebis habuit. 1. Vt sacrosancti essent. Auctor est Livius lib. 3. ex Iuris interpretum sententia: *Tribunos vetere iureiurando plebis, cum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse.* 2. Lege Valeria Horatia lata post Triumviros exactos id iuris habuerunt: *Vt qui Tribunis plebis, Ædilibus, iudicibus, decemviris nocuisset, eius caput Iovi sacrum esset: familia ad aedem Cereris, Liberi Liberaeque venum iret.* Quae lex quomodo a superiore differat, vide Livium loco citato. Videtur tamen Dionysius libro 6. utramque confundere. 3. Vt, cum Tribunus plebis haberet concionem, non liceret interfari. Vide Sextianam: *Fretus sanctitate Tribunatus, cum se non modo contra vim et ferrum, sed etiam contra verba atque interfationem legibus sacratis esse armatum putaret, venit in templum Castoris.* 4. Quandam etiam habuit certis in rebus iurisdictionem. Iuvenalis Sat. 8:

Rara tamen merces, quae cognitione Tribuni
Non egeat.

Quam iurisdictionem non per se solum, sed etiam per Ædiles exercebat. Vide Dionysium Halicarnasseum libro 6. 5. Tribunicii iuris fuit, ut nemo, qui Tribunus plebis non esset, ordinarie posset actiones tribunicias impedire. Halicarnasseus libro 10: *Nihil enim eorum, quae ab illo magistratu fiunt, impedire aut prohibere cuiquam fas est, sed ea est alterius Tribuni plebis auctoritas.* Adeo ut ipsi etiam Consules contra Tribunos frequenter aliorum Tribunorum plebis auxilium implorarent. Addit, id cautum fuisse legibus sacratis: *Neque enim aut magistratui, aut privato permittebatur quicquam facere adversus Tribunum plebis.* Dixi ordinarie, quia, ut sequenti Nota dicendum est, Senatus Tribunos circumscribebat, aut penitus ab administratione reipublicae submovebat. 6. Vt creato Dictatore, caeteris magistratibus abrogatis, ipsi magistratum retinerent. Plutarchus in Antonio. 7. Brutus oratione in Caesarem apud Appianum 2. de bellis civilibus: *Lex et iusiurandum maiorum nostorum Tribuno plebis ne quidem iudicium intendere permittunt.* 8. Vt Senatum posset convocare. 9. Vt etiam praesentibus Consulibus in Senatu ius relationis haberet. utrumque probavimus in Sextiana. 10. Aliquod etiam in ipsos Consules ius habuerunt Tribuni plebis, si quando Consules Patribus Conscriptis obtemperare noluissent. Vide Livium lib. 4. Quam frequenter autem Tribuni plebis ab his initiis auspicati ipsos etiam Consules in carcerem compegerint, dictum a nobis est in Vatinium. 11. Etsi, ut modo dicemus, extra pomoerium ordinariam po-

testatem haudquaquam habuerunt, tamen nonnunquam cum legatis missi sunt a Senatu, ut Proconsules in officio continerent, eosque, si Senatui obtemperare noluissent, comprehendi iuberent, ut oratione de Provinciis Consularibus, cum *de decem legatis* ageremus, auctoritate Livii lib. 9, et lib. 29. iam ostendimus. Atque haec praecipua Tribunicii iuris capita fuerunt. Ob quae non immerito Augusti, mutata republica, Tribuniciam potestatem sibi adsciscebant, eamque sic in oculis ferebant, ut annuos principatus non aliunde quam ab indepta tribunicia potestate numerarent, ut testantur veteres inscriptiones, et Augustorum numismata. Alia Tribunorum plebis iura praetermitto, ut quod eorum esset diem ad populum dicere, denuntiare caussae dictionem, multam irrogare, actionem perduellionis intendere, de quibus partim pro Sextio, partim pro Milone, tempus habentibus concionem perscribere, de quo pro C. Rabirio perduellionis reo cap. 2. Vbi videbis, potuisse Tribunum non solum privatis, sed etiam Consulibus ad populum dicendi tempus circumscribere, et limitare. Sic cum Pompeius et Crassus peterent alterum Consulatum, *Faonius quidem*, inquit Dio libro 39, *cum unam duntaxat horam ad contradicendum a Trebonio impetrasset, eam contrivit de angustiis temporis sibi concessi temere declamans: Cato autem obtinuit, ut duas horas haberet concionem*, etc. Omitto etiam Tribuno plebis id iuris fuisse videri, ut aliis magistratibus iustitium indiceret, et clauderet aerarium. Sic Tiberius Gracchus, ut est apud Plutarchum in eius vita, *Edicto vetuit caeteros magistratus ius dicere, priusquam de lege agraria latum esset suffragium. Et Saturni templum suo ipsius sigillo communivit, ne Quaestores quicquam efferrent, aut inferrent in aerarium. Praetoribus vero, qui dicto audientes non essent, mulctam indixit, adeo ut omnes perterriti suam quisque administrationis partem omiserint.* Ad ius etiam tribunicium pertinuit, ut bona improborum civium priscis et solennibus verbis Cereri consecrarent, foculo posito in rostris adhibitoque tibicine. ut C. Atinius *bona Q. Metelli, qui eum ex Senatu Censor eiecerat*, Cn. Lentuli, Censoris alter Tribunus plebis, Gabinii Clodius, ipsius Clodii L. Mummius bona consecrarunt: qui mos *ductus ex nonnullis veterum temporum exemplis*, vide orat. pro domo sua. Item eos, qui intercessionibus suis non parerent, diris devovere, ut Crassum Ateius, posito foculo, verbis etiam priscis et solennibus. Vide Plutarchum, Dionem, Appianum. Haec, inquam, omitto, quod eorum non pauca ex abusu potius potestatis, et quadam tribunicii furoris impotentia, quam ex tribunicio iure provenerint: illud omittere non possum, quod indicat, quanta iam inde ab initio fuerit Tribunatus plebis sanctitas. Gracchus apud Plutarchum

Et Phaliscis bellum intulerunt ob Genutium quendam Tribunum plebis conviciis appetitum, et C. Butorium morte mulctarunt, quod Tribuno plebis per forum ambulanti solus non assurrexerat. Vt merito tribunicia potestas, quamvis imperium non haberet, dicatur a Tacito 3. Annal. *Summi fastigii vocabulum.* Abram.

Circumscriptus esset Antonius] *Circumscriptus a Senatu esset*, plerique l. v. in queis Col. Ferrar. *Circumscriptus a Senatu esset Antonius*] Sic et Pal. sec. et Maur. quemadmodum et Ferrariani. Grvtervs. *Circumscriptus,*] Quatuor modis potuit Senatus magistratum coërcere, nota, circumscriptione, remotione ab administratione reipublicae, expulsione a civitate. ad Atticum lib. 7, ep. 9: *Ire autem ad arma aut hanc unam ob caussam, quod ratio eius non habeatur: aut addita caussa, si forte Tribunus plebis Senatum impediens, aut incitans notatus, aut S. C. circumscriptus, aut sublatus, aut expulsus sit, diceneve se expulsum ad illum confugerit.* Quibus verbis ita disiunctis, liquet hos quatuor modos esse diversos. Nota coërcebatur, ut eum Senatusconsulti verbis addebat Senatus, se, si quis rem impediret, graviter esse laturum, cuius exempla protulimus paullo ante, aut idem vestis mutatione aliove facto declarabat, ut contra Clodium factum est in caussa Ciceronis. Et hac ignominia Senatus affectus est M. Antonius, ut e Plutarcho constat, et Dione, et ex albo Senatorum deletus. Neque solum verbis, sed etiam facto notabant, ut anno V. C. 701. cum Quintus Pompeius Rufus comitia consularia pertinacius impediret: *Quamvis Tribunus plebis, Sullaeque ex filia nepos, in carcerem iussu Senatus abductus est*, inquit Dio lib. 40. Circumscriptione, cum Senatus magistratuum potestatem certis finibus et cancellis limitabat, et quasi exultantem et tripudiantem, extraque fines evagantem in girum revocabat. Pro Milone: *Senatus, credo, Praetorem eum circumscripsisset. Ne cum solebat quidem hoc facere, in privato eodem hoc aliquid profecerat.* Vide Notas. Circumscribere autem, sive περιγράφειν, idem esse quod coërcere, sive συνείργειν, ut alios omittam, constat ex oratione priore S. Greg. Nazianzeni contra Iulianum: *Θυομένῳ τὲ σπλάγχνα τὸν σταυρὸν ἀναδείκνυσι στεφανούμενον, ὃ τοῖς μὲν ἄλλοις φρίκην παρέσχε, καὶ ἀγωνίαν, καὶ τοῦ ἡμετέρου κράτους παραισθῆσιν· τῷ δὲ διδασκάλῳ τῆς ἀσεβείας, καὶ θάρσος δῆθεν, ὡς περιγεγραμμένων ἡμῶν, καὶ συνειργμένων· οὕτω γὰρ τὸν σταυρὸν καὶ τὸν κύκλον παρεσχεδίασε. Ei sacrificanti extra crucem coronatam ostendunt, quod aliis quidem horrorem, desperationem, nostraeque potentiae sensum incussit: magistro autem erroris etiam audaciam, quasi nos essemus circumscripti et coërciti. sic enim crucem et circulum interpretatus est ex tempore.* Remotione a rep. Tranquillus in Iulio cap. 16. de Prae-

esset Antonius? Omitto, quam haec falsa, quam levia: praesertim quum omnino nulla causa iusta cui-

tura Caesaris. Quae etiam circumscriptio Latinis dici potest. Graecis περιγραφή. 14. Philipp. *Senatus in Capitolium: parata de circumscribendo adolescente sententia consularis*, id est de removendo Caesare a republica et exercitu. Æschines: Ὅταν ὑμᾶς ἐπερωτᾷ, ποῖ καταφύγω, ἄνδρες Ἀθηναῖοι; περιγράψετέ με ἐκ τῆς πολιτείας; *Quo confugiam, Athenienses? circumscribetis me ex republica?* Caesar 3. de bello civili: *Senatusque Coelium ab republica removendum censuit.* Expulsione denique, quemadmodum vel expulsus est Lentulo, vel expulsus videri voluit Antonius, quae item circumscriptio dici potuit. Est enim circumscribere penitus auferre, et tollere de medio. Verrina tertia: *Illud tempus Sullanarum proscriptionum ac rapinarum praetermittam*, etc. *Quamobrem hoc omni tempore Sullano ex accusatione circumscripto, legationem eius praeclaram cognoscite.* Quo sensu etiam Tatianus ad Graecos: *Post Inachum vero, sub Phoroneo vix tandem circumscripta est vaga et belluina vitae ratio.* Vnde et Suidas περιγράφειν interpretatur ἀποκτεῖναι. *Translatio*, inquit Budaeus commentariis linguae Graecae, *est a fabris aut chirurgis, qui ea, quae serra amputaturi sunt, prius circumscribunt, et praecidunt.* Nec alio sensu quam hoc atrocissimo Caesar accepit primo de bello civili orationem habens in Senatu, ut primum Romam occupavit: *Iniuriam in eripiendis legionibus praedicat: crudelitatem et insolentiam in circumscribendis Tribunis plebis.* Abram. Tribunus *circumscribi* dicitur, cum longius evaganti eius licentiae modus statuitur, et reprimitur. Vide Vechner. Hellenol. II. 4. p. 474. Tribunos vero in ordinem cogere, nulli magistratui licebat. Vide Plin. I. Epist. 23. pr. Ien. *a Senatu* non habet. Heusing. Primus ex meis editis *a Senatu* habet Naugerius, tum Camer. Gryph. aliique Naugerianae sectatores: idque a P. Manutio, et Car. Steph. omissum revocavit Lambinus, cum in omnibus, ut ait, MSis invenerit. Sed, quamvis pro Mil. 33. *Senatus, credo, Praetorem eum circumscripsisset*, et VII. ad Att. 9. *Tribunus pl. SCo circumscriptus*, quamvis boni codices habeant, *a Senatu*, adhuc tamen ego subvereor, ne sit ab interprete. Carent eo Barb. ambo, Rom. Ven. et Ald. cum aliis sane plurimis libris, delevitque in Gryphiano etiam Barbadorius. Retinetur tamen a Vaticano. Garaton.

Omitto, quam haec] Duo reprehendit. Nam et falsum erat, quod causabatur Caesar, non enim intercessio neglecta, aut ius tribunicium sublatum erat, sed repressa impotentia Antonii.

quam esse possit contra patriam arma capiendi. Sed nihil de Caesare: tibi certe confitendum est, causam perniciosissimi belli in persona tua constitisse. O miserum te, si intelligis! miseriorem, si non intelli-

quae causa fuit levis ad bellum patriae inferendum. Idem.

Contra patriam] Vide de patria Bisciolam, priore parte horarum subcesivarum, lib. 17, cap. 1. Plato in Critone: *Colere patriam oportere magis, eique cedere et rigidius se gerentem blanditiis demulcere quam patrem. et si quid iubeat, vel dissuadere illi, quantum liceat, vel facere et patientissime sustinere, quicquid iusserit patiendum: ac sive mandaverit verberari te, sive in vincula coniici, sive in praelium miserit ad vulnera excipienda, mortemque subeundam, obediendum est omnino*, etc. Abram.

Sed nihil de Caesare] L. s. partim, *nihil Caesaris*, partim, *nihil Caesari*. Ferrarius. *Sed nihil Caesari*] Ita Pall. et plures a Ferrario excussi. vulgata, *sed nihil de Caesare*. Grut. In Vaticano tamen *nihil de Caesare* invenerunt Faërnus et Muretus. Graev. *Sed nihil Caesari*] Alii, *Caesaris*, ut Ien. a manu prima. Vatic. *de Caesare*, quod ante Grut. in vulgatis quoque fuit, et verius est. Ait enim, se nihil de Caesare dicturum. Vitiose Ien. *confitendum sit, causam etc.* Dicit, Antonium ipsum negare non posse, se eum fuisse, cuius causa bellum illud conflatum sit, ut in Helenae persona Troiani causa belli constiterit. Vide infra h. c. Heusing. Codex quidam a Barbadorio citatus, et ambo nostri: *Sed nihil Caesari, cum tibi certe confitendum sit, causam etc.* Hinc in Ien. remanet *sit*. Miror autem, Heusingerum retinuisse *Caesari* cum Grut. Graev. et Verb. potius, quam *de Caesare*, quod probabat, cum reliquis omnibus editis, ut merito factum est ab Oliv. et Lallem. adprobante Vaticano. Gar. Ern. et Schütz. receperunt *Sed nihil de Caesare*. Merito.

Tibi certe confitendum est] Ien. *confitendum sit*, Teeg. *tibi c. conf. si caussas*, Gud. *confit. sit*. Quod verum est, dudum receperunt Graev. E. et Sch.

In persona tua constitisse] Adverte prudentiam Oratoris: nondum dicit, belli causam fuisse Antonium, sed causam in eius persona constitisse, quod videlicet Caesar eam causam suo facto praetexeret. paulo post cum animos hominum commemoratione cladis accenderit, aperte dicet, eum belli civilis causam fuisse. Abram.

O miserum te, si intelligis] *Si haec intelligis*, liber Vaticanus. F. Vrsinvs. *O miserum te*] Gravi exclamatione Antonii intercessionem invadit: et *mise-*

gis, hoc literis mandari, hoc memoriae prodi, huius rei ne posteritatem quidem omnium saeculorum um-

rum appellat, *si intelligit*, apud posteros infamem fore, propter dolores et conscientiae stimulos, qui eius animum fodiunt et cruciant, et propter metum infamiae, quae apud posteros consequetur: *miseriorem, si non intelligit*, quia haec est demum summa miseria, miserum esse nec sibi videri, sed omnem sensum amittere, et miseria sua delectari, et in maximo errore versari. Nam si suam miseriam intelligeret, posset ab ea se expedire, nunc autem eum non intelligat, in eaque sibi placeat, nunquam emerget. Supra: *O miserum, sive tibi illa nota non sunt (nihil enim boni nosti), sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare.* Ea vero summa miseria est, miserum esse, non cognoscere, sed miseriam suam amare, quo nihil miserius Iupiter Hesiodius potuit iratus comminari:

Σοί τ' αὐτῷ μέγα πῆμα, καὶ
ἀνδράσιν ἐσσομένοισιν.
Τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω
κακὸν, ᾧ κεν ἅπαντες
Τέρπωνται κατὰ θυμὸν ἑὸν κα-
κὸν ἀμφαγαπῶντες.
Sed dolor hinc ingens tibi
erit cunctisque futuris.
His dabo namque malum,
mihi quod furatus es
ignem,
Ob quod gaudebunt cuncti
proprium malum amantes.

Synesius de insomniis: *Τοῦτο κακῶν ἂν ἦν τὸ ἔσχατον, μηδ' ἐπαΐειν κακοῦ παρόντος. Hoc est malorum omnium postremum, non intelligere mala praesentia.* Subdit rationem: *Hoc enim eorum est proprium, qui emergere nequaquam cupiunt: sicut callosa durities, quod dolorem nullum amplius pariat, curationis ac salutis memoriam nullam affert. ideo extrahendi e malis vim habet poenitentia: quisquis enim ea moleste fert, in quibus versatur, inde se omni ope subducere nititur*, etc. Seneca epistola 6: *Et hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quae adhuc ignorabat, videt.* Et rursum epist. 28: *Initium est salutis notitia peccati. Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu existimas, aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant? Ideo, quantum potes, te ipsum coargue, inquire in te: accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, novissime deprecatoris. Aliquando te offende.* Nec abludit illud ep. 53: *Quare vitia sua nemo confitetur? quia etiam nunc in illis est. Somnium narrare vigilantis est, et vitia sua confiteri sanitatis indicium est.* ABRAM.

Hoc memoriae prodi] Expositio, qua res eadem variis modis

quam immemorem fore, consules ex Italia excussos, cumque his Cn. Pompeium, quod imperii populi

effertur, ut plagam repetitis ictibus vehementius infligat. Idem.

Consules ex Italia excussos] Est a Mauriciano. vulgata *expulsos*, minus recte. sic Philippica XII, cap. 7: *iuventutem omnem ex Italia excussimus*; ubi perperam vulgati *excivimus*. Grut. *Consules ex Italia expulsos*] L. Lentulum, C. Marcellum. ab enumeratione autem et plurium conglobatione belli civilis atrocitatem exaggerat, ne uno vel altero verbo rem tantam exponens auditorum suorum aures praetervolet. Gruterus legit, *ex Italia excussos*, ex codice Mauriciano, quod placet. Virgilius:

— *Excutimur cursu.*

id est expellimur. Terent. Phormione act. 4, scen. 2:

— *Vti me excutiat, atque egrediar domo,*
Id restat. —

vel simpliciter *quatere*. Horatius 1. Carminum:

— *non ego te, candide Bassareu,*
Invitum quatiam. —

Terentius Eunucho actu 2, scen. 3:

— *homo quatietur certe cum domo foras.*

Vbi Donatus: *Non reiicietur, sed quatietur. Vide, quam contumeliosius dictum sit, quatietur foras, vel verberibus pelletur foras, non expulsione, sed detrusione.* Abram. *Ex Italia excussos*] Ien. *Consules Italia pulsos*, alii *expulsos*, Grut. vero ex uno cod. *excussos*, quod placuit Broukhusio ad Tibull. II. 6. 12. et pluribus. Heusing. Merito: nam est plane verum, et ab Abramio egregie firmatum. Sic etiam in Virgilii versu IX. Aen. 476. *excussi* mutatum est in *expulsi* apud Macrob. IV. Saturn. 1. Neque obstat Lucanus, qui de hac fuga Pompeium sic loquentem inducit II. 573. *quod fama furoris Expulit armatam patriis e sedibus urbem.* Id enim respondet sequentibus, *remp. expulsam, atque exterminatam suis sedibus.* Plutarchus in Ant. cap. VI. Πομπήϊον ἐξήλασε τῆς Ἰταλίας, et ita etiam Dion Cass. XLV. 27. Porro vide quoque Nonium de hoc verbo agentem p. 298. Petronius cap. CXIV. p. 682. *Et illum quidem vociferantem in mare ventus excussit.* Quod tamen ex Terentio adfert Abram. *uti me excutiat*, ea est antiqua varietas a Donato prodita, qui cum MSis, qui supersunt, legit ipse, *excutiam*: vide ibi interpretes. Vat. servat *expulsos*: infra vero habet mendose, *remp. exculsam.* Garaton. *consules ex Italia excussos*] Ien. Cod. *pulsos.* Teeg. *expulsos.* Gud. *expulsos.* vide Heusing.

Quod imperii populi Romani decus, ac lumen fuit] Ita Regii codices cum Vaticano pro vulgato, *qui imperii etc.* Lallem. Sic omnino restitue, quomodo exhibuerant optime Faërn. Mur. et Lamb. qui suorum codicum

Romani decus ac lumen fuit, omnes consulares, qui per valitudinem exsequi fugam illam clademque po-

auctoritatem Vaticano adiunxerat. Graevium, et Heusing. viros doctissimos id repudiasse demiror. Quid enim inter criticos hac constructione celebrius? ita in Pison. 39. *P. Rutilio, quod specimen habuit haec civitas innocentiae*, ubi vide Verburg. suntque apud Tullium similia complura. Sed non est geminus huic locus praetereundus V. Phil. 14. *Pompeio enim patre, quod imperii populi Romani lumen fuit, exstincto.* GARATON. Ern. et Schütz. temere *qui* retinuerunt.

Omnes Consulares] Servilius Isauricus, Luc. Volcatius, Servius Sulpicius, alii fortasse Consulares videntur remansisse: quare ne mendacii se alliget Orator, insinuat, eos per valetudinem exire cum Pompeio haudquaquam potuisse, quia fortasse illi valetudinem causati sunt, ne Pompeium sequerentur. ABRAM.

Exequi fugam illam clademque] *Exequi cladem illam, fugamque*, o. l. s. FERRAR. *Exsequi cladem illam, fugamque*] Ita scribebant veteres, non, ut nunc, *exequi*. Sed et Romae in Capitolio multos vidi perantiquos lapides, in quibus scriptum est, Q FABIVS. MAXSVMVS. MVRET. *Exequi cladem illam fugamque*] A funeribus et exequiis videtur petita translatio, quasi Consulibus et Pompeio fugientibus funere elata fuerit respublica. Lib. 9. ad Atticum epist. 14. de hac ipsa fuga Pompeii disserens: *miseros nos, cur non omnes fatum illius executi sumus?* Exequi vox funerum. Cicero 1. Tusc. vertens illa Euripidis:

Ἐχρῆν μὲν ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
Τὸν φύντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά·
Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
Χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

Nam nos decebat coetu celebrantes domum
Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanae vitae varia reputantes mala.
At qui labores morte finisset graves,
Omnes amicos laude et laetitia exequi.

ABRAM. Ten. et plures scripti, *cladem illam, fugamque*, ut iam edidit Graevius. *Exsequi* est funebre verbum, idemque, quod sequi, comitari. Voluit dicere, qui funus reip. comitari potuerunt. HEVSING. Ordinem MSSorum Ferrarii ambo Barb. confirmant, quem a P. Man. anno MDXLI. receptum repetitores tantummodo Lamb. postea deseruerunt. GAR. Teeg. Gud. *cladem illam fugamque.*

tuissent, praetores, praetorios, tribunos plebis, magnam

Praetores, praetorios, tribunos plebis] Et hoc elatorie dictum. Non enim omnes Praetores, aut Tribuni plebis excesserant. Nam et M. Æmilius Lepidus Praetor in urbe mansit, qui et Caesarem dixit Dictatorem, ut omnes historici memoriae prodiderunt, et L. Metellus Tribunus plebis, qui tum aliis Caesaris actionibus intercessit, tum impedire conatus est, ne pecunias depromeret ex aerario. Caesar lib. 1. de bello civili: *Subiicitur etiam Luc. Metellus Tribunus plebis ab inimicis Caesaris, qui hanc rem distrahat, reliquasque res, quascunque agere instituerit, impediat.* Imo ne unus quidem Tribunus plebis videtur fugam Consulum executus, quantum colligi potest ex illis verbis lib. 8. ad Atticum epist. 23: *Quod videris non dubitare, si Consules transeant, quid nos facere oporteat: certe transeunt, vel, quomodo nunc est, transierunt: sed memento, praeter Appium neminem esse fere, qui non ius habeat transeundi. Nam aut cum imperio sunt, ut Pompeius, ut Scipio, Asprenas, Setenas, Fannius, Coponius, Sestius, ipsi Consules (quibus more maiorum concessum est vel omnes adire provincias), aut legati sunt eorum. Sed nihil desidero.* E quibus possis merito suspicari, reliquos etiam Tribunos plebis cum Metello, ut Caesaris actionibus et tum Antonii, tum Cassii Longini rogationibus intercederent, in Italia vel potius Romae substitisse fretos sanctitate Tribunatus sui: cum praesertim Caesar videri vellet assertor tribuniciae dignitatis, ideoque se bellum suscepisse iactaret, quod a Senatu circumscriptus fuisset Antonius, neque Tribuni plebis more maiorum extra urbem pernoctare possent, aut extra pomoerium quicquam auctoritatis obtinerent. Halicarnasseus lib. 8. exeunte: *Nam Tribuni plebis nullius rei potestatem habent extra pomoerium, sed moenibus eorum potestas circumscribitur. Neque ipsis extra urbem pernoctare fas est, excepto uno tempore, quo magistratus omnes urbis commune pro natione Latinorum adscendentes in montem Albanum Iovi sacrum faciunt.* Et eam ob causam biennio post hanc orationem, ut Dio narrat lib. 46., P. Titio legem ferente, Pub. Servilio Cascae Tribuno plebis potestas est abrogata: *Quoniam iuniorem Caesarem ante suspectum habens, priusquam ille ad urbem accederet, discesserat, magistratu exutus est eo praetextu, quod contra morem maiorum urbe excessisset.* Sed *silent leges inter arma*, neque se expectari siverunt, Caesare in earum perniciem imminente, et sane constat e Tullio lib. 7. ad Atticum epist. 22. nonnullos etiam Tribunos plebis tum temporis exiisse; *M. Lepidum, Luc.*

partem senatus, omnem subolem iuventutis, unoque verbo, rem publicam expulsam atque exterminatam suis sedibus. Ut igitur in seminibus est causa arborum et

Torquatum, *C. Cassium Trib. pl.* (*ii enim sunt nobiscum*, *id est*, *in Formiano*) *Philotimi litterae ad vitam revocarunt.* ABRAM.

Omnem subolem iuventutis] Ita melius putavi, quam quod erat in vetere libro, *sobulem*. non putarim autem, multum interesse, *sobolem* quis, an *subolem* dicat. scio enim, has litteras saepe alteram in alterius locum substitui solitas. *Marmura* interdum scribebant, non *marmora*: et *robor* pro *robur*. sic in vetustissimis quibusque libris saepius *epistulam* et *adulescentem*, quam *epistolam* et *adolescentem* legas. MVRETVS. *Omnem subolem*] Ita scribendum, non *sobolem*, quod barbari nobis reliquerunt. Est enim a *sub*, et *olesco*; sed *sub* numquam mutatur in *sob*. In Vatic. fuit *sobulem*, in aliis plerumque *suboles* scribitur. Vide Gesner. Lex. Rust. h. v. et Lambin. ad Lucret. lib. IV. nec aliter Festus scripsit. Manutii aurium iudicium nihil moror. HEVSING.

Vnoque verbo rempublicam] Mihi omnino magis arrideret, si tempta coniunctione diceretur: ut Cato usus est: *Et si bilis atra est: et si lienes turgent: et si cor dolet: et si iecur, aut pulmones, aut praecordia: uno verbo omnia sana faciet, quae intro dolitabunt.* et Plaut. in Rud. quanquam hic quidem plene enunciavit: *Fraudis, sceleris, parricidii, periurii plenus, legirupa, impudens, impurus, inverecundissimus, verbo uno absolvam, leno 'st.* quia tamen video Graecos ita loqui: nam quod uno verbo nostri, illi *ἑνὶ λόγῳ*. Plato in Lyside: *ὧν ἀντί τινος μὴν οὕτω σε δεινῶς διακωλύουσιν εὐδαίμονα εἶναι, καὶ ποιεῖν ὅ, τι βούλοιο· καὶ δι' ἡμέρας ὅλης τρέφουσί σε ἀεὶ τῳ δουλεύοντα, καὶ ἑνὶ λόγῳ, ὀλίγου ὧν ἐπιθυμεῖς οὐδὲν ποιοῦντα*: et librorum antiquorum ne unus quidem mecum facit: idcirco immutare non ausim. FERRARIVS. *Vno verbo rempublicam*] Post enumerationem singulorum omnia coacervat, et uno verbo comprehendit. ABRAM. Graev. in V. L. ait, Lambinum improbasse coniecturam Ferrarii, quam tamen cum Mureto recepit, Vaticano, ceterisque omnibus libris repugnantibus. GAR.

In seminibus causa est arborum] *Est causa arborum*, o. l. v. FERRARIVS. *Vt igitur in seminibus*] Locum Demosthenis, ex quo hunc expressum putarem, indicavi c. 19. libri secundi variarum lectionum. MVR. *Vt igitur in seminibus*] Comparatio sumpta ex Demosthenis oratione pro Ctesiphonte, in qua scriptum est ita, ὁ γὰρ τὸ σπέρμα παρασχών, οὗτος τῶν φύντων κακῶν αἴτιος. F. VRSINVS. *In seminibus*] Totus hic

locus e Demosthene de corona videtur expressus, ut iam alii adverterunt. Operae facturus videor pretium, si verba paulo latius exscripsero: *Τίς οὖν ὁ ταῦτα συμπαρασκευάσας αὐτῷ; τίς ὁ τὰς προφάσεις ταύτας ἐνδούς; τίς ὁ τῶν κακῶν τῶν γεγενημένων μάλιςʼ αἴτιος; οὐχ οὗτος; μὴ τοίνυν λέγετε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, περιϊόντες, ὡς ὑφʼ ἑνὸς τοιαῦτα πέπονθεν ἡ Ἑλλὰς ἀνθρώπου. οὐχ ὑφʼ ἑνός, ἀλλʼ ὑπὸ πολλῶν καὶ πονηρῶν τῶν παρʼ ἑκάςοις, ὦ γῆ καὶ θεοί. ὧν εἷς οὗτός ἐςιν, ὅν, εἰ μηδὲν εὐλαβηθέντα τἀληθὲς εἰπεῖν δέοι, οὐκ ἂν ὀκνήσαιμι ἔγωγε κοινὸν ἀλιτήριον τῶν μετὰ ταῦτʼ ἀπολωλότων εἰπεῖν ἀνθρώπων, τόπων, πόλεων. ὁ γὰρ σπέρμα παρασχών, οὗτος τῶν φύντων κακῶν αἴτιος. Quis haec cum illo comparavit? quis hos dedit praetextus? qnis malorum, quae contigerunt, caussa fuit? nonne iste? Nolite igitur dicere, iudices, circumeuntes, quod ab uno homine tantas Graecia clades perpessa est. Non ab uno, sed a multis et sceleratis qui sunt apud singulos, o terra et Dii! Quorum iste unus est, quem, si sine cuiusquam respectu verum dicendum est, non dubitabo vocare communem pestem eorum, quae postea perierunt, hominum, locorum, civitatum. Nam qui semen erit, is caussa est malorum, quae deinde pullularunt.* Quod spectat ad imagines sive parabolas, monet Demetrius Phalereus, si modum excesserint, esse vitiosas, ac proinde eas in pauca verba esse contrahendas: *Ταῦτα γὰρ οὐκ εἰκασίαις ἔτι ἔοικεν, ἀλλὰ παραβολαῖς ποιητικαῖς. τὰς δὲ παραβολὰς ταύτας οὔτε ῥᾳδίως ἐν τοῖς πεζοῖς λόγοις τιθέναι δεῖ, οὔτʼ ἄνευ πλείςης φυλακῆς. Haec enim non iam similitudinum speciem habent, sed poeticarum comparationum. Huiusmodi autem comparationibus neque facile in soluta oratione neque sine cautione plurima uti oportet.* Prudenter tamen Seneca ep. 59. Demetrium, ut videtur, tacite reprehendit: *Invenio imagines, quibus si quis nos uti vetat, et poetis illas solis iudicat esse concessas, neminem mihi videtur ex antiquis legisse, apud quos nondum captabatur plausibilis oratio. Illi, qui simpliciter et demonstrandae rei caussa eloquebantur, parabolis referti sunt: quas existimo necessarias, non ex eadem caussa, qua poetis, sed ut imbecillitatis nostrae adminicula sint, et ut discentem et audientem in rem praesentem adducant.* Quo in genere maxime laudantur, quae paucis verbis rem in oculis cum aliqua urbanitate defigunt, *ut ille Gallus testis in Pisonem* (de quo 2. de Oratore) *cum innumerabilem Magio praefecto pecuniam dixisset datam, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret, Erras, inquit, Scaure; ego enim Magium non conservasse dico, sed tanquam nudus nuces legeret, in ventrem abstulisse.* et Marcus Cicero, avus Oratoris, dicebat: *Nostros homines similes esse Syrorum venalium: ut quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum.* Tale est

stirpium: sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti.

aliud Philipp. 13: *An is non reddet, qui domini patrimonium circumplexus, quasi thesaurum draco, Pompeii servus, libertus Caesaris, agri Lucani possessiones occupavit.* In Vatinium: *Repente enim te, tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti.* Vide plures huiusmodi comparationes apud Aristotelem lib. 3. Rhet. cap. 10. et Plutarchum de praeceptis politicis. Nonnunquam diffundunt et dilatant huiusmodi parabolas, ut 1 Catilin. *Quod si ex tanto latrocinio iste unus tolletur, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati: periculum autem residebit, et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus reipublicae. Vt saepe homines aegri morbo gravi, cum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur: deinde multo gravius vehementiusque insectantur: sic hic morbus, qui est in republica, relevatus istius poena, vehementius vivis reliquis ingravescet.* Pro Sextio: *Sed ita est, iudices, ut si gladium parvo puero*, etc. Abram.

Luctuosissimi belli semen tu fuisti] Eadem translatione Demosthenes oratione contra Timocratem: *Οὐδὲ σπέρμα δεῖ καταβάλλειν ἐν τῇ πόλει, ὦ ἄνδρες δικασαί, τοιούτων πραγμάτων, οὐδ' εἰ μήπω ἂν ἐκφύει. Nec rerum huiusmodi semen in urbe inciendum est, iudices, etiamsi nondum pullularit.* Et Gregorius Nazianzenus eadem oratione priore in Iulianum, postquam descripsit immanem illam crudelitatem, quam Arethusii contra sacras virgines et Marcum exprompserant, culpam omnem in Iulianum refundens: *Τοῦ σπέρματος*, inquit, *τὰ βλαςήματα, καὶ τοῦ πνεύματος τὸ ναυάγιον. Seminis sunt germina et venti naufragium.* Iam adverte praeclarum illius *ἀνταποδόσεως* rationem. Postquam Antonium cum semine comparavit, iam metaphorice semen appellat, sicut contra nonnunquam metaphora comparationem antecedit, aut etiam inter duas comparationes locum habet, ut apud Demosthenem pro Ctesiphonte, cum dixisset: *Τοῦτο τὸ ψήφισμα τὸν τότε τῇ πόλει περιςάντα κίνδυνον παρελθεῖν ἐποίησεν, ὥσπερ νέφος. Hoc psephisma periculum, quod imminebat urbi, tanquam nubem avertit.* Paulo post adiecit: *Εἰ δὲ ὁ συμβὰς σκηπτὸς, ἢ χειμὼν μὴ μόνον ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μείζων γέγονε, τί χρὴ ποιεῖν; ὥσπερ ἂν εἴ τις ναύκληρον πάντ' ἐπὶ σωτηρίᾳ πράξαντα, καὶ πᾶσι κατασκευάσαντα τὸ πλοῖον, ἀφ' ὧν ὑπελάμβανε σωθήσεσθαι, εἶτα χειμῶνι χρησάμενον, καὶ πονησάντων αὐτῷ τῶν σκευῶν, ἢ συντριβέντων ὅλως τῆς ναυαγίας αἰτιῷτο. Ἀλλ' οὔτ' ἐκυβέρνων τὴν ναῦν, φήσειεν ἄν. ὥσπερ οὐδ' ἐςρατήγουν ἐγὼ, οὔτε τῆς τύχης κύριος ἦν, ἀλλ'

Doletis, tres exercitus populi Romani interfectos:

ἐκείνη πάντων. Si verò fulmen quod accidit et tempestas non solum nos, sed omnes Graecos superavit, quid faciendum fuit? ut si quis nauclerum, qui omnia ad salutem navis effecerit, navigiumque rebus omnibus instruxerit, quibus servatum illud iri sperabat, deinde tempestate deprehensum, deterxis remis et omnino confractis, accuset naufragii. Sed navem non gubernabam, inquiet. ut nec ego rebus praeeram, neque fortunae dominus eram, sed fortuna omnium dominabatur. ὥσπερ νέφος, comparatio, *σκηπτὸς ἢ χειμὼν* translatio, *ὥσπερ ἂν* etc. comparatio. Atque haec est parabolarum et metaphorarum coniunctio, quam in Homero Porphyrius advertit, ut initio Odyss. *υ*.

— *Κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει.*
Ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα
Ἄνδρ' ἀγνοιήσασ' ὑλάει, μέμονέν τε μάχεσθαι,
Ὡς ῥα τοῦ ἔνδον ὑλάκτει ἀγαιομένου κακὰ ἔργα.
— *Animusque in pectore latrat.*
At veluti circum catulos canis incita latrat
Ignotum adspiciens hominem atque in praelia saevit,
Sic indignantis facinus praecordia latrant.

Vbi cum asperius videri posset dixisse *animus latrat*, quasi remedium adhibens allata comparatione reddit translationis suae rationem, mox, quasi praemunitus et factus audacior, eandem denuo metaphoram usurpat. Adram.

Doletis] Enumeratio cladium, quae bello civili contigerunt: qua scelus Antonii mirum in modum exaggerat. Numerum adverte post periodum bimembrem, *Vt igitur* etc. *tu fuisti.* membris propemodum aequalibus sex, solutis a seque divulsis evolvit orationem. laudem illustrat subiectione pulcherrima, et alterna verba concludit non eodem solum numero, sed etiam eodem nomine *Antonii*, ut non solum animos rei gravitate, sed etiam aurea vocis eiusdem repetitione percellat. Idem.

Tres exercitus] Primus populi Romani exercitus deletus a Caesare, et interfectus est ad Philippos et Pharsalum in Thessalia, cui praeerat ipse Cn. Pompeius. Secundus in Africa ad Thapsum, duce Scipione socero Pompeii. Tertius ad Mundam in Hispania, ducibus Cneio et Sexto Pompeiis. Multas et ipse Caesar clades per suos legatos accepit, *quorum C. Curio*, inquit Tranquillus cap. 36, *in Africa periit*, (cum duabus legionibus et equitibus quingentis ex Caesare) *C. Antonius in Illyrico in adversariorum devenit potestatem: P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Calvinus in Ponto exercitum amiserunt.* Ipse duo circiter millia militum praelio Dyrrhachino, Mundensi mille amiserat. Sed

interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives: eos quoque eripuit vobis Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta est: afflixit Antonius. Omnia deni-

tres tantum clades enumerat Orator, quasi Caesariani non in civium, sed in hostium numero censeantur. IDEM. Vatic. *tris exercitus*, ut perite Muretus edidit. Vide ad c. 8. pro Cluent. et ad c. 5. pro Mur. et adde I. ad Div. 1. *tris Legatos*, ubi, et I. 9. *tris* confirmant ambo codices Barb. tum I. Tuscul. 48. *huic in tabellis tris huiusmodi versus esse datos*, ex Victorio, et sex Gruteri codicibus, quibus accedit ed. MCDLXIX. et codex Barb. qui etiam ibid. 46. habet *tris Olympionicas*, ubi ante Davisium vulgo *treis:* item IV. Tusc. 29. *primos tris versus*, ex Vict. et cod. Lamb. etc. Apud Varronem quoque in veteribus librorum de L. L. editionibus, quarum unam possideo Venetam anni MCDXC. saepe *tris* legitur, veluti lib. IV. initio, (libros) *ante hunc feci, quos Septumio misi*, lib. VII. p. 86. l. 30. *in tris partes*, lib. VIII. p. 115. l. 28. *tris extremas syllabas*. More antiquo Arnobius lib. IV. p. 138. *tris Ioves*, ut quidem optimi eius MSi habent. Sed finis sit. GARATON.

Interfecit Antonius] Causa fuit illius belli, quo deleti sunt tres illi exercitus. ABRAM.

Desideratis clarissimos cives] Pompeium, Scipionem, Domitium, caetera illa lumina reipublicae. ABRAM. Vatic. *civis* et mox *bonis* pro *vobis*, usitato mendo. Gryphius anno MDL. *eos quoque eripuit vobis Antonius*. GAR.

Auctoritas Senatus] Senatus auctoritas penitus eversa est, tum quod ei non obtemperaverit Caesar, exercitusque non dimiserit, ut iusserat Senatus, tum quod principes illius ordinis bello civili extincti fuerint, ut iam vix illius auctoritatis vestigium superesit, quia non solum Vrbem olim gubernabat, sed etiam orbi terrarum praesidebat. ABRAM.

Omnia denique] Post enumerationem partium omnia velut in cumulum coacervat, et vehementi illa parenthesi (*Quid autem mali non vidimus*) magis rem amplificat, quam si longam omnium calamitatum seriem contexeret. Vtitur verbo videndi, quia

Segnius irritant animum demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus. —

Et ut vincta oratione magis feriat, ea concludit quadrimembri circumscriptione verborum: utque pressius in memoria defigat, frequentem adhibet dochimum, a quo temperandum fuerat, nisi illud causae subesset. nam dochimus, ut dicitur in Oratore, *quovis loco aptus est, dum semel ponatur: iteratus aut continuatus numerum apertum et nimis insignem facit*. IDEM.

que, quae postea vidimus, (quid autem mali non vidimus?) si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. Ut Helena Troianis, sic iste huic rei publicae causa belli, causa pestis atque exitii fuit.

Quid autem mali non vidimus?] Liber vetus: *quid autem mali vidimus?* quod fortassis verum sit, et ita dictum, ut illud in Verrem: *Quid lacrimarum putatis ipsum profudisse Neronem?* et illud ex Andria: *Dii boni, boni quid porto?* et in Heautontimorumeno, *portant quid rerum?* Muretus.

Vt Helena Troianis] Plutarchus in Antonio: *Cicero in Philippicis scripsit, Helenam belli Troiani, civilis Antonium principium fuisse, aperte mentiens.* Magnum crimen: sed videamus, quo tandem argumento Ciceronem convincat aperti mendacii: *Neque enim tam prompte et facile C. Caesar efferebatur iracundia, et a mentis statu deiiciebatur, ut, nisi haec longe ante facere decrevisset, ex tempore bellum patriae fuerit illaturus, quia male vestitos viderat Antonium et Cassium vehiculo meritorio ad se fugientes, sed haec ipsi iam pridem praetextum quaerenti speciosum belli colorem praebuerunt.* Verum hoccine est manifesti mendacii convincere Ciceronem, an apertae calumniae seipsum alligare? Quis enim dixerit, eam fuisse mentem M. Tullii, ut voluerit, Iulium Caesarem subita iracundia concitatum viso Antonio patriae bellum intulisse, et non potius hanc occasionem, in quam similemve iamdudum imminebat, avide rapuisse, quam suo facto praetexeret? Quid aliud indicant illa: *Tu, tu, inquam, M. Antoni, princeps C. Caesari omnia perturbare cupienti ansam belli contra patriam inferendi dedisti,* etc. At enim caussam belli dixit, cum vel ansam, vel occasionem, vel praetextum, vel colorem, vel aliud eiusmodi dicere debuisset. Verum quid opus isto vocularum aucupio, quid his verborum tendiculis, quibus Oratorem quasi mendacio constrictum irretias, ubi suam mentem satis expressit? Quid si respondeam, neque absolute dici Helenam belli Troiani caussam fuisse, neque civilis Antonium, sed tantummodo alterum cum altera comparari, ut dicatur Antonius fuisse belli civilis caussa, quemadmodum fuerat Helena Troiani. At quam multi Helenam belli illius caussam fuisse negant, aut ab Alexandro abductam, sed eius idolum aiunt a Iunone suppositum fuisse, ut eo praetextu Graecos ad bellum excitaret, et Troiam everteret. Plato in Phaedro: *Iis, qui fabulis texendis peccaverint, est quaedam antiqua purgatio, quam Homerus non sensit, sensit Stesichorus. Cum enim ob quaedam in Helenam maledicta oculis privatus fuisset, non, ut Homerus, ignoravit, sed tanquam musicus agnovit causam caecitatis,*

et continuo facit hoc poëma: οὐδ᾽ ἔβας ἐν νηυσὶν ἐϋσσέλμοις οὐδ᾽ ἵκεο Πέργαμα Τροίας. *Non est id verum, quod iactatur, neque naves adscendisti bene transtris instructas, neque ivisti ad Pergama Troiae. Cum autem perfecisset palinodiam, quam vocant, continuo vidit.* De hac palinodia etiam Isocrates Helenae encomio exeunte. Abduxit tamen Alexander Helenae idolum. Idem Plato 9 de Republica: *An non necesse est eos voluptates doloribus mixtas prosequi, quae simulacra voluptatis verae et umbrae sunt, usque adeo invicem dolore comparatione mutua inquinatae, ut et voluptates et dolores ex ea comparatione vehementiores appareant, amoresque ipsarum huiusmodi voluptates rabidos insipientibus pariant, inflammentque ad pugnam. Quemadmodum Stesichorus Troianos inquit verae ignaros Helenae de imagine ipsius invicem decertasse.* Quod apud Euripidem Helenae prologo Helena ipsa dicit. Et in tragoediae progressu ipsum Helenae idolum in auras evanescens ita loquitur:

— Ὦ ταλαίπωροι Φρύγες
Πάντες τ᾽ Ἀχαιοὶ, δι᾽ ἔμ᾽ ἐπὶ Σκαμανδρίαις
Ἀκταῖσιν Ἥρας μηχαναῖς ἐθνήσκετε,
Δοκοῦντες Ἑλένην οὐκ ἔχοντ᾽ ἔχειν Πάριν.
— *O miseri Phryges*
Omnesque Achivi, qui mea causa, dolo
Iunonis oppetiistis ad Xanthum necem,
Habere Paridem, qua caruit, Helenam rati.

Adstipulatur Herodotus libro 2. Helenam in Ægypto apud Proteum substitisse: nec alia fortasse mens Homeri fuit 3. Iliados Priamum Helenae ita loquentem inducentis:

Οὔ τί μοι αἰτίη ἐσσί, θεοί νύ τοι αἴτιοί εἰσιν, etc.
Nec mihi tu belli caussa es, sed numina Divum, etc.

Abram.

Sic iste reip. causa belli] *Sic iste huic reip.* o. l. v. quod summopere placet. Ferrar. Nemo mirabitur, haec a Plutarcho in Ant. c. VI. ita conversa fuisse: τοῦ μὲν Τρωϊκοῦ πολέμου τὴν Ἑλένην, τοῦ δ᾽ ἐμφυλίου τὸν Ἀντώνιον ἀρχὴν γενέσθαι: sententiam, verbis non appensis, expressit. Sed mirandum est, locum celebrem ita citasse Matium Victorinum p. 173. Rhet. Capp. *ut Helena Troianis, sic tu, Antoni, huius belli semen fuisti:* et Marcian. Capellam ibid. p. 421. *ut Helena Troianis, sic civilibus bellis semen tu fuisti.* Ambo huc superiora traxerunt, *sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti.* Vt autem Plut. ἐμφυλίου πολέμου, ita Capella, *civilibus bellis*, fere ut infra c. 29. *ego ad illum belli civilis causam attuli.* In Vatic. hic locus ita legitur: *sic iste hoc reip. belli causa, pestis, atque exitii fuit:* cui pareo, *huic* tantum emendans, ut oportet. Dion autem Cassius XLV. 27. ita in Antonium loquentem Tullium inducit: καὶ ἐν ὀλίγῳ πάντων τῶν κακῶν τῶν ἐμφυλίων τῶν με-

A. XXIII. Reliquae partes tribunatus principio similes. Omnia perfecit, quae senatus, salva re publica ne fieri possent, perfecerat. Cuius tamen scelus in scelere cognoscite. Restituebat multos calamitosos.

τῶν ταῦθ' ὑμῖν συμβάντων αἰτιώτατος ἐγένετο, *ac fere omnium eorum malorum, quae postea in bello civili pertulimus, causa praecipua fuit:* et paullo post, οὗτος ὁ τὸ σπέρμα τῶν κακῶν τῶν μετὰ ταῦτα ἐκφύντων ἐμβαλὼν, οὗτος ὁ κοινὸς ἀλιτήριος οὐχ ἡμῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς οἰκουμένης ὀλίγου πάσης γενόμενος. *is semen eorum, quae post pullularunt, malorum iecit; is communis non nostrum modo, sed totius prope orbis terrarum pestis fuit.* Garaton.

Reliquae partes tribunatus] Transitio. quemadmodum Tribunatum suum a summo et nefario scelere fuerat auspicatus, et intercessione sua causam praebuerat bello civili, ita scelerate et impie reliquas magistratus sui partes exegit. Haec autem intercessio facta fuerat Kalendis Ianuariis, inierat Tribunatum plebis IV. Idus Decembris, ac proinde unus tantum et viginti dies ab inito magistratu ad illam intercessionem effluxerant, ut ea actio merito tribuniciarum actionum principium dicatur. Idem.

Principiis similes] Sic ex Vatic. Faërnus, Muretus, Lambinus. Vulgati *principio similes.* Colon. *principii similes.* Graev. Lamb. adnotat, duos codices habere, *principiis.* Ego vix dubito, quin verum sit *principii*, ex quo dativum requirentes alii fecerint *principio*, quod retinuit, contempto Vaticano, Muretus, alii *principiis;* potuit etiam littera S. ex verbo seq. duplicari, ut saepissime factum est. Gar. Ien. Teeg. Gud. *principiis.*

Omnia perfecit] Rescidit res iudicatas, damnatos restituit, exules revocavit, omnia denique iura turbavit, quae tam firme munierat Senatus, ut stante Republica labefactari non possent. Abram.

Cuius tamen scelus in scelere cognoscite] Scelus in scelere dicit, quia scelus quidem fuit restituere damnatos, et res iudicatas rescindere, sed hoc scelere posito scelus aliud admisit patruum suum C. Antonium, qui damnatus erat, beneficio suae legis excludens. vel enim nullum omnino restituere debuit, vel non debuit patruum suum excludere, cuius tamen nullam fecit mentionem. Idem.

Restituebat multos calamitosos] *Damnosos*, Lang. ut fortasse emendandum sit, *damnatos.* hoc certe voluit dicere. Ferr. *Multos calamitosos*] Scriptus Ferrarii unus *damnosos.* quod placuit Guilielmio. et Plautus quidem ea voce usus est in patrem talem. Graev. *Multos calamitosos*] Gruterus: *Scriptus*, inquit,

In his patrui nulla mentio. Si severus: cur non in omnes? si misericors: cur non in suos? Sed omitto ceteros. Licinium Lenticulam, de alea condemnatum,

Ferrarii unus DAMNOSOS, *quod placuit Guilielmio, et Plautus quidem ea voce usus est in partem talem.* alii *damnatos.* Sed nihil muto. calamitas enim Ciceroni passim idem est atque damnatio. Pro Sulla: *Domus erit, credo, exornata, aperientur maiorum imagines, ipse ornatum ac vestitum recuperabit. Omnia, iudices, haec amissa sunt: omnia generis, nominis, honoris insignia atque ornamenta unius iudicii calamitate occiderunt.* et: *Quid enim erat mali, quod huic spoliato honore, fama, fortunis deesse videretur? aut cui novae calamitati locus ullus relictus esset? Vrget eadem fortuna, quae coepit: reperit novum moerorem: non patitur hominem calamitosum uno modo afflictum, uno in luctu perire.* Fuerat autem Sulla damnatus ambitus cum Antonio. ABRAM.

Patrui] C. Antonii, collegae Ciceronis in Consulatu, qui accusatus a M. Coelio fuit, a Cicerone defensus, a iudicibus damnatus, quod expilavisset Macedoniam. In exiliumne fuerit eiectus, an tantum aestimata lite ob expilatam provinciam mulctatus, et ab honoribus et reipublicae administratione submotus, possit non immerito dubitari. Exulasse significant illa verba Vatinianae: *At nunc quidem C. Antonius hac una re miseriam suam consolatur, quod imagines patris et fratris sui, fratrisque filiam non in familia, sed in carcere collocatas audire maluit, quam videre.* Contra videri possit non exulasse verbis illis infra: *Frequentissimo Senatu, sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella odii causam ausus es dicere, quod ab eo sorori et uxori tuae stuprum oblatum esse comperisses.* IDEM.

Si severus] Dilemma, ubi, utrumvis dicat Antonius, manifesto scelere alligatur. IDEM.

Licinium Denticulam] Ita hodie passim publicatur, restatque in Pal. sec. antea cusi *Lenticulam.* quod et in pr. stat tamen et pro priore scriptura Mauricianus. GRVT. *Licinium Lenticulam*] Ita vulgatae passim editiones, quam lectionem etiam uno Palatino codice stabiliri fatetur Ianus Gruterus, mavult tamen cum altero Palatino et Mauriciano legere, *Licinium Denticulam.* Parum id quidem refert, sed vel ideo, quia parum refert, nihil novemus, cum praesertim vulgatam confirmet Dionis auctoritas lib. 45. ubi *Lenticulus* nominatur. Tullius enim apud Dionem lib. 45. oratione contra Antonium: *Id vero neminem latet, quod, cum multos in exilium missos non Caesare modo superstite, sed defuncto etiam, ex libellis scilicet eius, in urbem*

collusorem suum, restituit; quasi vero ludere cum

reduxerit, patruo suo non subvenerit, sed Lenticulum, quicum alea ludere solebat, propter vitae nequitiam patria exterminatum restituerit. Duo sunt, quibus usquequaque non assentior. Alterum, Lenticulam patria exterminatum fuisse, alterum, eundem ex Caesaris commentariis post eius mortem ab exilio rediisse: quibus duobus vides Oratorem aperte refragari. Abram. *Denticulam* tamen prae se ferunt emendatissimae editiones, Faerni, Mureti, Manutii et Lambini. Graevius. *Denticulam* Graevius antecedentium vestigia secutus. Sed et prius editi, et cod. Palat. et Ien. *Lenticulam:* et Dio Cassius lib. xlv. in oratione Ciceronis adversus Antonium *Lenticulum* nominat. Admittit hoc analogia, qua a *lens* fit *lenticula:* a *dens* vero non fit *denticula*, sed *denticulus.* Possis etiam suspicari *Lenticola*, a colendis lentibus, ut *Poplicola, Agricola.* Sed illud malo: quod et erant Licinii *Murenae, Surae, Tegulae.* Heusing. *Denticulam* Vatic. Colon. et duo Grut. sed ceteri omnes *Lenticulam*; quod iure praeferunt Abram. et Heusing. firmante Dione xlv. 47. qui nomen vere prodidisse videtur, cum cetera sit mentitus, ut vidit Abramius. Facile autem dictus *Lenticula* fuerit a maculis illis subrufis, quibus nonnullorum cutem adspersam videmus, et quae sic appellabantur. Vide Vossii Etymologicon v. *Lens.* Garaton. Ern. *Denticulam.* Schütz. *Lenticulam.* Ita imprimendum cura vi.

Collusorem suum restituit] Desiderabatur post haec verba in libris vulg. hoc totum, *non ut luderet cum restituto.* Lambinus.

Quasi vero ludere cum condemnato non liceret] Sic Pall. nostri. Lambinus edidit, *non ut luderet cum condemnato, quasi vero* etc. nimis de suo largus, inquit Schottus noster, qui malebat legere cum Mureto, *non quasi luderet cum condemnato.* videatur ipse c. 12. quemadmodum etiam Muretus lib. xiix. Var. lect. cap. 7. Grut. Muretus et Schottus sic legendum censent hunc locum: *non quasi ludere cum condemnato non liceret.* vide laudatum locum. sed nostri codices stant a Palatinis. vide Manutium. Graevius. Lamb. *restituit, non ut luderet cum restituto (quasi vero ludere cum condemnato non liceret) sed ut quod in alea perdiderat.* Sed Lambini fides suspecta hic est, cum, unde sua habeat, non indicet. Muret. *non quasi ludere* etc. Lenticula non in exilio fuit, sed tantum damnatus, et ab Antonio non in patriam, sed in integrum restitutus est. Vide h. c. infra. Heusing. Ab hac Graev. lectione libri nihil differunt, quam omnium coniecturis praestantiorem existimo. Gar. Vulg. lectionem, quae est Graevii, etiam Ern. sequutus est, at Schützio praeplacuit Mureti coniectura:

condemnato non liceret; sed ut, quod in alea perdiderat, beneficio legis dissolveret. Quam attulisti rationem populo Romano, cur eum restitui oporteret? Ab-

non quasi ludere. Sed tenendam puto esse omnium fere librorum lectionem, auctore Garatonio.

Sed ut, quod ille in alea perdiderat] Insinuat, Antonium fuisse pecuniis inductum ad ferendam legem de restitutione Denticulae, ut videlicet *huius legis beneficio*, id est, pecuniis ob hanc legem ferendam acceptis, aes alienum dissolveret Antonius, quod ipse contraxerat, ut pecuniis mutuatitiis alea luderet, totumque illud mutuum ludendo perdiderat. Abram. Nescio, unde hoc *ille* invectum fuerit, quod non est in Ien. et olim editis, habet vero Gothofr. Grut. Graev. Intelligitur certe Antonius, non alius, quem *ille* significare possit. Itaque tamquam spurium delendum est. Heusing. Vocem *ille* uncis inclusit Heusing. sed penitus est delenda. Summa negligentia omnes eam retinuerunt, postquam recepta est a Grut. Lambinianas repetitiones describente, in quibus primum est prolate, MSis omnibus invitis. Gar. Iamdudum delendum esse putabam *ille*. Neque enim Cicero dicere vult, Licinium ab Antonio restitutum esse, ut, quod ipse Lic. in alea perdidisset, dissolveret, sed quaerit, quid commodi Antonius Licinii restitutione sibi parare voluerit. Hinc *ille* delendum est, quod etiam desideratur in Teeg. et in Hoogend. et Guelf. ab Ernestio inspectis. Gud. habet *ille*.

Quam attulisti rationem] Cum rogatio ferebatur ad populum de restituendis damnatis, subiici debebat ratio, propter quam populus iudicium illud suo suffragio rescinderet: nullam autem subiecit M. Antonius. Abram.

Absentem credo] Ironia, qua omnes causas, quibus res iudicata rescindi potuit, complectitur: si absens in reos referretur, nec daretur ei spatium veniendi, seque defendendi, si temere nec auditis partibus reus damnaretur, si quaestio nulla lege esset constituta, si vi oppressus esset reus, si iudicia pecunia corrupti reum damnavissent: sed causas eiusmodi nullas attulit ad restituendum Denticulam. Idem.

Absentem] D. de poenis l. 5. Vlpianus: *Absentem in criminibus non debere D. Traianus Iulio Frontoni rescripsit. Sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari D. Traianus Assiduo Severo rescripsit. Satius enim esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari.* Item D. de requirendis vel absent. *D. Severi et Antonini Magni rescriptum est, ne quis absens puniatur.* Papianus lib. 6. D. de publicis iudiciis: *Inter accusatorem et reum cognitione suscepta, excusatio pro absente iustis rationibus admittitur. nec*

sentem credo in reos relatum; rem indicta causa iudicatam; nullum fuisse de alea lege iudicium;

per triduum per singulos dies ter citatus reus damnetur, nec de accusatoris absentis praesente reo calumnia pronuntietur. Quod ad contumaces spectat, Vlpianus I. citata de poenis: *Adversus contumaces vero, qui neque de nuntiationibus, neque edictis praesidum obtemperassent, etiam absentes pronuntiari oportet, secundum morem privatorum iudiciorum.* IDEM.

Indicta causa] Notum illud Tragici poëtae:

> *Quicunque statuit, parte inaudita altera,*
> *Æquum licet statuerit, iniustus fuit.*

Neque enim, ut ait Marcianus D. de requirendis vel absent. damn. l. 1, *inaudita causa, quemquam damnari aequitatis ratio non patitur.* Festus apud Lucam Actorum 25, vers. 16: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Alioquin, ut inquit Iulianus apud Ammianum lib. 18: *Ecquis innocens erit, si accusasse sufficiat?* IDEM.

Nullum fuisse de alea lege iu dicium] Id ipsum insinuare videtur Beatus ille Chrysostomus in priorem epistolam ad Corinthios, ubi περὶ τῶν ἔξωθεν νομοθετῶν, *de gentilium legislatoribus*, disserens, Τὸ κυβεύειν, inquit, πάλιν τῆς παρ᾽ αὐτῶν τιμωρίας ἐςὶν ἐλεύθερον, καὶ οὐδεὶς ὑπὲρ τούτων δίκην ἔδωκέ ποτε παρ᾽ ἐκείνοις. *Rursus alea nullis apud eos suppliciis vindicatur, neque quisquam hactenus ob res eiusmodi apud eos poena mulctatus est.* Haec ille homilia 12. Paulo post tamen leges et veteres, et non paucas de alea referemus. IDEM. P. Pithoeus in margine notavit, in MS. se legisse *de aleae lege.* quod sane probarem, si plurium codicum auctoritate niteretur. GRAEVIVS. Quidnam reliquos omnes libros deserendo adsequeremur, non intelligo: imo absurdam censeo MSi Pith. lectionem. Vidit Abram. id quod est apertissimum, per ironiam hic dici, nullum de alea iudicium fuisse lege constitutum, ut contra sese rem habuisse intelligamus: quod postulant etiam sequentia, *lege, quae est de alea, condemnatum.* Neque enim probanda est Heusingeri subtilitas, qui dubitari potuisse suspicatur, cum leges aleam prohiberent, an iis legibus accusatus fuerit, damnatusque Lenticula. Alia erant *sine lege iudicia*, ut III. de Offic. 15. appellantur, alia *lege*, cuius generis istud fuit. Quae autem res erat plebiscito vetita, iudicium eius rei certe oportebat constitutum fuisse, aut privatum, aut publicum: sed publicum aliquando iudicium erat etiam in re privata, qualis est

vi oppressum, et armis; postremo, quod de patruo tuo dicebatur, pecunia iudicium esse corruptum. Nihil

adolescentium circumscriptio III. de Nat. Deor. 30. Itaque nemo admiretur, iudicium de alea sic a Tullio describi, ut facile publicum videatur. Quod sensit Abramius, et propterea *quaestionem* dixit fuisse, quae vox ad publica iudicia pertinet. Sed errat idem, cum leges de alea Praetoris edicto firmatas censet, quo neque leges egebant, neque ullum, eo nomine, quod quis alea luserit, iudicium proponebatur. Atque adeo ab Aedilibus id exercitum Cuiacius docuit, quem tum alii sequuntur, tum Petrus Panteia Hispanus de Aleator. Tom. IV. Thes. Iur. Otton. p. 988. quem virum eruditissimum ignorasse miror disertum Asconii de poena quadrupli testimonium. Idonei quidem erant Aediles, qui iudicium publicum exercerent: sed exemplum desidero. An igitur privatum fuit? an vero potius Aediles iudicia recipiebant, aut inquirebant, deinde accusabant ad populum? quod aliis in caussis, etiam publicis, factitarunt, ut quaedam eorum propriae magistratus iure accusationes essent. Vide Duker. ad Liv. XXXVIII. 35. Verum has tenebras non licet penitus nobis dispellere. GAR.

Vi oppressum et armis] Eo praetextu videtur Caesar restituisse non paucos, qui damnati fuerant tertio Pompeii consulatu. Noster lib. 10. ad Atticum epistola 4. data ad XV. Kal. Maii sub id tempus, quo Caesar, pulso Pompeio ex Italia, victor ad urbem accessit, ita confirmat sibi dixisse Curionem: *In primis nihil esse certius, quam ut omnes, qui lege Pompeia condemnati essent, restituerentur, itaque se in Sicilia eorum opera usurum.* Quid autem causae rescindendis his iudiciis Caesar praetexeret, ipse declarat apud Lucanum lib. 1:

— Quis castra timenti
Nescit mista foro? gladii cum triste minantes
Iudicium insolita trepidum cinxere corona,
Atque auso medias perrumpere milite leges,
Pompeiana reum clauserunt signa Milonem.

Tradunt tamen Dio et Appianus, unum ex omnibus Milonem non esse restitutum. ABRAM.

Quod de patruo dicebatur] *De patruo tuo*, nonnulli v. l. in queis Col. FERRAR. *Tuo*, vulgo omissum, e Ienensi, et aliis scriptis cum Graevio restituo. HEVSING. Habent *tuo* ambo quoque Barb. Vatic. et ipse Grut. cum P. Man. Car. Steph. et Lamb. Praecedens syllaba in aliquot MSis id absorbuit. GAR. Ern. et Schütz. merito receperunt *tuo*, quod exhibet Teeg. et Gud.

Pecunia iudicium esse corruptum] Avaritiam a iudicibus debere esse penitus alienam, cavendumque imprimis esse, ne in iudiciis pecunia versetur, mul-

horum. At vir bonus, et re publica dignus. Nihil id quidem ad rem: ego tamen, quoniam condemnatum esse pro nihilo est, si ita esset, ignoscerem. Hominem omnium nequissimum, qui non du-

tis ostendimus in Pisonem. ABRAM.

At vir bonus] Etiamsi eae restituendi Denticulae caussae defuissent, potuit tamen quaedam adumbrata ratio praetexi, nimirum ut restituendus diceretur, quia vir bonus erat, dignusque, qui incolumis in republica versaretur. IDEM.

Nihil id quidem ad rem] Cur non ad rem, caussa redditur Verrina de suppliciis: *Perditae civitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vincti solvantur, exules reducantur, res iudicatae rescindantur. Quae cum accidunt, nemo est, quin intelligat, ruere illam rempublicam. Haec ubi eveniunt, nemo est, qui ullam spem salutis reliquam esse arbitretur. Atque haec sicubi facta sunt, ut homines populares aut nobiles supplicio et exilio levarentur,* etc. IDEM.

Ego tamen, quoniam condemnatum esse pro nihilo vis] *Et ego tamen quoniam condemnatum esse, pro nihilo est.* lib. vet. FERR. *ego tamen*] Ien. Teeg. *et ego tamen.* Hensing. putat, haec ironiam sapere: quod tu putas, condemnatum esse aliquem, esse rem minimi momenti. Manutius: quod aleae crimen leve sit. Ego contendo, hunc esse sensum: condemnatio in se spectata nos

non commovere potest, si est vir bonus, ut eum non restituamus.

Hominem vero omnium nequissimum] *Vero* omnibus antiquis lib. auctoribus delendum est. FERRAR. *Hominem*] Denticulam hominem flagitiosissimum, adeoque impudentem, ut, cum caeteri aleatores captent latebras, et in ganeum se abstrudant, ipse non dubitaret luce palam et in foro alea ludere, hunc qui restituit, iudiciumque de eo factum rescindit, ille manifesto se aleae deditum esse profitetur. ABRAM. Ignorant *vero* etiam omnes Graevii MSi, et Barb. uterque: omisit P. Man. et unus retulit postea Grut. Sic autem Vatic. *in eodem vero hominem omnium nequissimum*, tribus vocibus ex periodo sequenti translatis. Ex ista negligentia hic *vero* remanserat. Supra, *pro nihilo vir*, Ald. Naug. Cant. Gryph. Muret. atque pro V. L. Barb. sec. quod retulit nuper Olivet. sed Lallem. restituit *est* cum Rom. Ven. et reliquis, ut in Paris. MSis ille, in suis alii, ego in meis inveni. At non contemnendum, *et ego*, ut etiam Ien. et ambo Barb. Copulam a P. Man. et Car. Steph. receptam iterum abiecit Lambinus, omnibus sequentibus, volente Vaticano. GARATON. *Hominum vero omnium*] Desideravit Erml *vero* in Guelf. Teeg. habet *nemo inest omni-*

bitaret vel in foro alea ludere, lege, quae est de alea,

um nequissimus. Schütz. excepit *vero*, at dolendum est, neque enim hac omissione, ut Ern. suspicatur, oratio hiulca fit, dummodo memineris, in locis sibi oppositis saepe orationem maiorem vim accipere particulis eiusmodi omissis.

Vel in foro] Loco omnium celeberrimo, huic levitati alienissimo, ubi iudicia exercebantur, cum populo agebatur, et gravioribus tantum rebus quisque vacabat. Sic *in foro saltare* III. de Offic. 19. et 24. de summa impudentia. Hevsing.

Lege, quae est de alea] O. l. v. qui tamen non se mihi satis comprobant, hoc modo, *Vel lege, quae est de alea.* Ferrar. *Lege, quae est de alea*] Periplectomenes Plautinus actu 1, scen. 3. legem talariam appellat Milite glorioso:

Nisi hercle defregeritis talos, posthac quemque in tegulis
Videritis alienum, ego vestra faciam latera lorea.
Mihi quidem iam arbitri vicini sunt, meae quid fiat domi, etc.
Atque adeo ut ne legi fraudem faciam talariae,
Accuratote, ut sine talis domi agitent convivium.

Horatius 3. Carm. Ode 24:

— *Nescit equo rudis*
Haerere ingenuus puer,
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Graeco iubeas trocho;
Seu malis vetita legibus alea.

Ad quas veteres leges videntur Ovidii verba pertinere lib. 2. Tristium, elegia ad Augustum:

Sunt aliis scriptae, quibus alea luditur, artes:
Hoc est ad vestros non leve crimen avos.

Eae fuerunt Titia, Publicia, Cornelia, firmatae non solum Praetoris edicto, sed etiam S. C. quibus legibus non solum alea ludere vetabatur, sed etiam facere sponsionem. Paulus D. de Aleatoribus: *Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere, praeter quam si quis certet hasta, vel pilo iaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat.* Proxime subditur verbis Marciani: *In quibus rebus ex lege Titia et Publicia et Cornelia etiam sponsionem facere licet: sed ex aliis, ubi pro virtute certamen non fit, non licet.* Vide C. de aleatoribus, et alearum usu. Idem etiam prohibetur iure canonico 3 Decretal. De vita et honestate clericorum: *Ad aleas et taxillos non ludant, nec eiusmodi rebus intersint.* Quibus autem poenis eo scelere convicti plecterentur, non convenit inter auctores. Dio verbis non ita pridem laudatis putat, Denticulam exterminatum patria fuisse. Sed nec exulavit Denticula, ut constat ex hoc ipso loco Ciceronis: neque huius poenae tam gravis extat

condemnatum qui in integrum restituit, is non aper-

aliud vestigium. Maiorem tamen aleae quam vel furti, vel plagii poenam esse voluerunt. Asconius in divinationem: *Alii dicunt, quadruplatores esse eorum reorum accusatores, qui quadrupli damnari soleant, ut aleae, aut pecuniae gravioribus usuris foeneratae, quam pro consuetudine, aut eiusmodi aliorum criminum.* Cato initio libri de re rustica: *Maiores enim nostri sic habuerunt, et ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, foeneratorem quadrupli: quanto peiorem existimarunt foeneratorem quam furem, hinc licet existimari.* Alias poenas continet edictum Praetoris D. de aleatoribus: *Si quis eum, apud quem alea lusum esse dicetur, verberaverit, damnumve ei dederit, sive quid eo tempore dolo eius subtractum est, iudicium non dabo. In eum, qui aleae ludendae causa vim intulerit, uti quaeque res erit, animadvertam.* Vbi tum alia exposuit Vlpianus, tum illud addit: *Haec clausula pertinet ad animadversionem eius, qui compulit ludere, ut vel multa multetur, aut in latumias vel in vincula publica ducatur.* Videntur etiam ipso iure esse infames, quamvis nulla fiat eorum mentio D. de his qui notantur infamia. Innuit S. Ambrosius libro de Tobia cap. 11: *Habet et alea suas leges, quas fori iura non solvant. Notatur (si credi potest) infamia, qui putaverit esse repetendum, et infamium sententia gravius, quam censura iudicialis inurit opprobrium: quoniam qui apud iudices damnantur, apud illos gloriosi sunt, qui apud illos laudantur, apud iudices criminosi sunt.* Certe nunc multis locis infamiae causa taxilli a Iudaeis exiguntur, quo si non exhibuerint, colaphus illis impingitur. Apud antiquos Saturnalibus alea permissa fuit: vide Tranquillum in Augusto cap. 71. Martialem lib. 4, epigr. 14. lib. 5, epigr. 126. lib. 11, epigr. 7, et lib. 14, epigr. 1. Abram.

In integrum restituit] In pristinum statum, perinde ac si nulla damnatio contigisset. Pro Cluentio: *Qui caussam de ambitu dixerunt: qui accusati sunt ab iis, qui erant ipsi ambitus condemnati: quos ego non idcirco esse arbitror in integrum restitutos, quod planum fecerint, illos ob rem iudicandam pecuniam accepisse, sed quod iudicibus probarint, quod in eodem genere, in quo ipsi offendissent, alios reprehendissent, se ad praemia legis venire oportere.* Eodem sensu pro domo sua: *Damnatique comitiis centuriatis, cum in exilium profugissent, rursus ab eodem populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti.* Neque vero solum in damnatis, sed etiam in quibusvis rebus locum habet restitutio in integrum. Pro Flacco: *Praedia a nostris ma-*

tissime studium suum ipse profitetur? In eodem vero tribunatu, cum Caesar in Hispaniam proficiscens huic conculcandam Italiam tradidisset: quae fuit eius peragratio itinerum? lustratio municipiorum? Scio me

gistratibus in integrum restituta. et prooemio actionum in Verrem: Siciliam *iste per triennium ita vexavit ac perdidit, ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit.* Idem.

In eodem vero tribunatu] Caesar cum initio belli civilis sexagesimo die, ut narrat Plutarchus, sine sanguine tota Italia potitus esset, Pompeium et Consules *frustra per omnes moras exitu prohibere conatus Romam iter convertit*, etc. vid. Sueton. Iul. cap. 34. Quo tempore, ne Pompeius rediens Italiam occuparet, Antonium exercitui et Italiae praefecit. Noster autem invidiose traditam ait Italiam conculcandam, id est, vexandam et expilandam. Plutarchus in Antonio: *Lepido quidem Praetori Romam, Antonio vero Tribuno plebis exercitus Italiamque commisit.* Abram.

Conculcandam Italiam] Vexandam et quasi pedibus proterendam. ut pro Flacco: *Proterendum esse et conculcandum putaverunt.* et libro 8. ad Atticum epist. 11: *Conculcari, inquam, miseram Italiam videbis, proxima aestate ab utriusque mancipiis ex omni genere collectis.* Idem.

Quae fuit eius peragratio] Quo fastu, qua superbia, quibus etiam nequitiis Italiam peragravit, et omnia municipia obivit? Idem.

Lustratio municipiorum] Lustrare est obire et peragrare. 5. de finibus: *Cur ipse Pythagoras et Ægyptum lustravit, et Persarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit? tot maria transmisit?* Et libro 4. Tusculan. quaestion.: *Vltimas terras lustrasse Pythagoram, Democritum, Platonem accepimus.* Et alibi frequenter: nec infrequentius Maro, ut 4. Georg.

Arvaque Riphaeis nunquam
viduata pruinis
Lustrabat. —

3. Æneidos:

Ante et Trinacria lentandus
remus in unda
Et salis Ausonii lustrandum
navibus aequor.

Quamvis hoc verbum non solum obire, circumire, et peragrare significat, sed etiam obeundo et peragrando inspicere significat: ut Antonius non solum peragravit Italiam, sed etiam inspexit, et providit, ut esset in Caesaris potestate. 1. Æneidos:

— *Et Libyae lustrare extrema iubebo.*

Idem 6:

— *hic tota passim regione vagantur*

in rebus celebratissimis sermone omnium versari, eaque, quae dico, dicturusque sum, notiora esse omnibus, qui in Italia tum fuere, quam mihi, qui non fui. notabo tamen singulas res: etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestrae scientiae. etenim quod umquam in terris tantum flagitium extitisse auditum est? tantam turpitudinem? tantum dedecus?

XXIV. Vehebatur in essedo Tribunus plebis:

Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.

Idem.

In rebus celebratissimis] Non laudatissimis, sed frequentatis hominum sermone. de qua celebrandi notione vide Sextianam et Coelianam. Idem.

Sermone omnium versari] Ex Vatic. refinge, *omnium sermone versari.* Idem infra, *qui in Italia tum fuerunt.* Illud neglexit, hoc Muretus arripuit. Gar.

Quam mihi, qui non fui] Aliquanto tempore substitit in Italia Cicero, postquam Caesar in Hispaniam profectus est, ut constat ex litteris Caesaris ad Ciceronem xv. Kal. Maii ex itinere datis, quibus eum rogat, ut ab omni contentione absit, nec naviget ad Pompeium. Habentur libro decimo ad Atticum epist. 8. Substitit autem in Italia usque ad aequinoctium. Eodem lib. epist. 18: *Nunc quidem aequinoctium nos moratur: quod valde perturbatum erat, id scilicet cras erit.* Datae sunt hae litterae xvii. Kalendas Iunii. imo epistola sequenti scribit, Tulliam suam peperisse xiv. Kalendas Iunii, quo tempore adhuc in Italia morabatur. E quibus videas, eum in Italia fuisse quadraginta pene dies, postquam Caesar Italiam conculcandam Antonio tradidisset. Idem.

Notabo tamen] Significabo potius, et obiter attingam, quam explanabo. Idem.

Etenim quod unquam] Reddit rationem, cur Antonii flagitia nemini sint ignota, propter magnitudinem videlicet, quia res tam singularis non potest non omnium sermone celebrari. Idem.

Tantam turpitudinem?] Ernestius has voces uncis inclusit, quod eas ab interpolatoris manu profectas esse putat, qui non animadverterit, *flagitium* et *dedecus* esse nominativos. Quo tandem modo haec talia in animum induxerit Ern., non video. Nihilominus tamen monenda erant propterea, quod, quae E. uncis incluserat, Schützius prorsus omisit.

Vehebatur in essedo] Adverte vim singulorum verborum, quibus lustrationem Italiae eiusque turpitudinem exaggerat. *Vehebatur* muliebri mollitie. *In essedo*, quod genus est barbarici vehiculi, et a moribus Romanis alieni. *Tribunus plebis*, qui pedibus deberet incedere, ut

se magis popularem et conventu facilem exhiberet. *Lictores antecedebant,* quos habere Tribuno plebis ius non fuit, *laureati* ob expulsos Consules et Cn. Pompeium. *Inter quos* lictores Cytheris *mima portabatur,* quod est indignissimum meretriculam ornare his magistratus insignibus, et *aperta lectica portabatur,* ad maiorem impudentiam. Caetera etiam suam emphasim habent, ut quod eam salutarent municipales homines honesti, quod non sponte, sed necessario illi obviam procederent. Abram.

In essedo] Essedum fuit vehiculi genus Romanis incognitum, ut reor, antequam Caesar in Britanniam navigaret. Vide Caesar. lib. 4. de bello Gallico cap. 33. Atque propter hanc novitatem saepe iocatur epistolis ad Trebatium libro 7. ad familiares, ut epist. 6: *Tu, qui caeteris cavere didicisti, in Britannia, ne ab essedariis decipiaris, caveto.* Epist. 7: *In Britannia nihil esse audio neque auri, neque argenti. Id si ita est, essedum aliquod suadeo rapias, et ad nos quamprimum recurras.* Vide et epist. 10. Atque haec quanquam Britannorum propria fuerunt, a vicinis etiam nationibus sunt usurpata. Maro 3. Georg.

Belgica vel molli melius feret
esseda collo.

Claudianus Epigrammate de mulabus Gallicis:

Esseda concordes multicolora
trahant.

Livius libro 10. de Gallis etiam loquens: *Essedis carrisque superstans armatus hostis ingenti sonitu equorum rotarumque advenit.* Sed, ut iam dixi, non videtur cognitus essedorum usus populo Romano, antequam Caesar Gallias obtinuit provincias. Merito igitur essedum obiectat Orator, quasi rem novam et insolentem: neque hoc solum loco, sed, etiam lib. 6. ad Atticum epist. 1: *Putat enim, suos nummos vos comedisse, Caesarem in Marathone reaedificando diligentiorem fore. hoc ego ex P. Vedio, magno nebulone, sed Pompeii tamen familiari, audivi. Hic Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis, et rheda equis iuncta, et lectica, et familia magna. Pro qua, si Curio legem pertulerit, H. S. centena pendat necesse est. Erat praeterea cynocephalus in essedo, nec deerant onagri. nunquam vidi hominem nequiorem.* Haec autem facta sunt uno anno, antequam Italiam lustraret Antonius. Certe postea citra notam, ut opinor, Maecenatem iter facientem essedo vehi solitum, colligitur e Propertio lib. 2, eleg. 1:

Seu te forte meo ducet via
proxima busto,
Esseda caelatis siste Britanna iugis.

Idem.

Tribunus plebis] Non temere Tribunum plebis appellat: quantum enim coniectare licet, fas non fuit Tribuno plebis uti vehiculo, quamdiu erat in magistratu, neque enim poterat longius ab urbe discedere, aut extra pomoerium pernoctare; neque decebat, ut magistratus plebeius ad infimi ordinis patroci-

lictores laureati antecedebant; inter quos, aperta lectica, mima portabatur; quam ex oppidis municipales, homines honesti, obviam necessario prodeuntes, non noto illo et mimico nomine, sed Volumniam consalutabant.

nium institutus, cultu corporis, aut incessu a plebeiis differret, aut vehiculo uteretur, ne difficilis ad eum esset accessus. Quam ob caussam *Praetextam non gestat Tribunus plebis*, ut scribit Plutarchus quaest. Rom. probl. 81. Subdit: *Neque enim aut lictores habent, aut in sella curuli sedentes ius dicunt.* Et aliquanto post, quod magis facit ad praesens institutum: *Cum autem Tribunus plebis e plebe sumpserit originem, in eo vis eius est omnis, ut sit valde popularis, eiusque omnis amplitudo est, ut non maiores spiritus sumat quam caeteri, sed et habitu corporis et veste et vivendi ratione similis sit cuicunque civium. Nam pompa Consuli convenit et Praetori, at vero Tribunum plebis, ut aiebat C. Curio, conculcari oportet, neque specie maiestatem praeferre, aut esse inaccessum, et multitudini difficilem, sed ita super alios omnes eminere, ut tamen possit facile conveniri. Et eam ob rem neque illi domus ianuas claudere fas est, sed diu noctuque aperit, tanquam portus et perfugium indigentibus. Quo magis autem externa specie corporis abiectus est, eo magis potestate attollitur.* Quare probabilissimum est eos, ut planitus a quovis etiam plebeio adiri possent, vehicula eieravisse, ut se magis populares exhiberent. Confirmari potest ex eo, quod etiam Dictatorem equo, aut vehiculo uti nefas fuit, ut, quoniam summam rerum omnium potestatem obtineret, hac saltem una re plebeius videretur. Vide Plutarchum in Fabio. Quod etiam de legatis tradit Spartianus in Severo: *Ex quo factum est, ut in vehiculo etiam legati sederent, qui ante pedibus ambulabant.* Flamini etiam Diali, ne facile ab urbe discederet, equi usus interdictus fuit. Plutarchus quaestionibus Romanis, problemate 40: *Apud Romanos id sacerdoti* (loquitur de Flamine Diali) *proprium est, ut neque equo utatur, neque ultra dies tres peregrinetur.* Festus etiam caussam addit: *Equo vehi Flamini Diali non licebat, ne, si longius digrederetur, sacra negligerentur.* Abram.

Lictores laureati] Caesar potitus Italia, iis, quos sibi legavit, dedit lictores laureatos, non Antonio solum, sed etiam Curioni. Narrat enim Tullius epist. 4, lib. 10. ad Atticum, hoc ipso tempore, quo Caesar proficiscebatur in Hispaniam, C. Curionem in villam ad se divertisse: *Quid isti, inquam, tui fasces? si ab Senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex? Cupivi, inquit, ex S. C. surrepto: nam aliter*

[illegible] *At ille impendio nunc magis odit Senatum. A me, inquit, omnia proficiscentur. Sex autem, quia duodecim nolui; nam licebat.* Sed id magis tolerari potuit in Curione quam in Antonio, quia hic Tribunus plebis erat, qui lictores habere non potuit, ut iam vidimus e Plutarcho. lib. 10. ad Attic. epist. 17: *Melius quam Collega noster Antonius: cuius inter lictores lectica mima portatur.* Idem. *Lictores laureati*, quales habebant imperatores, parta victoria. Non lictores vero, sed fasces, quos gerebant, laureati erant. Vide Caes. III. B. Civ. 71. Manut. ad Cic. II. Epist. 16. VII. ad Att. 10. Abram. ad c. 17. in Pison. In Antonio hoc eo minus ferri poterat, quod Tribunus pl. erat, cui leges ne unum quidem lictorem concedebant. Vide Plutarch. Quaest. Rom. p. 283. Havsing.

Aperta lectica] Erudite Lipsius duplicem ait lecticarum formam fuisse: *Alia*, inquit, *aperta, alia tecta. Apertae forma simplex, asseres aliquot compacti, qui capere pulvinum oblongum possent, in quo homo singularis porrectus iacebat. Ad summam non aliud quam modicus quasi lectus.* Et utramque lecticae formam accurate discriminat. Nihil tamen affert, quod ab invitis extorqueat, ut fateantur, duplicem eam fuisse. Potuit enim eadem lectica modo velis obductis operiri, modo iisdem subductis et collectis aperiri. Suetonius in Tito cap. 10: *Cum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis coelum.* Plagulae autem quae dicantur, patet e Nonio: *Plagae, grande linteum tegmen, quod nunc torale vel lecticariam sindonem dicimus.* Vela igitur dimovebant, et aperiebant lecticae fenestram, si vellent coelum intueri: claudebant, si vel dormire vellent, vel aliud agere, quod arbitros non desideraret. Iuvenalis:

Namque facit somnum clausa
lectica fenestra.

Idem.

Non vero illo, et mimico nomine] *Non noto illo*, o. l. v. Ferrarivs. *Non noto illo, et mimico nomine*] Notae vel etiam nobiles dictae meretrices et famosae; vide Coelianam: *Res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia muliere non solum nobili, sed etiam nota.* Notum autem illud et mimicum nomen fuit Cytheris, ut et Plutarchus testatur, et Cicero libro x. ad Atticum epist. 11: *Hic tamen Cytheridem secum lectica aperta portat, altera uxorem.* (bene Lipsius, *alteram uxorem*) *septem praeterea coniunctae lecticae amicarum: hae sunt amicorum. vide quam turpi letho pereamus.* Abram.

Volumniam salutabant] *Consalutabant*, o. l. v. Ferrarivs. *Volumniam*] Cytheris liberta fuit P. Volumnii Eutrapeli, ut scribit Servius in Eclogam decimam, et eadem a Volumnio adamata, ut colligitur ex epistola ultima, libri 9. ad familiares: *Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicil-*

Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequissimi,

lis exaravi. Dices, Vbi? apud Volumnium Eutrapelum, et quidem supra me Atticus, infra Verrius, etc. Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. Ad hunc amorem lib. 7, ep. 32. alludit scribens ad eundem Volumnium: *Vt nihil sit tam ἄχαριτον, quod non alicui venustum esse videatur.* Volumnius autem familiaris fuit Antonio. Cornelius Nepos Attici vita: *Atticus cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares eius ex urbe profugientes, quantum potuit, texit: quibus rebus indiguerunt, adiuvit. Pub. vero Volumnio ea tribuit, ut plura a parenti proficisci non potuerint.* Apud quem etiam latuit Triumvirali proscriptione: *Idem Luc. Iulium Calidium, etc. in proscriptorum numerum a P. Volumnio, praefecto fabrum Antonii, absentem relatum expedivit.* E quibus agnoscis et coniunctionem Antonii cum Cytheride, et caussam, cur Cytheris Volumnia diceretur. Adde quod gens Volumnia nobilissima fuit, et patricia, ex qua P. Volumnius Consul fuit anno post Reges exactos quarto et quinquagesimo, quo tempore solis patriciis patebat aditus ad Consulatum, ut constat e Livio lib. 3. et Fastis Cassiodori. Ex eadem etiam gente fuit Volumnia uxor Coriolani, de qua Livius lib. 2. et alii passim, ut merito Cytheris ex hoc nomine gloriam quaesierit. ABRAM.

Sequebatur rheda cum lenonibus: comites nequissimi] Sic nonnulli v. l. *Sequebantur rheda cum lenonibus comites nequissimi.* quos probo: ut pro comitibus nequissimis meritorios pueros intelligat, id quod paulo infra apertius dicet. *Ingenui* (inquit) *pueri cum meritoriis, scorta inter matres familias versabantur.* Rheda autem fit sexti casus: ut Sallustius dixit, *equo circumiens:* et alter nescio quis, scriptor certe non malus, *equo sequi.* Petrus Victorius, quem honoris causa nomino, corrigendum putat, *Sequebatur rheda cum leonibus: comites nequissimi.* et me hercule opinionis suae librum, illum quidem non antiquum, sed tamen scriptum, adstipulatorem habet. Arbitratur enim vir doctissimus, Ciceronem id significare voluisse, quod Plinius libro VIII. memoriae prodidit. *Primus,* inquit, *leones Romae ad currum iunxit M. Antonius, et quidem civili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis, non sine ostento quodam, tempore illo generosos spiritus iugum subire coactos, prodigio significante. nam quod ita vectus est cum mima Cytheride, supra monstra etiam illarum calamitatum fuit.* Haec Plinius: quae Plutarchus, quae Cicero ipse tradidit. Ego autem praeterquam

quod pro uno illi possum viginti adstipulatores regerere, in eis treis vetustissimos, praeterea, qui ita loqueretur, ut diceret, *rheda cum equis, rheda cum mulis*, id est rheda mulis iuncta, neminem adhuc inveni. Iam vero ut rem tam inusitatam ac pene portenti similem tam breviter attingeret, nec ullos in ipsam orationis aculeos emitteret, adduci ad credendum nullo modo possum. Tu igitur iudicium adhibebis: idque eliges, quod ad locum aptius convenire iudicabis. Ferrarius. *Sequebatur rheda cum lenonibus*] Nondum satis, verum ut fatear, constituere potui, de huius loci lectione Victorione potius, an Ferrario assentiendum putem. Magna utriusque eruditio, magna diligentia et accuratio, magna exercitatio in veterum scriptis: sententiae suae rationes uterque probabiles affert: et nescio quomodo melius uterque, quantum ego quidem iudicare possum, reprehendit aliena, quam confirmat sua. Cum igitur in dubio esset animus, optimum factu esse duxi, veteris libri scripturam, ut erat, proponere. quanquam, si alterius utrius sententiam probare necesse sit, aliquanto equidem libentius Victorio accesserim. Muretus. *Sequebatur rheda cum lenonibus*] Ita est in libro Vaticano. Victorius autem legit *leonibus*: quod non placet. usus est enim *leonibus* Antonius, sed post Pharsalicam pugnam, ut scribit Plinius, non autem in hoc itinere Tribunicio, initio eius insaniarum. nam iter hoc Antonii Tribunicium anno superiore fuit: et leones non ad rhedam, sed ad currum iunxit. F. Vrsinus. *Sequebatur rheda cum lenonibus*] Exhibent hanc lectionem Pall. nostri, et retinet omnino contra Victorium Ferrarius: is enim lib. XVI. Var. lect. contenderat emendandum *cum leonibus*. Gruter. *Sequebatur rheda cum lenonibus*] Quidam legunt, *Sequebantur rhedam cum lenonibus comites nequissimi*. Victorius: *Sequebatur rheda cum leonibus*. quae sane emendatio, etsi non e libris, tamen ex historia magnam auctoritatem habet. Rhedas enim leonibus iunctas habuit Antonius, non solum post victoriam Pharsalicam, sed etiam initio belli civilis, cum ei Caesar Italiam primum contra Pompeianos obtinendam tradidisset. Noster lib. 10. ad Atticum epist. 14. eo ipso tempore data, quo Caesar in Hispaniam: *Tu Antonii leones pertimescas cave. nihil est illo homine iracundius*. Non inficior tamen, eosdem ductos fuisse etiam cum victor e Thessalia rediit. tunc enim Antonio fuerunt, uti auctor est Plutarchus, *καὶ λέοντες ἅρμασιν ὑπεζευγμένοι. etiam leones curribus subiugati*. Vide et Plinium lib. 8. naturalis historiae cap. 16. Neque vero sunt haec Ciceroni contraria, cur enim non potuit et ante et post pugnam Pharsalicam rhedas habere leonibus iunctas? ut immerito Petrus Victorius lib. 16, c. 3. hunc *παραχρονισμὸν negligentiae illius scriptoris assignandum* putet, *qui in tem-*

paribus lapsus sit, ut in multis aliis rebus saepe peccat. Cum praesertim noster lustrationem Italiae denno repetitam ab Antonio victore narrans, eandem fuisse dicat cum superiore: *Italiae rursus concursatio eadem comite mima.* quibus verbis satis ostenditur, etiam tum leones sub iugum missos fuisse: quod si pertendas *lenonibus* omnino legendum, mirum sane fuerit, tam singularis, tam insignis ad memoriam insolentiae nullam fieri mentionem. Quid? quod Alciatus emblemate quarto id etiam accidisse putat post obitum Ciceronis:

Romanum postquam eloquium Cicerone peremto
Perdiderat patriae pestis acerba suae,
Inscendit currus victor, iunxitque leones,
Compulit et durum colla subire iugum,
Magnanimos cessisse suis Antonius armis
Ambage hac cupiens significare duces.

Neque fortasse hallucinatus videri possit, ut suspicari merito possumus ex antiquis nummis ab Huberto Goltzio collectis, de quibus Lipsius lib. 2. epistolicarum quaestionum epist. 21. ad eundem Goltzium scripta: *Admonitus libro tuo evolvebam antiquitates meas. Reperio nummum duorum inscriptionem (et vidisse puto Romae apud peritum harum rerum virum Nicolaum Florentium)* ANTONI. IMP. A. XL. III. VIR. R. P. C. *adiuncta leonis effigies erat.* Hos leones ut subiugaret, fortasse exarmaverat, id est, ungues illis dentesque decusserat. Sic Heliogabalus apud Lampridium, *Habuit leones et pardos exarmatos in deliciis, quos edoctos per mansuetarios subito ad secundam et tertiam mensam iubebat accumbere, ignorantibus cunctis, quod exarmati essent, ad pavorem et ridiculum excitandum.* Idem: *iunxit sibi et leones.* ABRAM. Multis de hoc loco egerunt quoque Victorius, et Sebastianus Corradus ad x. ad Attic. epist. 13, quos vide. Nam uterque contendit, legendum esse *cum leonibus.* Sed ita tamen, ut Corradus haereat, et dubitet de huius loci scriptura, quia post Pharsalicam victoriam demum leonibus iunxisse rhedam Antonium scribatur a Plutarcho. Francii, Graev. Amsterd. firmant *lenonibus.* In Col. est *leonibus*, sed addita super *e* virgula, verum a recentiore manu, *ē*, quae *en* notat. GRAEVIUS. Leones post victoriam demum currui iunxit Antonius, non lenonum, sed suo. Vide Plin. VIII. H. N. 16. Plutarch. Ant. p. 920. B. Ipse vero tum in essedo vehebatur: sequebatur haec rheda, quae lenones, vel horum similes comites portabat. An *rheda cum leonibus* Latine dicatur, merito quoque dubitatur. Vide tamen P. Bailii Lex. Hist. et Crit. v. *Lycoris.* HEUSING. Barb. prim. diserte *leonibus:* alter, et ante P. Man. editi cum Vaticano consentiunt, quos libros merito Graev. non deseruit. GARA.

reiecta mater amicam impuri filii, tamquam nurum, sequebatur. O miserae mulieris foecunditatem calamitosam! Horum flagitiorum iste vestigiis omnia municipia, praefecturas, colonias, totam denique Italiam impressit. Reliquorum factorum eius, Patres Conscripti, difficilis est sane reprehensio, et lubrica. Versatus in bello est: saturavit se sanguine dissimil-

Reiecta mater] Vetus liber, *recta mater*. Muretus. *Reiecta mater*] Liber Vaticanus habet *recta*, sed mendose. amici autem mei manuscr. alius codex habet, *rhedicula*. Ant. Augustinus putat legendum *lectica*: sed frigidius verbum videtur, quam *reiecta*, id est, in extremum compulsa. F. Ursinus. Sequitur enim *amicam impuri filii*, id est, Cytheridem amicam Antonii sequebatur, quae verba ostendunt, eam in extremo comitatu fuisse. Abram.

O miserae] Gravi exclamatione Iuliae matris miseriam deplorat, quae nunquam eo venisset indignitatis, nisi Antonium peperisset. Appuleius Apologia: *O infelix uterum tuum, Pudentilla! o sterilitas liberis potior! o infausti decem menses! o ingrati quatuordecim anni viduitatis! Vipera, ut audio, exeso matris utero in lucem proserpit, atque ita parricidio gignitur. At enim tibi a filio, iam adultero, acerbiores moreus viventi et videnti offeruntur*, etc. Abram.

Reliquorum factorum eius] Difficile est et periculosum ea reprehendere, quae fecit Antonius bello civili, ne haec reprehensio redundare videatur in veteranos milites, qui in eadem causa fuerunt. Idem.

Difficilis est sane reprehensio: et lubrice versatus in bello est] *Difficilis est sane reprehensio, et lubrica.* A. l. v. Ferrarius. Mendum Rom. Ven. et Ald. corrigit Ferrarius, quod iis edd. commune est cum utroque Barb. et aliis MSis. Primus in editis id emendavit Naugerius. In Vatic. est, *versatus in vellostaturavit*, cum dare vellet, *versatus in bellost*, *saturavit*, elisa, ut solet, prima littera verbi *est*. Gar.

Saturavit se sanguine] Homo sceleratus et nefarius optimos cives tam crudeliter necavit, ut eorum quodammodo carnibus vesci, et sanguinem exorbere videretur. Vatin. *Cum per meum nomen fortunas locupletum diripere, sanguinem principum civitatis exorbere, crudelitatem vestram, odiumque diuturnum, quod in bonos iam inveteratum habebatis, saturare cuperetis.* Sic Hierocles iudici, a quo virgis caedebatur, crudelitatem exprobravit: Ῥεόμενος δὲ τῷ αἵματι, inquit Suidas, βάψας κοίλην τὴν χεῖρα προσραίνει τὸν δικαστὴν ἄρα λέγων,

limorum sui civium. Fuit felix, si potest ulla esse in scelere felicitas. Sed quoniam veteranis cautum esse volumus, quamquam dissimilis est militum causa, et tua: illi secuti sunt, tu quaesisti ducem; tamen, ne apud illos me in invidiam voces,

Κύκλωψ, τῆ πίε οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα.

Manans sanguine cavam manum intingens iudicem adspersit, simulque dixit,

Vina bibe, o Cyclops, humana carne repletus.

Plinius lib. 16. naturalis historiae cap. 22. de hoc ipso Antonio: *Quo facile intelligatur ebrius iam sanguine civium, et tanto magis eum sitiens.* Abram.

Fuit felix] Eam patrem sequutus est, penes quam mansit victoria: quod eius felicitati potius tribuendum est, quam vel prudentiae in parte eligenda, vel fortitudini in consequenda victoria. Quanquam improprie loquor: nulla enim potest esse in scelere felicitas. Idem. Haec verba ex Vaticano ita constituenda censeo: *felix fuit, si potest ulla in scelere esse felicitas.* Gar.

Sed quoniam veteranis] Intricatior esse, nec optime cohaerere videtur oratio. Est enim ἀνακόλουθον, nec illa particula *quoniam* habet aliud membrum, quod sibi perspicue respondeat. Mens est Oratoris: Nihil de belli genere dicam, nec invehar in te, quod interfueris bello civili suscepto contra rempublicam. Non, inquam, invehar propter duas rationes: altera est, quoniam veteranis cautum esse volumus, ne priventur iis militiae commodis, quae vel iam adepti sunt a Caesare, vel brevi adipiscentur a Senatu: altera est, quia nolo committere, ut tu me apud illos in invidiam voces, eorumque animos contra me incites, quasi ego eorum commodis detrahendum putem. Quanquam, etiamsi in te inveherer, quod interfueris bello civili, non tamen reprehenderentur a me veterani. Siquidem alia tua est, alia veteranorum causa. Illi enim sequuti sunt Caesarem ducem, qui ipsis datus fuerat a Senatu populoque Romano: nec examinare debuerunt causam, cur Caesar Pompeio bellum inferret: tu autem cum et Tribunus plebis esses, ac proinde nullo sacramento militari obligatus, tu sponte ducem quaesiisti. Abram. *Quoniam* offendit Abramium: mihi recte adesse videtur. *Sed, quamquam,* inquit, *dissimilis est militum causa, et tua* (*illi secuti sunt, tu quaesisti ducem*) *tamen, quoniam veteranis cautum esse volumus, nihil de belli genere dicam,* h. e. non quaeram, an illud bellum iustum fuerit. Heusing.

nihil de belli genere dicam. Victor e Thessalia Brundisium cum legionibus revertisti. Ibi me non occidisti. Ma-

Nihil de genere belli dicam] *De belli genere*, o. l. v. FERRARIVS.

Victor] Antonius multa praeclare gesserat bello civili, si meliorem causam amplecti voluisset. Nam et exercitum (maiori audacia dicam, an periculo, an felicitate?) in Macedoniam traiecerat, urbem Lisson ceperat, Caesari cum paucis inter hostes deprehenso perpopportune subvenerat, bis fugientem Caesarianorum aciem restituerat, causamque praebuerat victoriae: tandem pugna Pharsalica dextero cornui praefectus Cn. Domitium occiderat: quare quae in eius laudem redundare poterant, Cicero praetermittit, et ad eius in Italiam reditum delabitur. ABRAM.

Victor Thessalia] *E Thessalia*, l. v. FERR. *E Thessalia*] Vbi proelium Pharsalicum commissum est, et victus Pompeius. ABRAM. Praepositionem restituit Naugerius, quae tamen non male aberat, imo suspecta eius esse potest adiectio. Vide Graev. ad c. 12. pro L. Manilia. Abest etiam a codice Graev. et ab utroque Barb. et ab ed. Mureti. GAR.

Cum legionibus] Caesar, victo ad Pharsalum Pompeio, magnam exercitus sui partem in Italiam remisit, eique praefecit M. Antonium: ipse cum reliquis copiis instituit sequi Pompeium fugientem. Cicero, qui et invitus bellum susceperat, et nullam videbat Pompeianis partibus spem superesse, audita clade Pharsalica, cui propter adversam valetudinem non interfuit, statuit ab armis discedere, neque Catoni et Cn. Pompeio filio exercitum ei tradentibus, hortantibusque, ut praeesset, bellique extrema persequeretur, acquievit, sed in Italiam navigavit, appulsusque Brundusium incidit in Antonium cum exercitu victore redeuntem. Quem cum Antonius iure belli occidere posset, incolumem dimisit. ABRAM.

Magnum beneficium] Ironia: hoc enim est beneficium latronum. Supra: *Quod est aliud, P. C., beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint.* Quem in locum vide notas. Bisciola noster parte 1. hor. subsec. lib. 5, cap. 11. notat, non esse dissimile Graecum illud proverbium, *Κύκλωπος δωρεὰ, Cyclopis donum,* natum ex Homeri versibus, apud quem muneris loco Polyphemus Vtini, qui idem Vlysses erat, promittit:

Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἑτάροισι,
Τοὺς δ' ἄλλους πρόσθεν. τόδε τοι ξεινήϊον ἔσται.
Vtina postremum comedam, sociosque vorabo
Ante tuos: haec hospitii tibi munera sunto.

Cuius proverbii meminit Lucianus in Cataplo. nec abludit Euripides in Medea, ubi Iason be-

gnum beneficium. Potuisse enim fateor. Quamquam nemo erat eorum, qui tum tecum fuerunt, qui mihi non censeret parci oportere. Tanta est enim caritas patriae, ut vestris etiam legionibus sanctus essem, quod eam a me servatam esse meminissent. Sed fac id te

neficii loco ponit, quod Medeam Creon non occiderit, sed tantum exilio multaverit:

Ἃ δ' ἐς τυράννους ἔςι σοι λελεγμένα,
Πᾶν κέρδος ἡγοῦ ζημιουμένη φυγῇ.
Tu cum tyrannis multa maledicta ingeras,
Appone lucro, quod relegaris procul.

Nicetas Choniates in Andronico Thessalonicam a Siculis captam describens, his verbis immanem eorum crudelitatem exaggerat: *Nimirum gladio statim interfici, aut bonis omnibus nudatum dimitti summi beneficii loco numerabatur.* Addit et alia, ut proverbium e Suida, *ἀπὸ καταδυομένης, a submersa.* Vt dictum Pausaniae Spartanorum regis ad Lamponem Æginetam suadentem, ut in Mardonii cadaver saeviret, ex Herodoto lib. 9. Idem.

Potuisse enim fateor] Fateor enim, in tua potestate fuisse, ut me occideres. Quaedam exemplaria habent: *Potuisti enim, fateor.* Quae lectio non displiceret, si accederet veterum codicum auctoritas. Idem. Lectionem istam, *potuisti enim, fateor*, apud Muretum invenio: ego vero nihil varietatis adnotabam ex Vaticano. Gar.

Quanquam nemo erat] Correctio est, qua ostenditur, iure non potuisse occidere Ciceronem, quia, etiamsi esset hostis, omnium tamen iudicio nefas erat patriae conservatorem occidere. Abram.

Qui tunc tecum fuerunt] *Tum*, o. l. s. Ferrar. *Tum* exstat etiam in Colon. Graevius. *Qui tum tecum fuerunt*] Vulg. *tunc.* Ferrarii Cod. et Colot. *tum.* Teeg. *cum.*

Tanta enim est charitas patriae] A patriae charitate rationem reddit, cur non debuerit occidi, imo nec iure potuerit. Tanta est enim patriae charitas, tam altis in cuiusque animo defixa radicibus, tam naturalis ad eam propensio, ut etiam ille ipse Caesaris exercitus, qui patriae bellum inferebat, me sanctum et inviolabilem esse duceret, quod patriam a me servatam esse meminisset extincta coniuratione Catilinae. Abram.

Sanctus essem] Inviolabilis. Vide Milonianam ad illa verba, *latialis sancte Iupiter.* Idem.

Fac te dedisse mihi, quod non ademisti] *Fac id te*, l. Col. Ferrarius. *Sed fac te dedisse mihi, quod non ademisti*] Sed esto: concedamus magnum esse beneficium, quasi vitam mihi concesseris, quia non ademisti: tamen hoc posito non debeo vi-

dedisse mihi, quod non ademisti: meque a te habere vitam, quia a te non sit erepta: licuitne mihi per tuas

deri ingratus', quia non per me stetit, quo minus gratus essem: sed mihi non licuit per tuas contumelias, quibus affectus sum a te, tuum illud beneficium sic tueri, ut tuebar, tantique illud facere, quanti antea faciebam. A quibus certe contumeliis abstinere te debuisti, praesertim cum videres certoque scires, si me novis tuis contumeliis veteris beneficii memoriam ex animo abiicere coëgisses, fore, ut tu haec a me audires, quae summam infamiae labem tuo nomini adspergerent. Vide supra, *fac potuisse.* Notat autem illustrissimus Latinitatis instaurator, hoc eleganti loquendi modo id significari, quod illiterati dicunt, *Ponamus quod dederis, ponamus quod potueris:* aut quod aliqui se elegantius dicere putant, posito quod dederis, dato quod potueris. eamque locutionem non paucis confirmat exemplis e Cicerone corrasis: additque pulcherrimos Cleanthis versus felici, ut ait, illo seculo in Latinum versos, quos apud Senecam philosophum reperies:

Duc me, parens celsique dominator poli,
Quocunque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum impiger. FAC NOLLE. *comitabor gemens,*
Malusque patiar, facere quod licuit bono.
Ducunt volentem fata: nolentem trahunt.

Nollem tamen superiores illos loquendi modos quasi barbariem omnino excludendam putaret, et velut sibilis ex orchestra litteratorum exploderet. Nam Vlpianus, Latinissimus auctor, D. de iniuriis et famosis libellis: *Ponamus enim, studiorum causa Romae agere.* Et Terentius, Latina Siren, in Phormione actu 4, scen. 3:

Verum pone, esse victurum, at tandem tamen
Non capitis eius res agitur, sed pecuniae.

ABRAM.

Meque a te habere vitam, quia a te non sit erepta] *Quae a te,* c. nonnulli v. l. in queis Col. FERRARIVS. Ien. *quam*, id est *quoniam.* HEVSING. *Quae a te non sit erepta.* Ita cum Graevio codices Regii. Vulgo, *quia* etc. LALLEM. Soli Graev. Heusing. et Lallem. *quae* receperunt. Sane *quia* optime cum subiunctivo adhibetur: eaque res ignorata emendationes aliquando iniustas peperit, ut vidimus ad c. 8. Vaticanus mendum praebet, quod in utramque partem trahi potest: habet enim *qua non a te sit erepta*: videtur tamen paullo magis favere *quia* retinentibus, atque ita collatores illius interpretati sunt. GARATON.

Liceat nunc mihi, c.] *Ne* pro *nunc* omnes ad unum libri scripti. in primo verbo inter se dissentiunt: nam partim *liceat*, partim *licet* defendunt: mihi neutrum placet: corrigendumque ar-

contumelias hoc tuum beneficium sic tueri, ut tuebar, praesertim cum te haec auditurum videres?

XXV. Venisti Brundisium, in sinum quidem, et in complexum tuae mimulae. Quid est? num mentior? Quam miserum est id negare non posse, quod sit turpissimum confiteri? Si te municipiorum non pudebat: ne veterani quidem exercitus? quis enim miles fuit, qui Brundisii illam non viderit? quis, qui nescierit, venisse eam tot tibi dierum viam gratulatum?

bitror, *licuitne:* mihi enim hoc sentire Cicero videtur, Esto, sit beneficium, quod me non occideris, cum posses; verumtamen, etiam si maxime voluissem, ut volebam, potuine illud tueri, cum postea conviciis me conscideris, atque orationem contumeliosam in me evomueris? quod tibi certe faciendum non fuit, si tuum erga me benficium tueri volebas: cum praesertim me par pari relaturum videres. Si extrema verba diligenter attenderis, intelliges profecto, *licuit*, non *liceat*, neque *licet*, convenire. Sed testificor sententiam meam: nihil affirmo. Id. *Licuitne mihi*] Ita legendum conieceerat Ferrarius: cuius coniecturam confirmavit antiquus liber. Muretus. *Liceatne mihi per etc.*] Ferrarius timide et modeste coniiciebat, *licuitne*, quod receperunt P. Manut. et Lamb. sed non respondent libri. prius impressi, *liceat nunc mihi.* Grut. Vides ex Mureto, non sola coniectura Ferrarii inductum Lambinum, ut *licuit* reciperet: sed fide antiquissimi omnium et optimi libri, ex quo iam ante id receperat Faërnus, quamvis nullam in notis fecisset mentionem huius mutationis, ut in aliis pluribus. Sic autem legendum esse vel invitis libris, sententia flagitante, Ferrarius viderat. *Sic* etiam ex Faërno et Mureto, sive potius Vaticano adieci, desideratum in aliis editionibus. Graev. Grut. omisit *sic*, quod priores habebant, et Ien. servat. *Beneficium tueri* alias dicitur, qui illud dedit, qui bene fecit, non qui accepit: quando eum beneficii sui non poenitet, et quando praestat, ne eius gratia pereat, ne frustra datum sit. Sic Cicero pro Coel. 3. Plancus ad Cic. X. Epist. 11. Plinius II. Epist. 13. 9. Idem est *conservare* beneficium, munus: de quo Burmannus ad Quinctil. Declam. 383. p. 781. Hic vero qui accepit, *beneficium tueri* intelligitur, quum memori id animo colit, pari gratia ei respondet, cavetque, ne iure possit eripi, ne pereat. Sic et Plin. I. Epist. 19. extr. Heusing. Repetitiones Lambinianas voculam *sic*, quae in omnibus libris est, mendose omittentes Gruterus, et Verb. negligenter secuti sunt. Car. Steph. ex suo cod. *hoc tuum beneficium*, atque ita etiam Muret.

Lamb. et cod. Colon. et ipse denique Vaticanus: sed merito suspecta fuit adiectio ista pronominis. GAR. Graev. Ern. et Schütz. omittunt *tuum*.

Venisti Brundusium] E Thessalia Brundusium cum legionibus revertisti: estque reditus ad propositum ex brevi illa digressione de beneficio Antonii. De Brundusio vide Strab. lib. 6. De portu Brundusino Plinius lib. 3, cap. 11, et cap. 26. Vbi et illud notatu dignum, quod idem refert lib. 2, cap. 103: *Brundusii in portu fons incorruptas praestat aquas navigantibus.* ABRAM.

In sinum quidem, et complexum tuae mimulae] *Et in complexum*, o. l. v. FERRAR. *Tuae mimulae*] Cytheridis a te adamatae, quam per contemptum non mimam, sed mimulam per diminutionem appellat. ABRAM.

Quid est?] Vrget et vehementius insistit, quasi insultans inimico, quod tam aperte convincatur, ut negare non possit, nec ullo modo laqueis infamiae, quibus tenetur, se expedire. IDEM.

Si te municipiorum] Si eo impudentiae prolapsus fueras, ut luce palam, in oculis municipiorum Cytheridem habere non dubitares, at saltem pudere te debuit hoc flagitii committere coram veteranis, qui diuturnis militiae laboribus assueti, has nequitias ferre aequo animo non poterant, cum tu praesertim iis praefectus fuisses a Caesare, et officii tui ratione caeteris temperantiae modestiaeque exemplum exhibere deberes. IDEM.

Ne veterani quidem exercitus?] Nonne veterani exercitus te pudere decebat? *pudet me alicuius*, pro, verear aliquem, non solum Cicero dixit, sed et Sallust. fragm. lib. 1. orat. Phil. n. xv. p. 950. et Plautus III. Trin. 2. 67. itemque Iustin. XII. 6. 10. HEVSING.

Tot dierum tibi viam] *Tibi tot dierum viam*, o. l. v. FERRARIVS. *Venisse eam tibi tot dierum viam*] Antiquus liber *via*, quod tamen reiicio, collocationem tamen verborum hanc probo, quam habet liber unus Vaticanus: *Tot tibi dierum viam gratulatum*, et paulo post pro *quem hominem*, *quam nequam hominem*: et deinde paucis interiectis, *beneficio amicorum eius*. FAERNVS. *Tot dierum viam*] De longitudine viae Appiae, quae Roma Brundusium extendebatur, Lipsius libro 3, c. 10. de Magnitudine Romana, ubi et testatur, inter utramque urbem fuisse milliariorum circiter CCCL intervallum: quare si singulis diebus quinque et viginti milliaria conficias, iter erit dierum quatuordecim, quam viam Cytheris ivit Antonio gratulatum. Horatius lib. 1, Sat. 5. suum iter describens Roma Brundusium innuit se quindecim diebus illud confecisse. Primum:

Digressum magna me excepit
Aricia Roma.

2. inde forum Appii. 3. non nominatur, ubi ventri bellum indixit, non procul a luco Feroniae.

quis, qui non indoluerit, tam sero se, quam nequam hominem secutus esset, cognoscere? Italiae rursus

4. *Impositum saxis late candentibus Anxur.*
5. Fundi. 6. Mamurrarum urbs, id est Formiae. 7. Sinuessa. 8. *Proxima Campano ponti quae villula.* 9. Capua. 10. Cocceii villa. 11. Beneventum. 12. Trivici villa. 13. *Oppidulum, quod versu dicere non est.* id est Equotutium. 14. Rubi. 15. Bari moenia piscosi. 16. Gnatia. Tandem

Brundusium longae finis chartaeque, viaeque.

Sed cum semel unum diem diviserit, id est partitus fuerit in duos dies, quod uno die confici poterat ab expeditis:

Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum. ——

quatuordecim tantummodo dies sunt numerandi, ut decimo quinto, quam ab urbe discesserant, die Brundusium pervenirent. Quod etiam aliunde colligitur, nimirum ex distantia et longitudine viae Appiae, quae ab urbe Brundusium pertinebat, ut iam ostendimus in Coeliana. Abram. *Tibi* deest in Ien. *tot tibi dierum viam* Vatic. quod restitui. Appiam viam, quae Roma Brundisium ferebat, cccl. m. p. longam fuisse colligit Lipsius: si in singulos dies xxv. m. p. conferas cum Abramio, iter illud xiv. dierum fuit. Heusing. Barb. ambo cum MSis Ferrarii consentiunt. Gar. Non tantum lectionem Vat. *quis nescierit, venisse eam tibi tot dierum viam gratulatum?* pro vulg. lect. *via* Ernestius restituere debebat, sed etiam pro *quem hominem secutus esset*, recipienda erat lectio eiusd. cod. *quam nequam hominem sequutus esset*, ut c. 32. *eundem nequam hominem et audacem, nequam* etiam dicebatur.

Quis, qui] Quis fuit in toto illo veteranorum exercitu, qui non doluerit, se tam sero cognoscere tuas nequitias. Si enim prius cognovissent, quam esses homo nequam, te ducem sequi tibique parere noluissent. Abram.

Quam nequam hominem] Alii, *quem hominem.* Sed hoc multo melius. Muretus. *Quem hominem:* ita cum vulgatis codices Regii. Graevius dedit, *quam nequam hominem.* Lallem. Rectius Lamb. Graev. Heusing. et Olivet. Vaticanum, licet unicum, audiverunt. Car. Steph. *quem secutus esset.* Gar.

Italiae rursus percursatio] Quemadmodum prius in Tribunatu Italiam conculcaveras, eamque vestigiis flagitiorum tuorum impresseres, ita rursum eandem Italiam percursasti, cum victor e Thessalia rediisses. Vox *eadem*, vel ad percursationem referri potest, *percursatio eadem, comite mima*, vel ad mimam, *percursatio, eadem comite mima.* Malo ad percursationem referre: quasi dicat, Non opus est referre, quid fecerit e Thessalia reversus, ne bis idem dixisse videamur: eo-

percursatio eadem comite mima: in oppida militum crudelis, et misera deductio: in urbe auri, argenti, maximeque vini foeda direptio. Accessit, ut, Caesare

dem enim modo se gessit in ista secunda percursatione Italiae, quo se gesserat in priore. Cum enim, ut referunt Plutarchus et Plinius, hac secunda lustratione Italiae, tum alia insolentissime fecerit, profecto non omisisset Orator, nisi eadem utraque percursatione contigissent. Abram. Licet coniungere, *eadem comite mima*. Nam *rursus percursatio* iam significat, hoc iter priori simile fuisse, de quo c. 23. Abram. *percursatio eadem* copulare maluit. Hevsing. *Italiae rursus percursatio eadem comite mima*] Hic non cum Abramo retulerim *eadem* ad vocem *percursatio*, sed ad *comite*, quod anno ante Italiam cum mima Antonium lustrasse memoratum erat. Et si contenderes, id coniungendum esse cum *percursatio*, incommode dixisset, *rursus eadem percursatio*.

In oppida militum crudelis et misera deductio] Dicuntur in oppida deduci milites, cum vel ad hiberna mittuntur ad tempus, ut, cum se vis hyemis remiserit, rursus ad militiam educantur, vel cum, stipendiis confectis, in oppida mittuntur, assignatis agris, accepturi praemia et veteranorum privilegia. Posteriore sensu libentius interpretor. Haec enim deductio crudelis fuit et misera, cum, eiectis veteribus colonis, in eorum possessiones novi succederent. Abram. *Deductio* in hiberna cum rapinis, et caedibus adversariorum coniuncta, ideoque *crudelis, et misera*. Alii immissionem militum in aliorum possessiones intelligunt: quibus, emeritis stipendiis, saepe agros iustis possessoribus ereptos adsignabant imperatores. Id vero, bello potius civili confecto, quam hoc tempore, factum crediderim. Hevsing.

In urbe auri, et argenti] *Et* inducendum de auctoritate omnium v. l. et elegantiae. Ferrarivs. *in urbe auri, argenti maximeque vini foeda direptio.* Ferrar. in omn. cod. *et argenti*, quod etiam habet Teeg. Gud.

Maximeque vini] Quia, cum Antonius esset avarus et iniustus, magis tamen erat vinolentus. Abram.

Accessit] Ad superioris percursationis nequitiam accessit huic posteriori magistratus, nimirum ut magister equitum crearetur Caesare Dictatore. Posteaquam enim de pugna Pharsalica, et nece Cn. Pompeii Romae nuntiatum est, multi honores Caesari decreti fuerunt, isque ad annum integrum Dictator, Antonius autem magister equitum constitutus. Id Cicero videri vult factum ignaro Caesare, beneficio amicorum eius, ut etiam indicet, Antonium Caesari contemptui fuisse. Abram.

Caesare ignaro] Rem aliter narrat Plutarchus in Antonio:

ignaro, cum esset ille Alexandriae, beneficio amicorum eius Magister equitum constitueretur. Tum existimavit se suo iure cum Hippia vivere, et equos

Post victoriam vero ipse Dictator dictus secutus est Pompeium. Antonium autem magistrum equitum elegit. Quae vides a Tullio discrepare. Nam Tullius ait, Antonium, absente et ignaro Caesare, magistrum equitum factum fuisse aliquanto post pugnam Pharsalicam, cum Alexandriam Caesar iam pervenisset. Plutarchus statim a pugna Pharsalica, et eodem pene temporis vestigio (neque enim post eam pugnam ultra dies duos in Thessalia moratus est Caesar) ait Caesarem et Dictaturam invasisse, et Antonio magisterium equitum detulisse. Dio libro 42. partim cum utroque convenit, partim ab utroque dissentit. Nam cum Cicerone contra Plutarchum significat, Dictatorem a Senatu dictum fuisse Caesarem, audita morte Pompeii, cum iam videlicet Caesar Alexandriae esset: rursus cum Plutarcho contra Ciceronem ait, Caesaris ipsius voluntate, ut primum delatam a Senatu Dictaturam accepit, allegisse sibi Antonium. *His ita decretis*, inquit, *approbatisque, Caesar, quamvis extra Italiam erat, statim Dictaturam accepit, magistro equitum assumpto Antonio.* Sed ut taceam, auctoritatem Ciceronis, qui his rebus interfuit, esse maiorem, placet Plutarcho Plutarchum opponere. Constat apud omnes, Caesarem initio pene belli civilis, antequam proficisceretur in Hispaniam, dictum fuisse Dictatorem, eique secundam Dictaturam post pugnam Pharsalicam contigisse. hanc verbis citatis refert Plutarchus ad id tempus, quo post pugnam Pharsalicam Antonium in Italiam remisit cum victore exercitu. Idem in Caesare longe postea, bellis Alexandrino Ponticoque confectis, id factum fuisse scribit: *Deinde, cum traiecisset in Italiam, Romam profectus est, anno vertente, in quem Dictator creatus est, cum is magistratus nunquam eatenus annuus fuisset.* Quanquam fortasse mens eius fuit, hanc Dictaturae delationem non eo tempore, quo rediit Caesar, obtigisse, sed quia suo loco praeterierat, refert alieno. Sed quidquid sit, cum Tullio potius et Dione sentiendum, ut Caesarem Dictatorem factum fuisse dicamus, cum esset Alexandriae. Neque vero necesse est, ut ipse Antonium sibi magistrum equitum assumpserit. Quanquam enim moris antiqui fuit, ut sibi magistrum equitum Dictator adscisceret, id tamen in Caesare non videtur esse servatum: ut vel ex ipso Dione compertum est lib. 43. ubi de tertia Caesaris dictatura: *Magister equitum erat Lepidus, qui ipse se dixerat et instituerat in consulatu contra maiorum instituta.* Vide infra. Idem.

Cum esset ille Alexandriae] *Cum ille esset Alexandriae*, nonnulli vet. lib. Ferrarivs.

Beneficio amicorum eius] *Eius* a l. Col. abest. Idem. Solus hoc omittit, egregius tamen, liber Angeli Colotii: cui cum P. Man. paruisset, eumque sequeretur Car. Stephanus, in suo cod. *eius* adesse monuit, idemque supra Faërnus de Vaticano prodidit: itaque id a Lamb. relatum fuit, ipso parente Grutero. *Eius*, h. e. Caesaris: quod si absit, ambiguum fiet, cuiusnam illi amici fuerint, Caesarisne, an Antonii: imo Antonii potius videbuntur. Supra veterem ordinem, *cum esset ille*, Lamb. restituit, Vaticano volente. Garaton.

Tum existimavit] Postquam magister equitum constitutus est Antonius, existimavit, se ius habere vivendi familiariter cum Hippia: quia videlicet ipse magister equitum erat, sive ἵππαρχος, Hippia autem ab equis, quos Graeci ἵππους appellant, nomen obtinebat. Abram.

Hippia] Putavi nonnunquam, Hippiam mulierculam fuisse famosam. Id enim nomen eo sensu Iuvenalis usurpat:

— *quos amaverit Hippia moechos.*

Imo hanc Sergio ludio adhaesisse tradit Sat. 6. E quibus patet, et ludium et gladiatorem fuisse Sergium, et Hippiam matronam fuisse nobilem, sed multorum adulterorum libidini prostitutam, et eandem ab Antonio amari potuisse, et cum Sergio libidinis habuisse commercium, ut non frustra Noster utrinsque meminerit. Haec, inquam, putavi, et etiamnum putarem, nisi me Plutarchi reverentia rem in medio relinquere compelleret veritum toties a tanto viro dissidere. qui, ut sequenti sectione referemus, Hippiam non mulierem, sed mimum fuisse testatur, *in Hippiae mimi nuptiis.* Abram.

Cum Hippia vivere, et equos vectigales Sergio mimo tradere] Sic l. Laug. *Cum proprio vivere, et equos vectigales serio*, c. Sed falsitatis (ut ita dicam) convincitur testibus, Plutarcho s. caeterisque rerum gestarum M. Antonii narratoribus, qui iisdem nominibus eosdem nominant. cum autem dicit, equos vectigales Antonium Sergio mimo traditurum: hoc accipio, equos quatuor factionum, quibus vectigal erat impositum, nulla pecunia Sergio locaturum. Quod autem ii penderent vectigal, declarat Asconius, cuius verba subscripsi: *Diximus iam supra, Sullae ludis, quos propter victoriam fecerat, quadrigas C. Antonium, et alios quosdam nobiles homines agitasse. praeterea Antonius redemptas habebat ab aerario vectigales quadrigas: quam redemptionem senatori habere licet per legem.* Ferrarivs. *Et equos vectigalis Sergio mimo tradere*] Post haec verba adde hanc periodum, quae interciderat, *tum sibi non hanc, quam nunc male tuetur, sed M. Pisonis domum, ubi habitaret, legerat.* quamvis in antiquo libro scriptum perperam sit, pro *M. Pisonis*, *Mari Pisoni*, et pro

habitaret, avitaret. puto autem, hunc M. Pisonem, de quo hic mentio, eum esse, cuius meminit initio quinti libri de Finibus his verbis: *Cum audissem Antiochum, Brute, ut solebam cum M. Pisone, disputantem in eo gymnasio.* FAERNVS. *Equos vectigales*] Equos, qui tributi nomine mittebantur, putabat se suo iure posse Sergio mimo tradere, quod ad magistrum equitum spectaret equos publicos dare pro meritis singulorum. Appianus 1. civilium: *Definitum erat certum tributum pecuariis maiorum et minorum animalium.* Sic, opinor, ut, verbi gratia, e regionibus equorum generosorum feracibus decimus quisque equus vectigalis, sive potius tributi nomine mitteretur. quod insinuare videtur Sidonius Panegyrico Maioriani:

— *tum quaeque suos provincia fructus*
Exposuit, fert Indus ebur, Chaldaeus amomum,
Assyrius gemmas, Ser vellera, tura Sabaeus,
Attis mel, Phoenix palmas, Lacedaemon olivam,
Argos equos, Epirus equas, pecuaria Gallus,
Arma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchum,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham.

Atque huiusmodi equi vectigales dabant iis, qui equo publico merebant. Moris autem antiquis fuisse, ut equi tributi nomine mitterentur, auctor est Herodotus lib. 2. de Darii tributis agens: *A Cilicibus vero equi candidi trecenti sexaginta, unus in singulos dies.* Strabo libro 11: *Cum Cappadocia Persis conferret ultra censum argenteum quotannis equos MD. mulos MM. oves ↀↀↀ. fere duplum eius Medi pendebant.* Quidni igitur putemus, ab his etiam provinciis, postquam in ditionem populi Romani concesserunt, equos vectigales exactos fuisse? cum praesertim frequenter veterem in exigendis vectigalibus modum servarent, ne qua novitate provincialium animos offenderent, ut de frumenti decimis lege Hieronica exactis scribit Orator Verrina frumentaria, de didrachmo a Iudaeis pendi solito Iosephus, et respublica permultis equis opus haberet, ut ex iis videri potest, quae narrat Livius lib. 1: *Ad equos emendos* (Servio regnante) *dena millia aeris ex publico data, et quibus equos alerent viduae attributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderent.* Certe innuere videtur Claudianus in laude Serenae, ab Illyricis equos vectigales fuisse collatos:

Namque aliae gentes, quas foedere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in usus
Imperii. Phariae segetes, et Punica messis
Castrorum devota cibo: dat Gallia robur
Militis: Illyricis sudant equitatibus alae.
Sola novum Latiis vectigal Iberia rebus
Contulit, Augustos. —

ACRAM. Sed praestat Ferrarii in-

vectigales Sergio mimo tradere. Tum sibi non hanc, quam nunc male tuetur, sed M. Pisonis domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? Cogebat egestas: quo se verteret, non habebat. Nondum ei tanta a L. Rubrio, non a L. Turselio hereditas venerat: nondum in Cn. Pompeii locum, multorumque aliorum, qui aberant, re-

terpretatio, et Manutii. GRAEV. Vat. *equos vectigalis*. GAR.

Sergio mimo tradere. Quid ego etc.] Lambini editio amplius habet, *tradere. tum sibi, non hanc quam nunc male tuetur, sed M. Pisonis domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego* etc. deprompta ei forte e Faërni aut Mureti libellis, quos nondum videre licuit. GRVT. Sed nos, qui vidimus, non dubitavimus ista verba cum Faërno, Mureto, Lambino, et Manutio recipere. GRAEVIVS.

Tum sibi non hanc, quam nunc male tuetur, sed M. Pisonis domum, ubi habitaret, legerat] Haec omnia cum in omnibus impressis libris desiderarentur, a me illius optimi, atque antiquissimi ope restituta sunt. MVRETVS. *Tum sibi non hanc, quam male tuetur*] Liber Vaticanus variat a Faërni correctione in hoc, quod non habet verba illa, *sibi*, et *hanc*, sed ita, *tum non Cn. Pompeii domum, quam nunc male tuetur*, etc. F. VRSINVS. *Tum sibi non hanc, etc.*] In eo magistratu non domum Cn. Pompeii, quam invasit quidem, sed male tuetur, Sexto Pompeio Cnei Magni filio eam repetente, M. Pisonis domum elegerat, cum ipse propriam domum non haberet, in qua habitaret. Pater enim eius decoxerat. Hic autem M. Piso videtur esse M. Puppius Calpurnianus, qui biennio post Ciceronem cum M. Valerio Messala Consul fuit. ABRAM. Quid est, quod ait Vrsinus? nam et Faërnus hoc ipso loco diligentiam, et fidem ostentat, et cum eo Muretus plane consentit: quos verum dixisse, Vrsinum autem falli, et fallere, docuit me codicis inspectio. GAR. *Tum sibi non hanc, quam nunc — legerat*] Haec desiderantur etiam in Cod. Ien. non item in Teeg. Gud.

Quid ego istius decreta] Quibus alienos in possessiones eorum, qui adhaeserant Pompeio, mittebat, aliaque miscebat. ABRAM. Citantur haec sine varietate a Quinctiliano IX. 2. p. 781. GAR. *Quid ego istius*] Teeg. *quid ergo—proferas?* male.

Quid rapinas] Auri, argenti maximeque vini foedam direptionem. ABRAM.

Datas] Alienis, *ereptas*, veris et legitimis possessoribus. IDEM.

Cogebat egestas] Eleganter excusat ab egestate, et vehe-

pentinus heres successerat. Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuisset. Sed haec, quae robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquamur potius de nequissimo genere levitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini

mentius etiam vulnus infligit, quam si non excusaret omnino, dum mentionem facit Rubrii, Turselii, Pompeii, in quorum bona per summum scelus invaserat. Supra: *Te is, quem nunquam vidisti, Luc. Rubrius Casinas fecit heredem*, etc. *Lucius Turselius*, etc. *fratrem exheredans te faciebat heredem.* Maro Georg.

— *Duris urgens in rebus egestas.*

Horatius:

— *Paupertas impulit audax,*
Vt versus facerem. ——

Item:

Magnum pauperis opprobrium iubet
Quidvis et facere et pati. ——

De qua, ne te morer, vide Theognidem a versu 175. Idem.

Sed haec] Transitio, qua Orator ab iniuriis et rapinis, quae aliquid roboris et audaciae requirunt, ad nequitiam et ebrietatem delabitur. Idem.

De iniquissimo genere levitatis] *Nequissimo*, L. vet. perspicue verum. Ferrarius. Vide dicta ad Sextianam: *Nequam esse hominem et levem.* Abram.

Tu istis] Hunc locum Fabius frequenter expendit, ut lib. 8, cap. 4: *Obiecturus Antonio Cicero merum et vomitum, Tu, inquit, istis faucibus*, etc. *Quid fauces et latera ad ebrietatem? Minime sunt otiosa. Nam respicientes ad haec possumus aestimare, quantum ille vini in Hippiae nuptiis exhauserit, quod ferre et coquere non posset illa gladiatoria corporis firmitate.* Libro 9, cap. 4: *Augeri debent sententiae et insurgere, ut optime Cicero, Tu, inquit, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate. Aliud enim maius alio supervenit. At si coepisset a toto corpore, non bene ad latera faucesque descenderet.* Paulo post: *Saepe tamen est vehemens aliquis sensus in verbo: quod si in media parte sententiae latet, transiri intentione et obscurari circumiacentibus solet: quale est illud Ciceronis, Vt tibi necesse esset in conspectu populi Romani vomere postridie. Transfer ultimum, minus valebit. Nam totius ductus hic est quasi mucro, ut per se foedae vomendi necessitati, iam nihil expectantibus, hanc quoque adiiceret deformitatem, ut cibus teneri non posset postridie.* Et longe post: *Creticus est initiis optimus. Quod precatus a Diis immortalibus sum. Et clausulis, In*

conspectu populi Romani vomere postridie. Apparet vero, quam bene eum praecedant vel anapaestus, vel ille, qui videtur fini aptior, paeon. Abram.

Ista gladiatoria totius corporis firmitate] Graeci ἕξιν ἀθλητικὴν appellant, quia et gladiatores et athletae toti sunt in curanda cute, ut quam robustissimi fiant. Eodem genere locutionis Plautus Epidico scen. 1:

Epid. *Quid herilis noster filius valet?*
Thesprio. *Pugilice atque athletice.*

Et Bacchidibus actu 2, scen. 3:

Nicob. *Benene usque valuit?*
Chrysalvs. *Pancratice, atque athletice.*

De hoc athletico habitu multa doctissimus Faber lib. 3. Agonisticon cap. 1. ubi et refert illud Galeni lib. ὑγιεινῶν 3. non longe ab initio: *Homo autem, de quo nunc agimus, non gladiatoriam corporis firmitatem, sed simpliciter sanitatem pro fine habet.* Quod si exemplum desideras gladiatoriae firmitatis, vide Plinium lib. 7, cap. 20. Quod ad athleticam voracitatem bibacitatemque spectat, Athenaeus lib. 10: *Theagenes Thasius athleta solus taurum comedit.* vide de hoc epigramma Posidippi. Milo Crotoniates, ut scribit Theodorus Hierapolitanus: *Manducabat mnas carnium viginti, panis totidem, tres vini choas ebibebat.* Item Olympiae taurum quadrimum humeris impositum uno stadio circumtulit, et in frusta discerptum comedit. Phylarchus:

Ὃν γὰρ ἐπόμπευσεν βοῦν ἄζυγον, ἐς κρέα τένδε
Κόψας, πάντα κατ᾽ οὖν μοῦνος ἐδαίσατό νιν.
Indomitum namque ille bovem circumtulit, atque
Frustatim secuit, solus et edit eum.

Theocritus Idyllio 4:

Καὶ τὸ ποταῶον τὸ Λακίνιον, ᾇπερ ὁ πύκτας
Αἴγων ὀγδώκοντα μόνος κατεδαίσατο μάσδας.
Quaeque sub auroram se Diva Lacinia tollit,
Ægon solus ubi pugil octoginta placentas
Edit. ——

Idem.

Tantum vini] De ebrietate Antonii Plinius lib. 15, cap. ultimo: *Tergilla Ciceronem M. filium binos congios simul haurire solitum ipsi obiicit: Marcoque Agrippae a temulento scyphum impactum. Etenim haec sunt ebrietatis opera. Sed nimirum hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris sui M. Antonio. Is enim ante eum avidissime apprehenderat hanc palmam, edito etiam volumine de sua ebrietate: quo patrocinari sibi ausus, approbavit plane, (ut equidem arbitror) quanta mala per temulentiam terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante proelium Actiacum id volumen evomuit: quo facile intelligatur ebrius iam sanguine civium, et tanto magis eum sitiens.* Lepidum illud apud Macrobium lib. 2.

in Hippiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie. O rem non modo visu foedam, sed etiam auditu! Si inter coenam, in ipsis tuis immanibus illis poculis,

Saturnal. cap. 2: *Post Mutinensem fugam quaerentibus, quid ageret Antonius, respondisse familiaris eius ferebatur: Quod canis in Ægypto, bibit, et fugit. Quoniam in illis regionibus constat canes raptu crocodilorum exterritos currere et bibere.* id est, fugere, dum bibunt. Quam vinolentiam adeo non dissimulabat, ut *novum se Liberum Patrem appellari iuberet*, inquit Velleius lib. 2, et *redimitus hederis, coronaque velatus aurea, et thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru velut Liber Pater veheretur.* Dio lib. 48: *Novum se Liberum Patrem nominavit, idque nominis sibi tribui ab aliis voluit. cumque Athenienses inter reliquos honores ei etiam Minervam despondissent, probare se id matrimonium dixit, dotisque nomine quadragies sestertium exegit.* Idem narrat Seneca 1. Suasoria, aitque, eum *hoc nomen statuis subscribi iussisse, et dotis nomine imperasse mille talenta.* Tum ex Graeculis quidam ait, *Κύριε, ὁ Ζεὺς τὸν μητέρα σου Σεμέλην ἄπροικον εἶχε.* Huic quidem impune fuit; sed Atheniensium sponsalia mille talentis aestimata sunt. Abram.

In Hippiae nuptiis] Rem ita narrat Plutarchus: *Dicitur, cum in Hippiae mimi nuptiis convivans tota nocte perpotasset, mane populo in concionem vocato, cum prodiisset, crapulae adhuc plenus vomuisse, quodam amicorum vestem submittente.* Idem.

Postridie] Fabius lib. 8, cap. 4: *Sic ex consequentibus amplificatio ducitur, siquidem tanta vis fuit vini erumpentis, ut non casum afferret aut voluntatem, sed necessitatem, ubi minime deceret, vomendi: et cibus non recens, ut accidere interim solet, redderetur, sed qui usque in posterum diem redundaret.* Idem.

O rem non modo visu foedam] Exclamatione rem exaggerat. Plus est autem esse foedum auditu quam visu, quia

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quae sunt oculis immissa fidelibus.

Suntque proinde nonnulla aspectu foeda, quae si narrentur, non usque adeo foeda videantur: id autem est foedissimum, quod ne dici quidem potest sine foeditate. Idem.

Si inter coenam] Quintilianus lib. VIII. laudat, *si hoc tibi inter coenam.* mox reddidi Tullio *ipsis*, suasu Pal. sec. ac Maur. ut et Ferrarii scriptorum: eorundemque fide mutavi *iniquissimum* in *nequissimum.* Grvtervs.

In tuis immanibus] Antiquus

hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in coetu vero populi Romani, negotium publicum gerens, Magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum,

liber, *in ipsis tuis im.* et paulo post, *quis non turpe diceret?* pro eo quod est in impressis, *duceret.* Faernvs.

Quis non turpe duceret] Hanc clausulam expendit, et parum probat Fabius lib. 9, cap. 4. Idque vocat exultantissimum et trimetri finem. Abram. Ien. et alii, *diceret.* Tamen et apud Quinctil. IX. 4. 108. editum est *duceret.* Hevsing. Ter ibi habet *duceret.* optime Fabius p. 863. et praeterea VIII. 4. p. 713. Mendum est *diceret*, quod plurimos libros inquinavit, Vatic. Ien. utramque Barb. Rom. Ven. Ald. etiam, opinor, Ferrarii MSos, qui tacet, cum Aldi ed. uteretur. Gar.

In coetu vero populi] Deest *Romani.* id apud Quint. lib. VIII. apparet, *Singula* (inquit) *incrementum habent per se deforme, vel non in coetu vomere: in coetu etiam non populi: populi etiam Romani.* Superiora quoque membra aliter apud eundem scripta sunt: *Si hoc tibi inter coenam, et in illis immanibus poculis tuis accidisset: quis non turpe duceret?* Ferrarivs. *Romani* recte servant ambo Barb. nisi quod in secundo mendose voci sequenti sic adhaesit, ut scriptum sit, *prenegotium:* servat Quinctil. non modo d. p. 713. sed etiam tribus aliis locis XI. 3. p. 1005. 1037. 1038. Deerat autem in omnibus ante P. Man. editis. Idem Rhetor ead. p. 713. *Si hoc tibi inter coenam in illis immanibus poculis tuis accidisset*, quomodo V. 10. p. 427. recitaverat, addito tantum *et*, quod supra omiserat. Vides, *illis* apud eum ibi collocari, ubi habent *ipsis* Vatic. cod. Car. Steph. et duo Grut. nam in Ferrarii notis nihil huiusmodi Man. Graev. et ego invenimus. Itaque facile indicabitur, *ipsis*, et *illis* permutata fuisse, atque ita quidem, ut alii sedem τοῦ *illis* mutaverint, alii utramque lectionem adsciverint, legendumque idcirco videatur, *in ipsis tuis inmanibus poculis*, vel *in illis tuis.* Garaton.

Negotium publicum gerens] Hoc loco in optimo libro scriptum est, *negocium.* ego tamen *negotium*, mutata vetere sententia, malo. Mvretvs.

Cui ructare turpe esset] Cum apud Festum p. 460. ed. Amstel. Ciceronem *ructaretur* scripsisse legatur, summus vir Ant. Augustinus id verbum huc immittere conatur emendans, *cui, si ructaretur, turpe esset.* Sed, libris huic omnibus in vulgatam consentientibus, alius ei verbo quaerendus est locus. Gar.

Vomens] Idem Fabius lib. 8. exeunte profert hoc exemplum, et ad eam hyperboles speciem

et totum tribunal implevit. Sed hoc ipse fatetur esse in suis sordibus: veniamus ad splendida.

XXVI. Caesar Alexandria se recepit, felix, ut sibi quidem videbatur: mea autem sententia, nisi qui

refert, qua *plus facto dicimus.* Et libro 9, cap. 4. hoc idem adfert aptae et concinnae compositionis exemplum, in qua *plurimum refert, quae quibus anteponas.* Atque hinc advertis, quo tandem artificio praeclarus Orator rem per se auditu foedam tractaverit, vix ut ullum invenias locum illustriorem, quem Rhetor, et Fabius Rhetor toties expenderit. Abram. Citantur haec a Quinctil. I. O. VIII. 6. p. 751. et IX. 4. p. 842. a Diomede p. 463. ed. Putsch. et a Servio ad III. Aen. 632. Gar.

Sed hoc] Transitio ad sectionem bonorum Cn. Pompeii. Abram. *Sed hoc* I. Teeg. *Sed haec.*

Veniamus ad splendida] Vatic. *addisplendidiora:* neque tamen probo, *veniamus ad splendidiora,* quod exculpsit inde, recepitque Muretus. Gar.

Caesar Alexandriam se recepit] Sic o. l. s. ego tamen non dubito, quin emendandum sit, *Alexandria:* siquidem similius veri est, hoc esse factum a Caesare, cum se Romam ex Ægypto recepisset. quam dum esset Alexandriae. Sed quid ego argumentor? id Plutarchi verba, quae infra scripsi, declarabunt. διὸ καὶ Καῖσαρ ἐπανελθὼν, Δολαβέλλᾳ τε συγγνώμην ἔδωκε, καὶ τὸ τρίτον αἱρεθεὶς ὕπατος, οὐκ Ἀντώνιον, ἀλλὰ Λέπιδον εἵλετο συνάρχοντα. τὴν δὲ Πομπηΐου πωλουμένην οἰκίαν ὠνήσατο μὲν Ἀντώνιος, ἀπαιτούμενος δὲ τὴν τιμὴν ἠγανάκτει. Ferrarius. *Caesar Alexandria se recepit*] Ita nunc habent omnes libri editi: sed de coniectura Ferrarii. Mss. enim et antiquitus cusi, *Alexandriam.* Grut. *Caesar Alexandria se recepit*] In vulgatis passim legitur, *Caesar Alexandriam se recepit,* sed reponunt *Alexandria* viri eruditi. et sane sensus exigit, ut ita legatur, interpretemurque, factam esse auctionem bonorum Cn. Pompeii, postquam Caesar, confecto bello Alexandrino, Romam repetiit. signanter autem *se recepit,* quia se recipere dicuntur, qui ex aliquo periculo incolumes evaserint. Caesar autem Alexandriae, ut Tranquilli verbis utar, *cum Ptolemaeo rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit: neque loco, neque tempore aequo, sed hieme anni et intra moenia copiosissimi ac solertissimi hostis, inops ipse rerum omnium atque imparatus.* Neque refert, quod non continuo Romam Alexandria contendit, sed *ab Alexandria in Syriam et inde Pontum transiit:* tam celeriter enim eas regiones obiit, ut non opus habuerit Orator illius itineris facere mentionem. Pharnacem enim *intra quintum quam adfuerat diem, quatuor, quibus*

in conspectum venerat, horis una profligavit acie. ut nihil aliud ad Senatum de hac victoria rescripserit, quam VENI, VIDI, VICI. ABRAM. *Alexandria*] Ien. *in Alexandriam*, al. *Alexandriam*, utrumque vitiose. Reliqua in cod. sic scripta sunt, *se recepit felix esse nemo potest.* Omnia, quae vulgati interponunt, malo errore omisit. Ea, ut Ferrar. voluit, et Graev. edidit, expressi. HEVSINO. Barb. ambo, *Caesar Alexandriam se recepit felix, felix, ut sibi quidem videbatur, etc.* Accepit a P. Manutio C. Stephanus *Alexandria*, nihilque notavit in V. L. quasi haud aliter in suo cod. invenerit: idem retinuit Lamb. cuius repet. mendum vetus imperitissime retulerunt: tacent etiam Faërnus, et Muretus. Cum nostris consentit codex a Barbadorio laudatus. Tandem *Alexandria* in Vaticano conspexi. GARATON. *Caesar Alexandria se recepit*] Teeg. et Gud. et Ien. et Ferrarius in codd. habet *Alexandriam.* Patet autem e loco Plutarchi, esse debere ablativum.

Se recepit] Frequenter apud Ciceronem, *se recipere,* est simpliciter redire: hic tamen expressius vocabuli proprietatem observat, ut recipi dicantur, quae ex aliquo periculo liberantur, ut 1. Æneidos:

Tum Cererem corruptam undis,
frugesque receptas, etc.

Sexto:

Illum ego per flammas et mille
sequentia tela
Eripui his humeris medioque
ex hoste recepi.

Nono:

Accipe praeterea fortunae
parva prioris
Munera, relliquias Troia ex
ardente receptas.

IDEM.

Felix, ut sibi quidem videbatur] Qui bellum illud Alexandrinum tam periculosum tanta felicitate confecerat. Non autem omnino fuisse felicem ait, sed tantum *ut sibi quidem videbatur*, quia non potest esse in scelere ulla felicitas, et commode sententiam moralem interserit. IDEM.

Si quis reip. sit infelix, felix esse non potest] L. Col. et alii aliqui sic: *Nisi qui reip. sit infelix, felix esse nemo potest.* ut fortasse ita corrigendum sit: *Nisi qui reip. sit felix, felix esse nemo potest.* In hoc certe omnes libri scripti consentiunt, quod *nemo* pro *non* habent. FERRARIVS. *Nisi qui reip. sit felix*] Antiquus liber, *qui reip. sit hostis.* ego tamen retinendum puto *infelix*, quod prius in vulgata et in omnibus vetustis libris erat; in ceteris lectionem antiqui huius exemplaris sequor. FAERNVS. *Nisi qui reip. sit felix, felix esse nemo potest*] Ita e Vaticano Faërnus, et Ferrarius, idque praestat vulgatae lectioni, *si quis reip. sit infelix, felix esse non potest.* In tribus Regiis desunt voces, *nisi qui reip. sit felix:* inde error. LALLEM. Si Vaticanum sequimur, legendum est, *mea autem sententia, qui reip. sit hostis, felix esse*

reipublicae sit felix, felix esse nemo potest. Hasta posita pro aede Iovis Statoris, bona Cn. Pompeii, (miserum me! consumptis enim lacrimis, tamen infixus

nemo potest: si Faërnum, ex ea lectione id solum erit immutandum, ut pro *hostis* ponatur *infelix*, quomodo est a Lamb. factum. Et sane utrovis modo erat edendum, non adversus omnes libros coniectura Ferrarii recipienda, quamvis egregia: quam porro adiuvant codices Barb. *felix*, ut vidimus, superiore loco iterantes, et magis etiam tres Regii fortasse. Aequum est autem, ac tutissimum Faërni iudicium: si enim glossa est *hostis* in optimo cod. ea non potest esse vocis *felix*, sed fuit omnino vocis *infelix*, quam servat etiam Cl. Ernestus in Indice. Barbador. legit, *si qui;* cetera cum Faërno. Hic etiam tacitus est Ferrarium secutus Car. Steph. praeeunte Manutio, cuius postea filius Faërno paruit. GARATON. Teeg. len. et Gud. omittunt omnia inde a verbis, *ut sibi — sit felix,* ceterum habent omnes *nemo.*

Hasta posita pro aede Iovis Statoris, bona subiecta Cn. Pompeii, miserum me] Ita legitur in libro Vaticano, cum in Faërni editione desit vox *subiecta,* quae primo loco posita est. F. VRSINVS. *Hasta posita*] In auctionibus publicis hastam figebant eo loco, ubi res venales subiiciebantur auctioni, fortasse quia publicarum auctionum origo fuit ex venditione praedae armis et hasta partae. Paulus ex Festo: *Hastae subiiciebantur ea, quae publice venundabat: quia signum praecipuum est hasta. Nam et Carthaginienses, cum bellum vellent, Romam hastam miserunt: et Romani fortes viros saepe hasta donarunt.* Sed nota Pauli barbaries in Festo mutilando: non dubito Festum scripsisse, *quae publice venundabant, praesertim ex praeda bello capta, quia belli signum,* etc. vel aliud eiusmodi. Dionysius Halicarnasseus lib. 4. antiq. Roman. Ὠνησάμενοι παρὰ τοῦ δημοσίου τοὺς ὑπὸ δόρυ πωλουμένους ἐκ τῶν λαφύρων. *Ementes e publico eos, qui sub hasta venduntur e praeda.* Et quamvis in omnibus auctionibus hasta ponebatur, e praeda tamen origo manavit, hastaeque positio belli civilis memoriam renovabat. Huiusmodi vero hastam in auctione crebro quatiebant. S. Ambrosius lib. de Tobia cap. 8: *Pro alimonia servitutem recognoscant, pro sumptu licitationem subeant. Agitetur hasta de pretiis singulorum. Non immerito hasta agitatur, ubi caput, non immerito ad auctionem pervenitur, ubi sors poscitur.* De subhastatione Iuvenalis Sat. 3:

Et praebere caput domina venale sub hasta.

Tertullianus apologetico capite 13: *Publicos Lares* etc. *in hastario vectigales habetis. Sic Capito-*

lium, sicut olitorium forum, petitur: sub eadem voce praeconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione Quaestoris divinitas addicta conducitur. Valerius Maximus cap. 1, lib. 5: *A Quaestore suo hastae subiectos captivos vendente puer eximiae formae et liberalis habitus missus est.* 1. Agraria contra Rullum: *Num obscure videntur prope hasta praeconis insectari Cn. Pompeii exercitum, qui venire iubeant eos ipsos agros, in quibus ille etiam nunc bellum gerat atque versetur.* Caeterum vides ex Tertulliano, in huiusmodi auctionibus tria fuisse, hastam, vocem praeconis, annotationem Quaestoris. Annotatio, ut videtur, fuit inscriptio quaedam sive titulus. Tibullus lib. 2, elegia 4:

Quin etiam, sedes iubeat si vendere avitas,
Ite sub imperium, sub titulumque Lares.

Ovidius lib. 1 de remedio:

Sub titulum nostros misit avara Lares.

Noster pro Quintio libellos appellat: *De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur,* etc. *cui magistri fiunt et domini constituuntur, qui, qua lege et qua conditione pereat, pronuntient: de quo homine praeconis vox praedicat et pretium conficit,* etc. Abram.

Pro aede Iovis Statoris] Ante aedem Iovis Statoris in radice montis Palatini, inter Palatium et Capitolium. Idem.

Bona, miserum me] Ex antiquo libro post *bona* interpone *Cn. Pompeii,* et paucis interiectis, post haec verba, *servientibusque animis,* haec adde, *cum omnia metu tenerentur.* et paulo post lege, *circum hastam.* paulo item post, *reformidasset.* Faernvs. *Miserum me*] Egregiam reddit miseriae suae rationem, quia, cum in caeteris miseriis lacrymae consolationem adferant, et dolor in pectore conceptus per lacrymas egeratur, tantum ex proscriptione bonorum Pompeii hauserat animo dolorem, ut ne lacrymae quidem potuerint adferre solatium, sed frustra consumptae fuerint, nec ullo modo dolorem illum egesserint. Abram. Faërnus e suo exemplari legit, *bona Cn. Pompeii, miserum me,* quod et Graev. optimum putavit: etsi Quinctilianus etiam IX. 3. 29. ut vulgo, *bona, miserum me.* In Ienensi omnia perturbata sunt ita: *praedae* (h. e. *pro aede*) *Iovis Statoris bona inquam Cn. Pompeii Magni, bona Cn. Pompeii. Miserum me. consumtis enim lacrimis tamen infixus animo haeret dolor, voci acerbissimae subi. praec.* Confirmant haec tamen, ante parenthesin lecta esse illa *Cn. Pompeii.* Hervsiko.

Consumptis enim lacrimis] Maior fuit ille dolor, quam ut potuerit lacrimis mitigari. Lacrimis autem dolorem sedari multis ostendimus pro Sextio: *Quis tyrannis miseros lugere vetuit?* Et in Pisonem: *Quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret: moerorem relinquis, moeroris aufers insignia. Eri-*

animo haeret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeii Magni,

pis lacrimas non consolando, sed minando. Vnde, ut ait Seneca Rhetor controversia prima lib. 4: *Nulla flendi maior est causa, quam flere non posse.* Et ex hoc capite etiam Ezechiel Propheta Iudaeorum cladem exaggerat cap. 24: *Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga, et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrimae tuae. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies,* etc. *Non plangetis, neque flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris.* Quam calamitatem Hieronymus in caput primum Sophoniae his verbis eleganter exponit: *Vt ruinam suae eis flere liceat civitatis, pretio redimunt: ut, qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrimas suas, et ne fletus quidem gratuitus sit. Videas in die, quo capta est a Romanis et diruta Hierusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, et senes pannis annisque obsitos, in corporibus et in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, et patibulo Domini coruscante, ac radiante ἀναστάσει eius, de Oliveti monte quoque fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, et tamen non esse miserabilem: adhuc fletus in genis, et livida brachia, et sparsi crines, et miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat.* Abram.

Bona, inquam] Hoc exemplum geminationis post aliquam interiectionem cum vehementia repetitae profert Quinctilianus lib. 9, cap. 3. Advertenda vero singulorum verborum energia. Miserum est *bona* cuiusquam publicari, quanto miserius *bona Cn. Pompeii*, et bona illius Pompeii, qui ob rempublicam bene gestam, ob propagatum imperium *Magni* cognomen fuerat consequutus? neque quolibet modo publicari, sed hasta posita, quasi res bello partae, quasi praedae hostium venderentur: et *subiici voci praeconis*, in illa urbe, in qua fuerat princeps, et *voci acerbissimae*, fortasse non sine dicteriis et sarcasmis. Idem.
Recte Abram. observat, suam vim hic esse Pompeii cognomini. Patet igitur, v. *Magni* perperam omitti a Quinctiliano IX. 3. p. 807. Ibidem ille cum Tullii MSis, *infixus animo*; sed IX. 2. p. 775. *infixus pectori*, et eleganter. Ordinem Lamb. *infixus haeret animo dolor*, non probo, quem Aldus etiam Nepos adscivit, quamvis fuerit e Vaticano depromptus. Garaton.

Cn. Pompeii Magni] Quando, quave occasione Pompeius Magni cognomentum acceperit, dubitatur. Plutarchus in eius vita id ei nominis adhaesisse dicit ex bello Africano, cum Sulla redeunti: *Obviam progressus occurrit illi, eumque, quam potuit, propensissime excepit, et magna*

voci acerbissimae subiecta praeconis. Una in illa re servitutis oblita civitas ingemuit, servientibusque animis, cum omnia metu tenerentur, gemitus tamen populi Romani liber fuit. Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo, praeter Antonium,

voce Magnum salutavit, eosque qui aderant iussit, ut ita salutarent. Alii vero dicunt, hanc appellationem primum ab universo exercitu in ipsa Libya profectam esse, sed a Sulla confirmatam vim habuisse. Cui videtur Plinius maior lib. 7, cap. 26. subscribere: *Africa vero tota subacta, et in ditionem redacta. Magnique nomine spolio inde capto, Eques Rom. (id quod antea nemo) curru triumphali revectus est.* Pergit Plutarchus: *Ipse autem omnium postremus, et longo post tempore, cum in Hispaniam contra Sertorium pro Consule missus esset, occoepit in epistolis et decretis se Pompeium Magnum inscribere. Id enim nomen iam invidiosum non erat apud homines assuetos.* Insinuatur autem in vita Crassi, ab ipso populo inditum fuisse: *Quem vos nondum prima lanugine ornatum Magnum appellastis.* At Appianus bello Mithridatico huius nominis occasionem assignat: *Et maxime videtur* populus Romanus *hoc bellum magnum putasse, et relatam de his* (Mithridate et Tigrane) *victoriam magnam vocasse, et eum qui illi bello praefuerat, Cn. Pompeium sua lingua Magnum appellasse.* Viderint eruditi. Certe ante confectum bellum Mithridaticum id Pompeio cognomentum adhaeserat. 2. Agraria contra Rullum: Cn. Pompeio Cn. f. *non adeo adscripturum* Magno. Idem.

Vna in illa re] A variis adiectis, a gemitu populi Romani, quasi quibusdam gradibus cumulat orationem: neque temerarium est, quod ait *una in illa re*, hinc enim mirum in modum exaggeratur proscriptionis illius atrocitas: quia, cum populus Romanus in caeteris imperii Romani ruinis, in bonorum direptione, in caede tot civium a lacrymis et gemitu sibi temperasset, non potuit tamen lacrymas in auctione bonorum Pompeii continere: et in una illa re servitutis oblitus est, neque metu armorum Caesaris inclusus animo dolor impediri potuit, quo minus per gemitus erumperet. Hinc etiam deploratur status civitatis, dum dicitur populus Romanus adeo Caesaris armis, crudelitate Antonii oppressus fuisse, ut ne gemere quidem libere auderet, et si gemuit in illa proscriptione bonorum Pompeii, id faceret ex oblivione servitutis: quasi cum hinc dolor gemendi,

illinc servitus non gemendi necessitatem imponerent, in caeteris rebus servitus et timor dolorem superaret, in hac una re dolor servitutis et doloris oblivionem induceret. Quo maior autem est illius facti indignitas, eo maior in Antonium, qui sector fuit, invidia redundat. Abram.

Cum omnia metu tenerentur] Haec quoque in omnibus aliis editionibus omissa erant. Muretus. *Servientibusque animis, gemitus tamen etc.*] Nihil variant mss. nostri; Lambinus tamen interposuit: *animus, cum omnia metu tenerentur.* an ex Faërni, aut Mureti libris? Gruterus. Ex Vaticano, ut vides. Graev.

Gemitus tamen populi Romani] Simile est illud Plutarchi in Bruto: oppressa Triumvirorum factionibus republica, dies dicta fuerat Caesaris percussoribus, *praecone, ut moris erat, Brutum e subsellio ad iudicium citante, ferunt, multitudinem manifeste ingemuisse, primores in terram respicientes quievisse, P. Silicium visum fuisse lacrymantem, et ea de causa paulo post esse proscriptum.* Abram. Vetus cod. apud Barbador. *gemitus tum populi Rom.* Gar. *Servientibusque animis, gemitus tamen pop. Romani liber fuit*] Post verba *serv. animis* Vat. habet, *cum omnia metu tenerentur*, quae receperunt Muretus, Lamb. Faern. Graev. Heusing. Locus mihi obscurari videtur, sublatis illis verbis, nam cur dicit *animis servientibus?*

Expectantibus omnibus] Adverte praeclarum ab antecedentibus et hominum expectatione amplificandi modum. Tantum erat scelus in sectione bonorum Cn. Pompeii, ut, iis publicatis et hastae subiectis; homines expectatione suspensi tenerentur, vixque sibi persuaderent, ullum fore adeo sceleratum et nefarium, ut auderet quicquam emere, aut omnino attingere. Vicit tamen omnium expectationem Antonius, et ad hastam publicam accedens, licitatus est bona Pompeii. Adverte vero conglobatam et coacervatam verborum congeriem, qua semper altius et altius cumulatur oratio. Impietas, immane scelus, tamen in hominem cadit: dementia vix retinet ullum cum humana natura consortium, et iam ad belluas accedit: at vero qui est Diis hominibusque hostis, is exterminandus ex ipsa rerum natura. Dicet aliquis, dicendum fuisse, non *tam Diis hominibusque hostis*, sed ordine mutato *tam hominibus Diisque hostis*, quod plus sit Diis quam hominibus esse infensum: verum atrocioris sceleris est omnem penitus humanitatem, quam religionem solam exuisse: nam qui religionem exuerunt, sunt illi quidem Diis infesti, sed possunt aliquod humanitatis retinere vestigium: at qui omnem penitus humanitatem abiecit, is naturam eiurat, qui autem contra naturam pugnat, is etiam gigantum more contra Deos pugnat, ut dicitur libro de senectute. Abram.

Sectionis] Licitationis et emptionis bonorum Pompeii. Idem.

Accedere] Hoc verbum in sectionibus usitatum. Cornelius

praesertim cum tot essent circum hastam illam, qui alia omnia auderent. Unus inventus est, qui id auderet, quod omnium fugisset et reformidasset audacia. Tantus igitur te stupor oppressit, vel, ut verius dicam, tantus furor, ut primum, cum sector sis,

Nepos Attici vita: *Ad hastam publicam nunquam accessit. Nullius rei neque praes, neque manceps factus est.* Livius lib. 43: *Censores edixerunt, ne quis eorum, qui Qu. Fulvio, et Aulo Postumio Censoribus publica vectigalia, aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet.* IDEM.

Praesertim cum tot essent] A comparatione reliquorum amplificat scelus Antonii: potissimum autem P. Sulla, Mindius Marcellus, et Attius pigmentarius excandefaciebant hastam Caesaris. vide epist. 17. lib. 5. ad famil. IDEM.

Circa hastam illam] *Circum*, liber unus, atque alter: in quibus Col. FERR. *Circa hastam illam*] Positam pro aede Iovis Statoris. ABRAM. Primus Muret. tum Lamb. *circum*, firmante Vaticano, deinde Gruterus: qui etiam sumpsit a Lamb. *reformidasset*, cum repetitores illius maluerint, *formidasset*, ut ambo Barb. et scripti plerique, et omnes ante Car. Steph. editi, qui ex suo cod. primum id mutavit. Rectissime Colon. *refugisset, et reformidasset*. GARATON.

Tantus igitur te stupor] Exposito scelere Antonii, ipsum auctorem invadit, et novis circumstantiis sectionem exaggerat ABRAM.

Sector] Asconius in tertiam Verrinam: *Sectorem autem dicit aestimatorem redemptoremque bonorum damnati, atque proscripti, qui spem sectans lucri sui, id est, secutus spem aestimationis suae, bona omnia auctione vendit, et semel infert pecuniam, vel aerario, vel sociis.* Satis obscure. libenter legerim pro *vendit*, *emit*. clarius aliquanto post: *Sectores autem dicti sunt, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis: ac postea compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant.* Vellem Festi verba superessent, nam Paulus ridicule mutilavit: *Sectio, persecutio iuris. Sectores et qui secant dicuntur, et qui empta sua persequuntur.* Nonius Marcellus: *Secare sequi, unde et sectatores bonorum sectores dicti sunt.* Virgilius lib. 10:

> *Quae cuique est fortuna hodie, quam quique secat spem.*

Hinc colligo, eum in auctionibus publicis sectorem fuisse, qui bona proscripti vel damnati universa simul et semel suo periculo redimebat, quae deinde vel

isto loco natus, deinde cum Pompeii sector, non te exsecrandum populo Romano, non detestabilem,

sibi retineret, vel per partes venderet ad maius rei familiaris compendium. Dictus sector, vel quod commodum suum et lucrum sequeretur, ut volunt illi Grammatici, vel potius quod illa damnati vel proscripti bona in partes secaret, et singulis creditoribus singulas partes exolveret. Atque hic fortasse sensus fuit legis illius atrocissimae duodecim tabularum, cuius alibi fecimus mentionem: *Æris confessi, rebusque iure iudicatis, triginta dies iusti sunto. Post deinde manus iniectio esto*, etc. *Tertiis nundinis partes secanto: si plus minusve secuerunt, sine fraude esto.* Haec, inquam, fortasse intelligi possunt de illa bonorum divisione, ut singuli debitores suas partes auferant, dicanturque secare debitorem, quod bona debitoris creditoribus dividantur. Atrocius tamen hanc legem exponunt Gellius lib. 20. Noct. Attic. cap. 1. et Tertullianus apologetico, ut iam videor dixisse in Coelianam: *Ne foenore trucidetur.* quasi lex illa, *si plures forent, quibus reus esset adiudicatus, secare si vellent, atque partiri corpus addicti sibi hominis, permiserit.* Idem.

Isto locus natus] Vel quod nobilitatem sui generis dedecoraret illa sectionis infamia, vel quod filius esset M. Antonii Cretici, hominis ad perdendam pecuniam geniti, et ipse praetextatus patris sui culpa decoxisset. Indignissimum est autem eum, qui ante decoxerit, ad hastam publicam accedere, et fortunae prioris oblitum fieri sectorem. atque haec a persona Antonii, deinde a Pompeii persona sectionis indignitatem amplificat. Si enim, cuiuscunque bona publicentur, indignum est vel nobilem, vel decoctorem, licitari; quanto indignius id facere in publicatione bonorum Pompeii, qui imperii Romani decus ac lumen fuit? Idem.

Non te execratum] A consequenti et omnium odio hac sectione conflato amplificationem urget. initio dixerat, *Diis hominibusque hostis*, cum de scelere ageret; nunc ait, *Deos et homines esse* inimicos, cum agit de poena sceleri inflicta. alii legunt *execrandum*. Execratum, *ἐξάγιςον*. Halicarnassens lib. 6. antiquitatis Romanae agens de lege sacrata et creatione Tribunorum plebis: *Ἐὰν δέ τις τῶν ἀπηγορευμένων τὶ ποιήσῃ, ἐξάγιςος ἔςω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ Δήμητρος ἱερὰ, καὶ ὁ κτείνας τινὰ τῶν ταῦτ' εἰργασμένων φόνου καθαρὸς ἔςω.* Scaliger, nescio unde acceperit, ita legis verba refert: Qvei. aliter. faxit. cvm. pecvnia. familiaqve. sacer. esto. sei. qvis. em. occisit. pariceida. nec. esto. Item, sine. frvde. sova. liceto. Sacer autem idem est quod execratus. Idem Dionysius lib. 2: *Τὸν δ' ἁλόντα τῷ βουλομένῳ κτείνειν ὅσιον*

non omnis tibi deos, non omnis homines et esse inimicos, et futuros scias?

XXVII. At quam insolenter statim helluo in-

ῆν, ὡς θῦμα τοῦ καταχθονίου Διός· ἔθος γὰρ Ῥωμαίοις, ὅσους ἐβούλοντο νηποινὶ τεθνάναι, τὰ τούτων σώματα θεῶν ὅτῳ δή τινι, μάλιστα δὲ τοῖς καταχθονίοις κατονομάζειν. *Eum, qui se illo scelere alligasset, volenti fas erat occidere, ut victimam inferno Iovi sacram. Id enim moris est apud Romanos, ut, si quos impune occidi volunt, eorum corpora alicui Deo nuncupent, maxime autem Diis infernis.* Livius lib. 3: *Cum religione inviolatos eos* (Tribunos plebis) *tum lege etiam fecerunt, sanciendo, ut, qui Tribunis plebis, Aedilibus, Iudicibus, Decemviris nocuisset, eius caput Iovi sacrum esset: familia ad aedem Cereris, Liberi Liberaeque venum iret.* Hinc, *Auri sacra fames*, id est, execranda. Abram. Omnes libri, quos habeo, *exsecrandum*, uno excepto Vaticano, in quo, *exsecratum* P.R. quem secutus quidem Muretus est, sed postea ne Lamb. quidem audivit, fortasse quod sequitur, *detestabilem*. Quid vero si *detestabilis* pro eo usurpetur, quem homines detestantur? ne levius hoc sit, quam quod in Vatinium dicitur c. 16. *cum viderunt, tamquam auspicium malum, detestantur.* Tum ea res declarationem habebit in antecedente verbo, si legas, *exsecratum;* passive, ut supra I. 2. *exsecrata columna*, et apud Priscianum Cato p. 792. *exsules duo lege publica exsecrati.* Etiam Plautus III. Cas. 5. 19. *iam tibi istuc Cerebrum dispercutiam, exsecrata,* ut quidem legit ex MSis Parens in notis criticis; cuius lectionis ne meminit quidem Gronovius, cum ediderit de Lipsii sententia, *excetra tu.* Ita enim coniecit ille II. Ant. Lect. 11. plaudente, et Pareum insectante Taubmanno. Ego vero nominatum aliquem codicem vellem, qui coniecturam optimam comprobaret. Nunc video, ex veteribus cdd. vulgatam *exsecrata* retinuisse Lambinum, in eaque non offendisse: in cod. Barb. 1442. legi *exoreta*, quod erat mendum etiam in optimo cod. Camerarii, et ea punctis subnotata voce, emendari *execrata:* in altero cod. Barb. 2161. exhiberi, *iam istuc cerebrum tibi dispartiam execratum.* Videtur itaque Lipsii coniectura laudari, non recipi debuisse. Drak. ad Liv. xxxix. 11. pro eo Plauti loco alium aptiorem, Livianoque simillorem adferre poterat ex Pseud. I. 2. 82. Garaton.

Non omnis tibi Deos] Post haec verba addito dictionem *non*, ut, quod sequitur, ita legatur, *non omnis homines.* Fabricius.

At quam] Adverte singulorum verborum energiam, et modum amplificandi pulcherrimum. Primo utitur interrogatione per admirationem, ut maiorem orationi suae vim incutiat, sine qua

plane langueret. Deinde ait *insolenter*, quia, qui voluptatis est insolens, in eam se cupidius et vehementius effundit, et ingurgitat. *Statim*, quod aviditatis est signum et intemperantiae. *Helluo* vim etiam suam et peculiare momentum habet. Quae sequuntur, mire rem exaggerant a dignitate Cn. Pompeii: cum praesertim nihil sit miserius quam virtus afflicta, et eius viri fortunas ab impuris helluonibus hauriri, qui virtute patriam suam non vicinis solum, sed etiam exteris nationibus terribiliorem, iustitia cariorem effecerit. Quibus verbis inest etiam suum pondus et momentum: nam praeter oppositionem illam virtutis et fortunae est etiam quaedam antithesis inter terrorem et caritatem: siquidem, ut ait ille, *Quem metuunt, oderunt*. Incredibilis igitur fuit Cn. Pompeii virtus, qui res inter se dissidentes coniunxit, et a barbaris etiam gentibus expressit, ut, quem metuebant, amarent. Abram.

Insolenter] Vide Coelianam: *In hoc flexu aetatis*, etc. *fama adolescentis paulum haesit ad metas, notitia nova mulieris, et infelici vicinitate, et insolentia voluptatum.* Pisonianam: *Non infirmitas ingenii sustinet, non insolentia rerum secundarum tantam personam, tam gravem, tam severam.* *Insolenter* itaque sumi potest pro avide, quia, qui voluptatum sunt insolentes, eas, cum se obtulerint, avidius persequi solent, et quasi omnibus animi modis devorare. Quamquam dici potest fortunas Pompeii insolenter invasisse, quia, ut dicitur pro Marcello: *Victoria, praesertim in bello civili, natura insolens est et superba.* ut Valerius Maximus lib. 5, c. 1. *victoriae insolentissimos spiritus* appellat. Horatius epodon 16:

Barbarus heu! cineres insistet victor, et urbem
Eques sonante verberabit ungula.
Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,
Nefas videre, dissipabit insolens.

Insolens autem, ut scribit Nonius, impudens et audax dicitur, aut etiam non solens. Idem.

Helluo] Festus: *Heluo dictus est immoderate bona sua consumens ab eluendo. Qui aspiratur, ut aviditas magis exprobretur, fit enim vox incitatior.* Hinc Plauto *elavare*, sive *eluere*, idem quod *heluari*. Asinaria actu 1, scen. 2:

Nam mare haud est mare, vos mare acerrimum.
Nam in mari reperi, hic elavi bonis.

Rudente actu 2, scen. ultima:

— Eho! an te paenitet,
In mari quod elavi, nisi hic in terra iterum eluam?

Sticho:

Volo, eluamus hodie, peregrina omnia?
Relinque. —

Sed apertissime Trinummo actu 2, sc. 4:

Comesum, expotum, exutum, elotum in balneis,
Piscator, pistor abstulit, lanii, coqui,

invasit in eius viri fortunas, cuius virtute terribilior erat populus Romanus exteris gentibus, iustitia carior? in eius igitur viri copias cum se subito ingurgitavisset, exsultabat gaudio, persona de mimo,

Olitores, myropolae, aucupes, confit cito,
Quam si tu obiicias formicis papaverem.

Abram.

Invasit in eius viri fortunas] Cum subito Antonius se immersisset in bona Pompeii, ut primum ipsi addicta sunt in auctione, insolentia rerum secundarum sic efferebatur et gestiebat, ut continere se non posset, sed exultare gaudio et tripudiare videretur. Nec mirum, similis enim erat illis mimorum gesticulatoribus, qui cum paulo ante mendici et egentis cuiusdam personam sustinuerint, repente mutata persona prodeunt in scenam habitu regum aut tyrannorum. Haec autem verba, *modo egens, repente dives*, coniicit Schottus, approbante Grutero, ex aliquo poëta esse deprompta. Idem.

Terribilior] Notum est illud Ennianum:

Quem metuunt, oderunt, quem quisque odit, periisse expetit.

Ad cuius imitationem Naso quadam ad Bagoum elegia:

Si sapis, o custos, odium (mihi crede) mereri
Desine, quem metuit quisque, periisse cupit.

Quare difficillimum est eorum habere caritatem, quibus terrorem armorum incusseris. id tamen obtinuit Pompeius. pro lege Manilia, postquam de eius iustitia, temperantia, abstinentia disseruit: *Itaque*, inquit, *omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de coelo delapsum intuentur*, etc. *Nunc imperii nostri splendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, non sine causa maiores suos tum, cum hac temperantia magistratus habebamus, servire populo Romano, quam imperare aliis maluisse.* Idem.

In eius igitur copias] Copiae dictae videntur a Dea Ope, et opibus, ut scribit Varro 4. de lingua Latina. Festus Pompeius, ut eius lectionem mutilam Scaliger instaurat: *Ops antiqui dicebant, quem nunc opulentum dicimus: ut testimonio est non solum ei contrarius inops, sed etiam cops, ut is cops edit, ego egens exortus sum.* Adfert alia testimonia Nonius Marcellus. Plautus Pseudolo:

Atque ego nunc me ut gloriosum faciam et copi pectore.

Turpilius Epiclero:

Te quidem omnium iam pater copem causa rem facit.

Nulla videtur his verbis, *causa rem*, esse subiecta sententia. Quid si legeremus *casnarem*. est enim *casnar senex osca lingua*, ut scribit Festus, quam vocem non

modo egens, repente dives. Sed, ut est apud poëtam nescio quem, *male parta male dilabuntur.* Incredibile, ac simile portenti est, quonam modo illa tam multa, quam paucis, non dico mensibus, sed diebus effuderit. Maximus vini numerus fuit, per-

retulisset, nisi vidisset a veteribus poëtis usurpatam. Rursum Pacuvius Perihoea:

O multimodis varie dubium, et prosperum copem diem.

Dictae sunt igitur *copiae*, quasi *coopiae*, sive opes in unum congestae, unde et prima syllaba contra naturam originis producitur, quod duae syllabae in unam coalescant. Hinc *copiari* idem est atque *abundare.* ut, *Armis et magno commeatu, praedaque ingenti copiantur.* Hunc locum Nonius Marcellus Coelio tribuit. Idem. *Viri* addidi ex Mureti et Lambini editionibus, qui eam vocem procul dubio hauserunt ex Vaticano, quamvis eam neglexerit Faërnus. Graevius. Recte *viri* est receptum ab Heusing. quoque, ac Lallem. qui hanc vocem firmari testatur a MSis Regiis. Praeterea melius Lamb. et Barbador. *ingurgitasset*, ex Faërno nimirum, cum in Vatic. ita sit a manu prima: nam recentior alia verbum ad vulgatam formam redegit. Garaton. Ern. et Schütz. omiserunt *viri* immerito.

Modo egens, repente dives] Non temere coniicit Schottus noster, istud ex poëta aliquo depromptum. Gruterus.

Poëtam nescio quem] Naevium. Abram.

Male parta male dilabuntur] *Parata*, l. Laug. et alii nonnulli: sed perperam: nisi Sex. Pompeio fidem abrogamus. Partus (inquit) et pro nascendo ponitur, et pro parato. Nevius, *Male parta male dilabuntur.* et Plaut. in Poen. *Male partum male disperit.* Ferrar. *Male parta*] Malis artibus acquisita per luxuriam et nequitiam effunduntur. Abram.

Sed paucis diebus] Dele *paucis*, quae repetitio est satis inelegans, in ed. Grut. primum facta, libris omnibus editis, scriptisque repugnantibus. Ab hoc mendo ne Verb. quidem, atque Heusing. sibi caverunt; sed Olivet. et Lallam. postea vocem subdititiam eiecerunt. Garaton.

Maximus vini numerus] Maxima vini quantitas. Adverte, quemadmodum rem eandem poliat, et enumeratione singulorum amplificet, prudenterque a Pompeio luxus opinionem amoliatur, et tandem inferat, *Horum paucis diebus nihil erat*, maiore cum emphasi, quam si dixisset, Haec omnia paucis diebus consumpta sunt. Abram.

Vini numerus] Loquendi modus primae notae scriptoribus usitatus. Hirtius de bello Africano: *In castris unis positis, ipse frumentatum circum villas*

magnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis; multa et lauta supellex, et magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. Horum paucis diebus nihil erat. Quae Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quae si fuit,

cum parte exercitus profectus; magno invento hordei, olei, vini, fici numero, pauco tritici, atque recreato exercitu, redit in castra. Vlpianus D. de tritico, vino et oleo, lege *Si quis*, vini numero frequenter usurpat: sed alio longe sensu. Vsitatius est *frumenti numerus* apud Caesarem, Hirtium, ipsum Ciceronem: quibus referendis supersedeo, quod Hadrianus nobilissima quaeque exempla praelibarit. Id.

Argenti] Argentum et aurum pro vasis argenteis et aureis sumptum videtur, ut in Vatin. *Sed omitto epulum, populi Romani festum diem argento, veste, omni apparatu ornatuque visendo.* Horatius 4. Carminum Ode 11.

Ridet argento domus. —

Catullus de Nuptiis Pelei et Thetidos:

Ipsius at sedes, quacunque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro atque argento.

Iuvenalis Sat. 10:

— *Sed nulla aconita bibuntur*
Fictilibus. tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata et lato Setinum ardebit in auro.

Aurum igitur et argentum pro pateris aureis et argenteis. Quo in genere quanta fuerit Antonii insolentia, videre est apud Plinium lib. 33, cap. 3: *Messala Orator prodidit Antonium Triumvirum aureis usum in omnibus obscoenis desideriis, pudendo crimine etiam Cleopatrae. Summae apud exteros licentiae fuerat, poculo aureo pulvino subdito, Philippum regem dormire solitum: Agonem Teium, Alexandri Magni praefectum, aureis clavis suffigere crepidas. Antonius in contumeliam naturae vilitatem auro fecit, opus proscriptione dignum.* Ad hanc naturae contumeliam refero Iuvenalem Sat. 3:

— *Laudare paratus,*
Si bene ructavit, si lectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.

Quamquam alii referunt ad cottabismum, de quo infra. Idem.

Quae Charybdis tam vorax?] Hyperbolica comparatione rem exaggerat. Adverte vero miram amplificandi rationem. Iam fidem excesserat dicens, nullam Charybdin posse cum Antonii voracitate et nequitia comparari. Non tamen eo contentus fuit, sed quasi pro rei magnitudine parum dixisset, seipsum retexit, et verbum reprehendit, ut

alia hyperbole maiore suam orationem attollat. Fuit autem Charybdis vorago quaedam, sive potius mare verticosum naves ad se appulsas devorans. Poëtae tamen animal quoddam sive monstrum fuisse fabulantur. Abram.

Charybdin] Eustathius in 12. Odyss. Ὅτι δὲ εἰς τινα πολυδάπανον ἀσωτίαν καὶ ἡ Χάρυβδις ἀλληγορικῶς ἐκλαμβάνεται, δῆλόν ἐςιν ἐκ τῶν παλαιῶν. ὁποίῳ δή τινι λόγῳ καὶ ἡ κωμῳδία τὴν φάραγγα ἐπὶ ὁμοίου νοήματος ἔθηκεν, etc. *Quod in luxum et sumptus etiam Charybdis allegorice transfertur, manifestum est ex antiquis. Quemadmodum etiam comoedia voraginem simili modo usurpat.* Haec porro comoedia est Equites Aristophanis:

Παῖε, παῖε τὸν πανοῦργον, καὶ
ταραξιππόςρατον,
Καὶ τελώνην, καὶ φάραγγα, καὶ
Χάρυβδιν ἁρπαγῆς,
Καὶ πανοῦργον, καὶ πανοῦργον.
πολλάκις γὰρ ταῦτ' ἐρῶ.
Καὶ γὰρ οὗτος ἦν πανοῦργος
πολλάκις τῆς ἡμέρας.
Caede, caede versipellem, copiarum equestrium
Hostem, publicanum, barathrumque, et rapinae gurgitem,
Versipellem, versipellem. non enim dicam semel.
Nam frequenter versipellis est diebus singulis.

Idem.

Charybdin dico?] Latinus Pacatus Paneg. Theodosii: *Noster ille pirata quicquid undecunque converrerat, id nobis sibique periturum in illam specus sui Charybdim congerebat. Charybdim loquor? quae cum plena navigia sorbuerit, dicitur tamen reiectare naufragia, et contortas fundo rates Tauromenitanis littoribus exponere.* Fabius lib. 8, cap. ultimo probat hoc exemplo, crescere interdum hyperbolem alia superaddita. Subditque: *Exquisitam vero figuram huius rei deprehendisse apud principem Lyricorum Pindarum videor in libro, quem inscripsit* ὕμνους. *Is namque Herculis impetum adversus Meropas, qui in insula Co dicuntur habitasse, non igni, nec ventis, nec mari, sed fulmini dicit similem fuisse: ut illa minora, hoc par esset. Quod imitatus Cicero illa composuit in Verrem* (Orat. 7.): *Versabatur in Sicilia longo intervallo, non Dionysius ille nec Phalaris. (Tulit enim illa quondam Insula multos et crudeles tyrannos.) Sed novum quoddam monstrum ex vetere illa immanitate, quae in iisdem versata locis dicitur. Non enim Charybdim tam infestam, neque Scyllam navibus, quam istum in eodem freto fuisse arbitror*, etc. Similis est etiam elatio Maronis 12. Æneidos in Turni et Æneae conflictu:

— Murali concita nunquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus: volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens. —

Quasi murale tormentum et fulmen minora essent, ater turbo solus par esset. Ater autem

turbo non unum fulmen, sed fulmina plura sibi colluctantia, seque illidentia complecti videtur, quod fortasse dicere voluit Lucretius lib. 6:

Praeterea persaepe niger quoque per mare nimbus
Vt picis e coelo demissum flumen in undas
Sic cadit, et fertur tenebris procul, et trahit atram
Fulminibus gravidam tempestatem atque procellis,
Ignibus ac ventis cum primis ipse repletus.

Aut etiam presterem significat, quae est ἀνέμου συςροφὴ καὶ πυρὸς, *venti et ignis convolutatio,* quem etiam describens Lucretius ait:

Versabundus enim turbo descendit, etc.

Fitque, cum venti vortex, ut eiusdem verbis optimis utar, involvit se nubibus, et

Turbinis immanem vim promovit atque procellae.

Sed haec Virgilio quam Ciceroni sunt aptiora: nolui tamen omittere, quod omiserint ii, ad quos maxime pertinebat, cum in longe minoribus et inutilioribus haererent, tam insignem amplificationis ornatum expendere: quem sic Orator Tulliano more tractare potuisset: *Plagam inflixit tormenti muralis ictu graviorem. Tormenti dico? imo et fulminis. Fulminis autem? imo turbinis atri vehementiam et impetum expressit.* De his hyperbolis Strabo lib. 1: *Quaedam sunt hyperbolarum hyperbolae, ut cum dicimus, aliquid suberis umbra esse levius, aut Phrygio aliquem lepore timidiorem, aut possidere fundum epistola Laconica minorem.* Vt si diceremus, *Est levior subere? subere dico? etiam umbra suberis. Est timidior lepore. lepore autem? imo etiam lepore Phrygio. Fundum possidet epistola minorem. epistola dico? etiam Laconica.* Postremum ex comico poëta refert Dionysius Longinus περὶ ὕψους §. 33. Pindarus Ode 8. Pyth.

Ἐπάμεροι. τί δέ τις; τί δὲ οὔτις;
Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. —
Mortales. quid aliquis? quid vero nullus?
Vmbrae somnium homines.

Quam hyperbolen Plutarchus consolatione ad Apollonium sic expendit: Ἐκφαντικῶς σφόδρα καὶ φιλοτέχνως ὑπερβολῇ χρησάμενος τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ἐδήλωσε. τί γὰρ σκιᾶς ἀσθενέστερον; τὸ δὲ ταύτης ὄναρ οὐδ' ἂν ἐκφράσαι τις ἕτερος δυνηθείη σαφῶς. *Clare admodum et artificio hyperbolen usurpans humanam vitam exposuit: quid enim umbra infirmius? huius autem somnium ne dicere quidem alius manifeste queat.* Seneca Rhetor suasoria prima nescio quem reprehendit, qui nescio quid ad hyperbolen Charybdis adiecerat: *Efficit haec sententia, ut ignoscamus ei, qui dixit ipsis Charybdi et Scylla maius portentum, Charybdim ipsius maris naufragium videri, et ne in mare semel insaniret, quid ibi potest esse salvi, ubi ipsum mare perit?* Verum, ut finiam, hic locus me admonet alterius ex Seneca filio deprompti lib. 7.

fuit animal unum; Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum.

de beneficiis c. 23: *In hoc omnis hyperbole excedit, ut ad verum mendacio veniat.* Item: *Nunquam tantum sperat hyperbola, quantum audet: sed incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat.* Incredibile quidem est Charybdin, atque adeo ipsum Oceanum tam multas res tam cito absorbere non potuisse, quam cito absorbuerat Antonius, at eo pervenit, ut crederetur paucis mensibus dilapidasse bona Cn. Pompeii. IDEM.

Animal unum] *Vivum*, l. v. Quintilianus, et Seneca. FERRARIVS. *Animal unum fuit*] Legere videtur Fabius: *Quae si fuit, fuit animal vivum.* nihil facile mutaverim. Siquidem illud, *vivum*, et superfluum est, et potius auget quam minuit voracitatem Charybdis, quae tamen fuerat minuenda, ut correctionis illius *Charybdin dico?* ratio redderetur. AURAM. In meo ut et Francii codice legitur sane, *animal vivum*, ut olim in suo invenerat Quintilianus. Non vero ista vox auget voracitatem, si respicias Oceanum, de quo post loquitur, sed minuit eam ratione Oceani. Charybdis fuit animal vivum, itaque non plus potuit haurire, quam quod ad ingluviem illam et lupinam famem sedandam requirebatur. At Oceanus quantumvis magnam vim et copiam quarumcunque rerum temporis momento potest absorbere. GRAEV. Etiam Barb. anbo, Rom. Ven. et Ald. *vivum.* Sed apud Quinctil. VIII. 6. p. 752. ita perpauci: plurimi, et meliores libri, in his Barb. habent *unum.* Servius autem ad III. Aen. 420. *quae si fuit animal, fuit unum.* Lamb. *quae si fuit, animal unum fuit.* Eandem permutationem videmus in Livii MSis X. 36. XXX. 12. XXXI. 36. XXXIV. 40. Lambinum autem sequor, cuius lectio est a Vaticano; per Muretum ei tradita. Seneca rhetor Suasoria VI. hunc locum ita refert. *Quae Charybdis est tam vorax? Charybdin dixi? quae si fuit, animal unum fuit. Vix medius fidius Oceanus tot res, tamque diversas uno tempore absorbere potuisset.* GARATON.

Oceanus, medius fidius] Ad maiorem vim hyperbolen etiam iureiurando confirmat, ut pro Marcello: *Parietes medius fidius, C. Caesar, ut mihi videntur, huius curiae tibi gratias agere gestiunt.* Ne tamen inverecunde nimis supra fidem efferatur, et periurio se obstringat, utrobique videri sibi dicit, non ita esse confirmat, et hic addita particula *vix* temperat orationem, eamque et crebris anaphoris altius inculcat, et in auditorum animis, velut ictu repetito, penitus infigit, et asyntheis dissolvit, ut plura

et plura dici et in acervum congeri, non in ordinem digeri videantur. ABRAM.

Nihil erat clausum] Tribus potissimum modis res servantur, sera, sigillo, inscriptione. magna igitur Antonii vel incuria, vel profusio, qui nullam harum adhiberet rebus suis custodiam. IDEM.

Nihil scriptum] Clausum sera, signatum sigillo, scriptum titulis. De sera et clavibus Eustathius in Odyss. θ', *Παλαιὸν δὲ, φασὶν, ἔθος ἦν κατασφαλίζεσθαι δεσμοῖς. ἡ κλεὶς γὰρ νεωτέρων καὶ Λακώνων εὕρημα. καὶ ἐστιν ἀσφαλέστερον δεσμοῦ ποικίλου τὸ κλειδίον. Antiquus vero, ut aiunt, mos fuit vinculis asservare. Clavis enim recentiorum et Laconum est inventio, eaque securior est vario vinculo.* Porro, ut notat Turneb. lib. 19. Adversar. cap. 7: *Sic videntur antiquorum serae fores occlusisse, ut exemptiles essent, et, quoties fores reserarentur, serae removerentur, liberarenturque e catena pendentes, cum non ita ut nunc impagibus ostiorum uncis affixae ferreis haererent.* Petronius: *Dum loquimur, sera iam sua sponte delapsa cecidit.* Ovidius 1. amor. eleg. 6:

Excute poste seram. —

De sigillo 2. de Oratore: *Ridiculum est illud Neronianum vetus in furace servo. Solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum.* Plutarchus in Tiberio Graccho: *Ædem Saturni suo ipsius sigillo communivit, ne Quaestores quicquam efferrent, aut inferrent in aerarium.* Obsignabant vero cellas, lagenas, et alia etiam, quae tutius servari cupiebant. Sic Cleostrata domo abitura, apud Plautum Casina actu 1, scen. 2:

Obsignate cellas, referte annulum ad me,
Ego ut transeo in proximum ad meam vicinam.

De lagenis Quintus Cicero epist. ad Tironem: *Sicut olim matrem nostram facere memini, quae lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquae fuisse, quae dicerentur exsiccatae.* Horatius lib. 2, epist. 2:

Comis in uxorem posset qui ignoscere servis
Et signo laeso non insanire lagenae.

De aliis etiam vasis Plautus Persa actu 1, scen. 6:

Nam id demum lepidum est, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos,
Bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale.

Et ne longior sim, notum illud Matth. 27: *Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.* Dio Prusaeus orat. 7. de fortuna, *θύραις καὶ σφραγῖσι καὶ κλεισὶ πιστεύων. foribus et sigillis et clavibus confidens.* Vide plane Ciceronem et Asconium de legat. Verris. De scriptione intelligo illud Plinii lib. 33, cap. 1: *Non signat Oriens aut Ægyptus etiam nunc litteris contenta solis.* nisi si forte intelligendum est de sigillis litterarum sive epistolarum. Plautus Rudente scena *Pro Dii*;

Apothecae totae nequissimis hominibus condonabantur.

Nam haec urna litterata est,
abs se cantat, cuia sit.

Vide scenam *Nunquam, aedepol.* et scena *Serio: ensiculus litteratus, securicula litterata.* Idem Poenulo scen. *Satis spectatum:*

Ibi tu videas litteratas fictiles epistolas,

id est, amphoras,

Pice signatas: nomina insunt cubitum longis litteris.

Temporibus heroicis cistas nodis claudebant. Odyss. θ',

Αὐτίκ' ἐπήρτυε πῶμα, θόως δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλε
Ποικίλον, ὅν ποτέ μιν δέδαε φρεσὶ πότνια Κίρκη.
Continuo aptavit tegmen varioque ligavit
Aptatum nodo, docuit quem daedala Circe.

Non est tamen, quod cum Eustathio dicamus, nondum claves inventas fuisse, et seras clavesque inter novitia inventa numeremus. Iliados ξ'. de Iunone:

Βῆ δ' ἴμεν εἰς θάλαμον, τόν οἱ φίλος υἱὸς ἔτευξεν
Ἥφαιστος, πυκινὰς δὲ θύρας σταθμοῖσιν ἐπῆρσε
Κληῗδι κρυπτῇ, τὴν δ' οὐ θεὸς ἄλλος ἀνῷγεν.
Ad thalamum accessit, fecit quem filius illi
Vulcanus, solidasque fores aptaverat olim
Postibus, occulta clave: haud reseraverit alter.

Et extremis pene versibus primi Odyss.

Βῆ ῥ' ἴμεν ἐκ θαλάμοιο, θύρην δ' ἐπέρυσε κορώνῃ
Ἀργυρέῃ· ἐπὶ δὲ κληῗδ' ἐτάνυσσεν ἱμάντι.
Excessit thalamo, atque fores argenteus orbis
Attraxit, lento clavis superaddita loro.

Quod ad clavis inventionem attinet, eam Plinius lib. 7, cap. 56. non Lacedaemoniis, ut Eustathius, tribuit, sed Theodoro Samio. ABRAM.

Apothecae] Vinum aliud erat doliare, aliud diffusum. doliare in doliis sive in cupis servabatur, de quo plura in Pisonem: *Panis et vinum a propola atque de cupa.* Diffusum dictum, quod, ubi in cupa ferbuerat, defundebatur in amphoras, dicebaturque colari, saccari, διαχεῖσθαι, διηθεῖσθαι, transvasari, elutriari. Huiusmodi amphoras testaceas pice allinebant, et obturabant, et Consulum nomine signatas reponebant, non in cellis vinariis, sed in apothecis, ut fumo vaporatae acerbitatem vina deponerent, fierentque mitiora. Plinius lib. 14, cap. 14: *Apothecas fuisse et diffundi solita vina anno* DCXXXIII. *urbis apparet indubitato Opimiani vini argumento, iam intelligente suum bonum Italia.* Idem cap. 18: *Vina in apothecis canis ortu mutantur quaedam postea que restituuntur sibi.* Dixi, amphoras pice oblitas fuisse. Iis adscribebant nomen patriae et temporis. Iuvenalis Sat. 5:

— *cuius patriam titulumque senectus*

Delevit multa veteris fuligine
testae.

Signantur *fuligine*, ad fumum enim exponebant, ut fumi vapore vetustescerent. Horatius lib. 3. Carm. Ode 8:

Hic dies anno redeunte
festus
Corticem adstrictum pice
dimovebit
Amphorae fumum bibere in-
stitutae
Consule Tullo.

Columella lib. 1. de re rustica cap. 6: *Fumarium quoque, quo materia, si non sit iam pridem caesa, festinato siccetur, in parte rusticae villae fieri potest, iunctum rusticis balneis*, etc. *Apothecae recte superponentur his locis, unde plerumque fumus earum exoritur, quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt. Propter quod et aliud tabulatum esse debebit, quo admoveantur* (lego *quo amoveantur*, id est, a balineis separentur interiectu illius tabulati), *ne rursus nimia suffitione medicata sint.* Hanc tamen praecocem vini maturitatem damnat Plinius lib. 22, cap. 1: *Vinum, si sit fumo inveteratum, insaluberrimum est. Mangones ista in apothecis excogitavere.* Itaque mavult percolatione quam fumo vini acerbitatem mitigari: *Vtilissimum omnibus sacco viribus fractis.* Sic fractum dicebatur languere. Horatius lib. 3. Carm. Ode 16:

Nec Laestrygonia Bacchus in
amphora
Languescit mihi.

E dictis promptum est cellae vinariae et apothecae distinctionem exhibere. Cellae vinariae sub terra fuerunt et vinum doliare continebant. Plinius lib. 14, c. 21. cuius inscriptio de cellis vinariis: *Mitiores plagae doliis condunt infodiuntque terrae tota aut ad portionem situs*, etc. *latus cellae vinariae aut certe fenestras obverti in Aquilonem oportere*, etc. Apothecae autem fuerunt in superiore tabulato, et vinum in amphoras defusum servabant. Vnde Horatius lib. 3, Ode 21. amphoram, sive, ut ait ipse, piam testam ita compellat:

Quocunque lectum nomine
Massicum
Servas, moveri digna bono die,
Descende Corvino iubente
Promere languidiora vina.

Descende, inquit, tamquam e loco superiore, sive ex horreo, ut etiam loquitur Ode 28:

Inclinare meridiem
Sentis, ac veluti stet volucris
dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli Consulis
amphoram.

Iam Noster non cellas vinarias, sed apothecas ait viris nequissimis fuisse condonatas, quia maioris pretii vetustiora fuerunt vina in amphoris et apothecis, quam in doliis cellisque vinariis. Noster in Bruto: *Vt si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis Consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium Consulem quaerat. Atqui eae notae sunt optimae: credo: sed nimia vetustas nec habet*

Alia mimi rapiebant, alia mimae: domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum; totos dies potabatur, atque id locis pluribus; suggerebantur etiam saepe, non enim semper iste felix, damna aleatoria.

eam, quam quaerimus, suavitatem, nec est iam sane tolerabilis. Num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? Minime: sed quandam sequatur aetatem. E quibus intelligas, vinum proximis Consulibus natum hauriri de dolio consuesse, vetustius ex amphoris et apothecis: ac proinde non aliud vinum in amphoras defusum fuisse quam generosum, quodque ferre posset aetatem. Idem.

Alia mimi rapiebant, alia mimae] Horatius lib. 1, Sat. 2:

Qui patrium mimae donat fundumque laremque.

Vopiscus Carino: *Legat hunc locum Iunius Messala, quem ego libere culpare audeo. ille enim patrimonium suum scenicis dedit, heredibus abnegavit. Matris tunicam dedit mimae, lacernam patris mimo. et recte, si aviae pallio aurato atque purpurato pro syrmate tragoedus uteretur. Inscriptum est adhuc in choraulae pallio tyrianthino, quo ille velut spolio nobilitatis exultat, Messalae nomen et uxoris.* Abram.

Locis pluribus] Lamb. alii, inquit, *plurimis:* ita vero cod. Car. Steph. Quod autem idem infra dicit alios habere *amplissimum* pro *amplum*, id nullibi diserte legi; sed in Romana ed. MCDLXXI. est, *unius patrimonium quamvis amplissimi.* Garaton.

Suggerebantur damna aleatoria] Nizolius, *commemorabantur*, quod non satis intelligo. *Suggerere* est tecto, et clandestino aditu inferre, ut apud Plin. V. Epist. 6. 30. Translate Cicero XII. ad Att. 44. *Druso ludus est suggerendus:* ubi nihil aliud significari videtur, quam decipiendus est aliquo ludo, aliqua fraude inter plures composita. Ita *damna aleatoria suggerere* erit, in alea dolis vix sentientem decipere, fraudibus aleatoriis pecunia emungere, importare damna. Heusing. Simplicius viri celebres, Ernestus in Ind. et Menckenius in Observ. L. L. p. 947. explicant, addebantur, subiungebantur, accedebant subinde damna aleatoria. Ita III. de Nat. Deor. 29. *atque huic incredibili sententiae ratiunculas suggerit.* Ita Livius II. 8. IX. 44. Scilicet haec damna tantae rerum profusioni accedebant, ut citius Pompeii bona consumerentur. Garaton.

Non enim semper iste felix] *Ipse*, o. l. v. Ferrarius. *Iste felix*] *Ipse* Ien. et optimi. Non raro haec permutantur: vide supra ad c. 4. Cort. ad Sallust. Catil. I. 5. Drak. ad Sil. VI. 309. Hic tamen *iste* malim. Heusing. Monere debebat profecto Graevius, an *ipse*, quod

Conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis servorum in

ex Grut. retinuit, apud Faërn. et Muret. viderit. Nam recte omnes ante Grut. editi servarunt *iste*. Barb. ambo, *non enim ipse semper felix*. Sed ego quoque praefero *iste:* nunc multo magis, postquam Vaticanum inspexi, eumque *iste* habere cognovi. Mureti editionem postremo nactus, haud aliter in ea reperi. GARATON. *ipse felix*] Cod. Teeg. et Ien. et Gud. habent etiam *ipse*, non *iste*.

Conchyliatis] Catullus de Nuptiis Pelei et Thetidos lectum conchyliato peristromate stratum ita describit:

Pulvinar vero Divae geniale locatur
Aedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchylis purpura fuco.

Dicta autem conchylis, sive conchyliata vestis, quod purpurae sive muricis sint quaedam genera conchyliorum, id est pisciculi concha vestiti, de quibus Plinius lib. 9, cap. 36: *Purpurae florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis habent faucibus. Liquor is nimirum est in candida vena, unde pretiosus ille bibitur nigricantis rosae color sublucens.* Lucretius lib. 2:

Iam tibi barbaricae vestes, Meliboeaque fulgens
Purpura, Thessalico concharum tincta colore.

Et libro 6:

Purpureusque color conchyli mergitur una
Corpore cum lanae, dirimi qui non queat unquam.

ABRAM.

Peristromatis] Plautus Pseudolo actu 1, scen. 2:

Ita ego vestra latera loris faciam ut valide varia sint,
Vt ne peristromata quidem aeque picta sint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Sticho actu 2, scen. 3:

Lectos eburatos auratos.
Tum Babylonica peristromata, consutaque tapetia.

Babylonica tautem peristromata, ut breviter id dicam, facile crediderim eadem fuisse cum amphitapis. de quibus Lucilius lib. 1. apud Nonium:

Psilae atque amphitapae, villis ingentibus molles.

Item lib. 6:

Pluma atque amphitapae, et si aliud quid deliciarum.

Varro Manio: *Alterum bene acceptum dormire super amphitapa bene molli.* IDEM. *Peristromatis* pro *peristromatibus* a περίστρωμα. Vide ad Vechner. Hellenolex. I. P. I. c. 3. p. 28. adnotata. Hunc locum expendit Fabius VIII. 4. 25. HEUSING.

Servorum in cellis] Cellae servorum fuerunt. Varro lib. 1. de re rustica c. 13: *Villici proxime ianuam cellam esse oportet.* quas proinde Vitruvius lib.

cellis lectos stratos videres. Quamobrem desinite mirari, haec tam celeriter esse consumpta. Non modo unius patrimonium, quamvis amplum, ut illud fuit, sed urbes, et regna celeriter tanta nequitia devorare potuisset. At idem aedes etiam, et hortos.

6. de architectura cap. 10. *familiaricas* appellat. *Circum autem in porticibus triclinia quotidiana, cubicula etiam, et cellae familiaricae constituuntur.* E quibus Vitruvii verbis unius litterae mutatione corrigi potest Varro ibidem: *In eoque quidam sellas familiaricas ponunt.* lege *cellas.* Cato de re rustica cap. 14. monet *cellas familiae* faciendas. Vide Columellam lib. 1, cap. 6. Abram.

Lectos stratos] Proprie. unde et

—. lecti mollia strata

dicuntur Lucretio. Stragulum, id est vestis stragula, Ciceroni 5. Tuscul. quaest. *Collocari iussit hominem in aureo lecto, stratu pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto: abacosque complures ornavit argento, auroque caelato.* Hinc *lecti sterniator* in Pseudolo Plautina actu 1, scen. 2:

Tu esto sterniator: tu argentum eluito, idem extruito.

Hinc apud Homerum στορέσαι λέχος frequenter, ut Iliados 1. Clemens Alexandrinus libro 2. Paedag. cap. 3. Philo de vita contemplativa στρωμνὰς ἁλουργεῖς appellant. Maro 1. Æneidos:

— strataque super discumbitur ostro.

Tibullus:

Nam neque tum plumae, nec stragula picta soporem,

Nec sonitus placidae ducere possit aquae.

Horatius lib. 2. Sat. 6. non abludit. Sed vide Stuckium libro 2. antiquit. convival. cap. 24. Abram.

Vrbes et regna] Hoc amplius o. l. s. *Vrbes et regna celeriter.* Ferrarius.

At eiusdem aedes] Antiquus liber, *at idem aedis:* et sequenti versu addendo dictionem, quae in aliis libris intercidit, *tu etiam ingredi.* Faernus. *At eiusdem*] Non solum in Cn. Pompeii fortunas invasit, sed etiam domum eiusdem, et hortos a Caesare publicatos et hastae subiectos emit. Plutarchus in Antonio: *Pompeii domum subhastatam emit Antonius, cumque ab eo pretium exigeretur, iniquo ferebat animo.* Abram. Muret. *At eiusdem*, sed Faern. A. Gryph. et Graev. *At idem.* Ien. *At eidem*, quod antique scriptum pro *idem.* Plura dixi ad Cornel. Nepotem XIX. 2. pr. Deest verbum, vel *tenet*, ut Manutio, vel *emit*, ut Abramio videtur. Heusing. Quamquam Vaticano non paruit Graevius, tamen Heusing. optimi codicis lectionem non immerito recepit. Gar. *At eiusdem aedes etiam et hortos*] Gud. et Teeg. *at eidem.*

XXVIII. O audaciam immanem! tu etiam ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum aedium diis penatibus os impurissimum ostendere? Quam domum

O audaciam] Ex gravi indignatione in exclamationem erumpit: etsi autem ut plurimum exponi solet rei, qua de agitur, indignitas, antequam exclames, tamen in rebus valde atrocibus vim exclamatio maiorem habet, si rei declarationem antecedat. ABRAM.

Tu etiam ingredi] Expolitione oratoria rem amplificat; et ab eiusdem vocis repetitione, *tu*, singula membra orditur, ut magis inculcet, et quasi repetitis ictibus in auditorum memoria defigat: a religione etiam Deorum Penatium, et liminis sanctitate magis exaggerat. ID. Sic Faërnus, Muretus, Lambinus. In vulgatis non extat *etiam*. GRAEV.

Sanctissimum limen] An ob Deus liminum praesides? Magnus Doctor libro 4. de Civitate Dei, cap. 8: *Vnusquisque domui suae ponit ostiarium, et quia homo est, omnino sufficit. Tres Deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardinibus, Limentinum limini.* Carnam, non Cardeam, vocat Ovidius, eamque Kalendis Iuniis cultam fuisse testatur 6. Fast.

Prima dies tibi, Carna, datur, Dea cardinis haec est,
Numine clausa aperit, claudit aperta suo.

De Limentino Arnobius lib. 4: *Quis credat Limentinum, quis Limam custodiam liminum gerere, et ianitorum officia sustinere?* Paulo post: *Et negligi sacrilege clamitatis, quiritamini que contemni Larem Genium focorum, Limentinum praesidem liminum, Pertundam, Perficam, Nodoturemsem?* ABRAM. Non haec est causa, cur sanctissimum limen vocetur, nam cuiusvis domus limen hanc propter causam dici posset sanctissimum, sed propter sanctitatem morum et disciplinae, quae fuerant in domo Pompeii, viri probissimi. GRAEVIVS.

Os importunissimum] *Impurissimum*, nonnulli v. l. ut in V. *Atque in me absentem orationem ore impurissimo evomuit.* Vetustiores tamen libri scripturam impressam comprobant. et M. Tullius in oratione post reditum ad Senatum, *Si modo*, inquit, *vultum importunum in forum detulisset.* FERRAR. *Os importunissimum*] *Impurissimum* est in lib. Vatic. F. VRSINVS. *Os importunissimum*]. Os pro impudentia, temeritate, audacia, et cum verbo audendi coniungitur in Oratore: *Quod tandem os est illius patroni, qui ad eas causas sine ulla scientia iuris audet accedere?* Pro Rabirio Postumo: *Quod habent os? quam audaciam?* Vide Notas nostras in Pisonem: *Nihil incolume domum praeter os illud pristinum tuum retulisti.* et: *Os*

aliquamdiu nemo adspicere poterat, nemo sine lacrimis praeterire, hac te in domo tamdiu deversari non pudet? in qua, quamvis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse iucundum. An tu illa in vestibulo rostra, an spolia cum adspexisti, domum tuam te introire putas? fieri non potest. Quamvis enim sine mente, sine sensu sis, ut es, tamen et te, et tua, et tuos nosti. Nec vero te umquam neque vigilantem,

tuum ferreum Senatus convicio verberari noluisti. ABRAM. Ien. cum vulgatis, *os inportunissimum:* sed Vatic. *impurissimum*, quod praeferendum visum doctioribus. Antonii os non tam *inportunum*, id est, austerum, inhumanum, quam *impurum* erat, h. e. impudicum, libidine pollutum. HEVSING.

Aliquamdiu] Dum recentior erat dolor e Pompeii morte perceptus, necdum ipsa vel consuetudo, vel diuturnitas civium animis callum obduxerat. Est autem amplificatio ab antecedentibus, et contrariis. Populus sine lacrymis videre non poterat domum Pompeii, Antonius in eadem domo helluabatur. ABRAM.

Diversari] Non quidem tanquam in domo propria vivere, sed tanquam in aliena, et quasi diversorio quodam. qua voce indicari videtur fore, ut brevi Sextus Pompeius Cnei filius paternam domum recuperet, et ex ea deturbet Antonium. IDEM. *Deversari* ex Vaticano Faërnus. Ceteri *diversari*, sed in veteribus libris scribi, *deversorium*, *devertere*, *deversari*, dudum ostendit Claudius Salmasius. GRAEV.

In qua] Hactenus ex antecedentibus, nunc a consequentibus amplificat Antonii audaciam: quod tantum sit scelus illius sectionis, ut necessario perpetuis conscientiae stimulis fodiatur, qui nullam ei vel nocturnam, vel diurnam quietem impertiant. ABRAM.

An tu illa vestibula, rostra, spolia] Nos proxime accedentes ad antiquam scripturam, quae ita habet, *an tu illa in vestibulo arostran spolia*, ita legimus, *an tu illa in vestibulo hostium spolia.* FAERNVS. *An tu illa in vestibulo rostra*] Ita melius, opinor, quam ut antea, *illa vestibula, rostra.* MVRETVS. *An tu illa vestibula*] Variae sunt huius loci lectiones. Alii legunt: *An tu illa in vestibulo rostra, spolia cum adspexisti.* Alii: *in vestibulo rostra et hostium spolia.* Alii denique, quod magis placet: *An tu illa vestibula, rostra, spolia.* Maiorem enim vim habet oratio, si dissoluta fuerit, ut plura conglobari, et quasi in cumulum coacervari videantur, nec moris est oratori, duas tantum voces continuari, nisi vinculo copulentur. Faërnus etiam et Manutius frigidius, opi-

nor, ediderunt: *Illa in vestibulo hostium spolia.* Abram. Recepit Faërni et Mureti lectionem Lambinus, ut et P. Manutius, nisi quod *rostra* omiserit. Sic enim habet huius editio ex coniectura Faërni: *An tu illa in vestibulo hostium spolia cum adspexisti, domum tuam te introire putas?* Sed quia in Vaticano est, *An tu illa in vestibulo arostran spolia*, puto Ciceronem scripsisse, *An tu illa in vestibulo rostra, an spolia cum inspexisti.* aut forte scribendum, *ac spolia.* Graevius. Lamb. *An tu illa in vestibulo rostra, et hostium spolia*, quod sane audax est facinus. Heusing. solum verum esse ait, quod Muret. et Graev. receperunt, idque a Verb. etiam, et Oliveto recte adscitum fuit. Exortus tamen est Lallemandus, qui referret lectionem tum Regiorum codicum, tum aliorum omnium, uno Vatic. excepto: *An tu illa vestibula, rostra, spolia.* Impulit hominem ad male iudicandum Abramii adnotatio. Vnius domus vestibulum intelligi, locus Capitolini in Gord. cap. 3. ab ipso mox allatus docere vel solus Abramium poterat. Sed, ne in re aperta sim loquax, Graevius, ut mea fert opinio, veram lectionem feliciter ex Vat. hanc elicuit: *An tu illa in vestibulo rostra, an spolia cum adspexisti.* Mendum est enim *inspexisti* per incuriam illapsum. Tam est autem apertum, in optimo cod. *an* contineri, ut recipere non fuerim dubitaturus. Primo *rostran* est factum, littera, quae duplicanda erat, semel tantum posita: deinde addita, ut saepe contigit, loco non suo eadem fuit, et monstrum exstitit, *arostran;* vel potius indicatur pro istius MSi consuetudine, alios legisse *vestibula.* Garaton.

Vestibula] Vestibulum non fuit, ut aliqui putant, vel ipsa ianua, vel arcus ianuae praepositus, quasi προπύλαιον, aut etiam porticus ante ianuam, sed Aquilius Gallus apud Gellium in noctibus Atticis libro 16, cap. 5: *Vestibulum esse dicit non in ipsis aedibus, neque partem aedium, sed locum ante ianuam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque ad aedeis est, cum dextra sinistraque inter ianuam tectaque, quae sunt viae iuncta, spatium relinquitur: atque ipsa ianua procul a via est, area vacanti intersita.* Vide ibi plura. Fortasse domus tria potissimum aedificia continebat. Praecipuum fuit medium, in quo ianua domus, et atrium, id est aula quaedam pavimentata et tecta laqueari, ad dextram et sinistram aedificia duo, quae Vitruvius alas appellat. Anteriores alarum partes ad vicum pertinebant, nullas tamen ianuas, quibus ad vicum exitus esset, habuerunt: medium aedificium recessu quodam submovebatur a vico communi, in eoque medio ianua. Quamvis fortasse tota domus interiectu parietis sic a vico dividebatur, ut anterior ille paries ab ala ad alam pertineret, totumque illud spatium vacuum inter alas, atrium et parietem hunc interceptum vestibulum di-

ceretur, id est area quaedam instar earum, quas *cortes* vulgus appellat. Abram.

Rostra] Notat Germanus Valens in septimum Æneidos ad illa verba,

> — *ereptaque rostra carinis.*

victis hostibus navali certamine, naves a victoribus mutilari consuevisse, quod Graeci ἀκρωτηριάζεσθαι dicebant. Herodotus in Thalia: *Καὶ τῶν νεῶν καπρίους ἐχουσέων τὰς πρῴρας ἠκρωτηρίασαν, καὶ ἀνέθεσαν ἐς τὸ ἱρὸν τῆς Ἀθηναίης ἐν Αἰγίνῃ. Et navium rostratarum proras amputantes, deposuerunt in templo Minervae Æginaticae.* Rostra autem in vestibulo Pompeii, quia mare a piratis purgaverat, unde et rostrata. Capitolinus in Gordianis: *Extat silva eius memorabilis, quae picta est in domo rostrata Cn. Pompeii, quae ipsius, et patris eius, et proavi fuit.* Gordiani autem ab Antonio duxerant originem, et hanc Pompeii domum hereditario iure acceperant, ut advertit Iustus Lipsius lib. 5. de militia Romana, Dialogo 17. Idem.

Spolia] De more, ad quem Maro frequenter alludit, ut lib. 2. Æneidos de regia Priami:

> *Barbarico postes auro spoliisque superbi.*

Libro 5. de domo Entelli:

> — *ubi fama per omnem*
> *Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis.*

Libro 7. de regia Latini:

> *Multaque praeterea sacris in postibus arma,*
> *Captivi pendent currus, curvaeque secures*
> *Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,*
> *Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.*

Tranquillus in Nerone cap. 38. agens de Neroniano urbis incendio: *Tunc praeter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatae.* E quibus Suetonii verbis colligitur, mutatis dominis, eadem spolia mansisse, nec loco fuisse mutata, ut nemini mirum esse debeat, spolia, quae Cn. Pompeius olim vestibulo postibusque suis appenderat, ab Antonio refixa non fuisse. Expresse Plinius lib. 35, c. 2. postquam de cereis maiorum imaginibus in atrio disponi solitis egit: *Aliae foris*, inquit, *et circum limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quae nec emptori refringere liceret: triumphabantque etiam dominis mutatis ipsae domus, et erat haec stimulatio ingens, exprobrantibus tectis quotidie, imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Ideo autem, opinor, haec spolia loco movere nefas erat, quod essent Diis Penatibus, aut vestibulorum ianuarumque praesidibus consecrata. Ubi tamen delapsa fuerent, restitui non potuerunt. Plutarchus quaestionibus Romanis 37: *Cur mos invaluit, ut ex omnibus, quae Diis consecrata sunt, sola spolia vetustate fatiscentia negligantur, nec loco moveantur, aut resarciantur.* Item in Gracchis: *Armabantur spoliis, quae circa domum erant, quae, parta de*

neque in somnis credo posse mente consistere. Necesse est, quamvis sis, ut es, violentus, et furens, cum tibi obiecta sit species singularis viri, perterritum

Gallis victoria, reportaverat in suo consulatu. Ad hunc etiam morem alludit Albinovanus ad Liviam:

Moesta domus clangore sonat: cui figere laetus
Parta sua dominus voverat arma manu.

Eadem veteribus Gallis consuetudo. Diodorus Siculus lib. 6: *Hostium spolia sanguine perfusa famulis tradunt in foribus domorum cum cantu atque hymnis affigenda, quemadmodum feras solent venatu captas.* Idem.

Mente posse consistere] Graev. *posse mente consistere.* Ienensis vero, ut vulgo. I. ad Q. Fratr. 3. pr. *ut neque mente, neque lingua, neque ore consisteret.* Heusing. Lambinum secutus est Graevius, ille Vaticanum: quo in codice scribitur, *necq. vigilantem, neque in somnis credo posse mente consistere.* Suspicor a Tullio esse, *nec vigilantem:* vide supra ad c. 2. Gar.

Violentus et furens] Nonnulli a. l. *vinolentus.* Ferrarius. *Quamvis sis, ut es, violentus et furens*] *Vinolentus* est in vetere quodam libro, et ita putat legendum Ant. Augustinus, sed haec lectio plus habet speciei, quam veritatis. F. Vrsin. *Vinolentus et furens*] Istud recepi, quod invenisset in suis aliquot Ferrarius, restaretque in Pal. illo sec. atque Maur. prius erat *violentus.* inepte. ebrietas enim et furor duo sunt, quae non patiuntur simulacra in somnis liquido nobis imprimi. itaque miror, hactenus exsulasse libris lectionem ratione maxime subnixam. Grvt. Rectius *violentus* coniungitur cum *furens*, quam *vinolentus*, ut in oratione de Harusp. responsis c. 22. *Quod non sentiunt id, quod tamen mihi iam suspicari videntur, illius furentes, ac violentos impetus in se ipsos posse converti.* Graev. Solus Grut. recepit *vinolentus*, meis omnibus, et aliorum plerisque, ac bonis libris repugnantibus, Schottus IV. Nod. Cic. 15. Tullianos collegit locos, quibus Antonio vinolentia obiicitur, quibusque violentia; sic tamen, ut haec non semel permutatio contigerit. Cum autem constet, utrumque in eo reprehendi, iudicium, ut est, videbatur Schotto difficile. Habemus infra *furiosam vinolentiam* Antonii c. 39. eiusdem *vinolentum furorem* XII. ad Div. 25. generatim etiam V. Tuscul. 41. *violentiam vinolentorum.* Locus a Graevio allatus alienus est: neque enim Clodio poterat vinolentia exprobrari. Sed tamen Schottus, et Heusing. cum Graevio heic praeferunt *violentus.* At negare nollem, optimum esse Gruterianae sensum. Quamvis ipse per te sis propter vinolen-

te de somno excitari, furere etiam saepe vigilantem! Me quidem miseret parietum ipsorum, atque tectorum. Quid enim umquam domus illa viderat, nisi pudicum, nisi ex optimo more, et sanctissima disciplina? Fuit enim ille vir, Patres Conscripti, sicut scitis, cum foris clarus, tum domi admirandus: neque rebus externis magis laudandus, quam institutis domesticis. Huius in sedibus pro cubiculis stabula,

tiam furiosus, tamen, Pompeii specie occurrente, furiis agitabere. Diversum furoris genus observa: ex vino alterum, quo mens alienatur: alterum ex viso, comitibusque scelerum Furiis, quibus etiam vigilantes vexari credebant. Huc faciunt Horatii V. Epod. 9?. versus notissimi. *Nocturnus occurram furor, Petamque vultus umbra curvis unguibus, Quae vis deorum est manium, Et inquietis adsidens praecordiis, Pavore somnos auferam.* In Vaticano autem *violentus* inveni, ut iam facilius huic lectioni adquiescere possimus. GARATON. Ern. et Schütz. *vinolentus*. Teeg. Gud. *violentus*.

Te de somno] Ien. *de somnis*, omisso *te*, ut plures, haud male: *somno* praefero. Videtur fuisse, *te e somno*. HEVSING. Barb. ambo, et omnes ante Car. Steph. editi, *perterritum de somno*: post Car. Stephanum, qui primus addidit, a nemine pronomen omissum vidi, et firmat Vaticanus. Quod habet supra, *singularis viri*, ita c. 6. *civem singularem*. Locutionem illustrat celeb. Schwarzius ad Plin. Paneg. LX. 5. GAR.

Me quidem] Ad maiorem vim et orationis gravitatem sensum aedibus Pompeianis attribuit, quasi domus illa ex Pompeii et Antonii comparatione magnum dolorem acceperit. Hunc locum Plutarchus pene verbatim expressit in Antonio: *Accessit ad communem infamiam non mediocre odium ex ea in qua habitabat domo, quae fuerat Magni Pompeii, viri non minus ob temperantiam, modestamque et civilem vitam, quam ob tres triumphos mirabilis.* ABRAM.

Neque rebus exteris magis laudandus] *Externis*, plerique l. v. in queis Sc. ut pro Plancio locutus est, *Quem externis, quem domesticis nonnullis rebus inferiorem, quam te.* FERRARIVS. Recte his MSis P. Man. Gryph. MDL. Car. Steph. Lamb. tum Grut. omnesque postea paruerunt; cum repet. Lamb. *exteris* perperam retulissent. Vide quae diximus ad II. in Catil. 13. GAR.

Huius in sedibus pro cubiculis stabula] *Huius in aedibus* etc. habet liber manuscriptus. F. VRSINVS. Nostri omnes, ut et Vaticanus, *sedibus*. itaque non

pro tricliniis popinae sunt. Etsi iam negat. nolite, nolite quaerere. Frugi factus est. Illam suam suas res sibi habere iussit ex duodecim tabulis:

ausus sum unius libri auctoritate id immutare cum Lambino, et Abramio. GRAEV.

Pro tricliniis popinae sunt] Vt aliquid hoc loco deesse suspicer, facit, quod in optimo libro scriptum est hoc modo: *Pro conclavibus popinae triclinissent.* itaque ideo asteriscum addidi. MVRETVS. *Pro tricliniis popinae sunt*] P. Faber Tolosanus, olim commotus antiqua scriptura, quae talis est, *pro conclavibus popinae triclinissent*, delendam censuerat vocem *popinae*, et legendum, *pro conclavibus triclinia sunt.* Idem aliquanto post sententia mutata sic potius hunc locum esse legendum arbitratus est, *pro cubiculis stabula, pro conclavibus triclinia, pro tricliniis popinae sunt.* Confirmatur eius coniectura his locis: quae ille mihi indicavit. Severus ad Rogonium Celsum apud Ælium Spartianum in Pescennio Nigro: *Milites tui vagantur, tribuni medio die lavant, saltant, bibunt, cantant, et mensuris conviviorum vacant, cum eine mensuris potent.* C. Gracchus in oratione quadam apud A. Gell. lib. XV, cap. XII: *Nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia facie stabant, sed in convivio liberi vestri modestius erant, quam apud praeceptorem.* al. *praecipem.* En tibi in his tribus locis commemorantur popinae et stabula. Nam quae M. Tullius stabula nominat, meritoria a Severo dicuntur. Gracchus autem his pluribus verbis, *neque pueri eximia facie stabant*, eandem rem significavit. Ita ex Severi, et Gracchi verbis intelligimus, per stabula apud M. Tullium meritoria, et quasi prostibula significari. LAMBINVS. *Pro cubiculis stabula, pro tricliniis popinae sunt*] Sic Pall. et olim editi. itaque non est quod coniecturas ullius admittamus. GRVT. Sensus est, cubicula Cn. Pompeii, ut primum ea occupavit Antonius, in lupanaria, in quibus pueri puellaeque prostarent, triclinia autem in popinas esse mutata, in quibus homines nequam et perditi biberent, vomerent, omne flagitii genus admitterent. Stabulum autem vel pro diversorio ponitur, vel etiam pro lupanari. Pro diversorio. Petronius: *Nec, quo stabulum esset, sciebam.* Item: *Cum errarem per totam civitatem, nec invenirem, quo loco stabulum reliquissem.* Pro lupanari. Postquam enim dixit, *Iam sero intellexi, me in fornicem esse deductum*, fingit, Quartillae ancillam eo venientem ita loqui: *Ecce ipsa venit ad stabulum, petitque, ut vobiscum loqui liceat.* Dictum opinor stabulum, quod ibi prostarent meretrices, aut etiam pueri. C. Gracchus apud Gellium. lib. 15,

cap. 12. quod etiam notavit P. Faber: *Nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia facie stabant, sed in convivio liberi vestri modestius erant, quam apud praeceptorem.* Clare Valerius pro lupanari stabulum accepit lib. 7, c. 7: *Qu. Metellus*, etc. *Vecilio lenoni bonorum Iuventii possessionem secundum tabulas testamenti non dedit: quia vir nobilissimus et gravissimus fori ac lupanaris separandam conditionem existimavit: nec aut factum illius comprobare voluit, qui fortunas suas in stabulum contaminatum proiecerat: aut huic tanquam integro civi iura reddere, qui se ab omni honesto vitae genere abruperat.* Abram. Colon. *pro cubilibus stabula.* Graev. Sic est in Vatic. *pro cubiculis stabula, pro conclavibus popinae triclinis sunt.* Primum *triclinis* scribitur pro *tricliniis*, ut solet optimus codex: quae res nonnullis in locis fraudi fuit, dubitationemque peperit, ut XIII. ad Div. 66. ubi Graev. et Cortium vide. Deinde aliam servat ille consuetudinem suam, ut varietatem lectionis continuae scripturae intermisceat, atque indicat alios loco vocis *conclavibus* habere *tricliniis*. Quod verissimum esse, vulgata docet plurimorum codicum lectio. Ita Mureti dubitatio, et coniecturae Fabri evanescunt. Glossam indicare Vitruvius potest, dum ait VI. 9. *in tricliniis, ceterisque conclavibus maximus est usus luminum.* Garaton. *Huius in aedibus pro cubiculis stabula, pro tricliniis popinae sunt*] Videtur e vestigiis Cod. Vat. *pro conclavibus popinae triclinissent* legendum esse *pro conclavibus popinae triclinia sunt. Conclave* enim denotat i. q. *triclinium*, i. e. conclave, ubi coenatur. v. Cic. Verr. IV. 26. Orat. II. 86. Quinct. IX. 2. Horat. Sat. II. 6. 113. Quemadmodum igitur antea dixit, Pompeii cubicula dehonestata esse, quod lupanaria facta sint, sic nunc conclavia dicit *popinae* triclinia facta esse, i. e. loca, ubi ganeones congregabantur, ut gulae indulgerent.

Popinae] Popinae dictae videntur a popis. Popae autem sunt vel scriblitae et placentae, vel sacrificulorum ministri, qui sacrificiorum reliquias secum auferebant, et deinde vendebant. Vide dicta in Milonianam: *Quin etiam audiendus sit popa Licinius, nescio quis, de circo maximo.* Porro scriblitas in popinis fieri solitas testatur Plautus prologo Poenuli:

Dum ludi fiunt, in popinam, pedisequi,
Irruptionem facite, nunc, dum occasio est,
Nunc, dum scriblitae aestuant, occurrite.

Fuerunt autem popinae loci quidam obscuriores, sive ganeae et fornices, in quibus voluptati operam dantes latitabant. Vide Pisonianam. et adde Plautum Poenulo actu 4, scen. 2:

— itaque in totis aedibus
Tenebrae, latebrae, bibitur, estur, quasi in popina haud secus.

Ibi tu videas litteratas fictiles epistolas
Pice signatas, nomina insunt cubitam longis litteris.
Ita vinariorum habemus nostrae delectum domi.

Martialis lib. 5, ep. 126:

Arcana modo raptus e popina
Aedilem timet udus aleator. IDEM.

Etsi iam negat] Elegans transitio. Iam, inquit, negat, se pro cubiculis Pompeii lupanaria et stabula, pro tricliniis popinas fecisse: nolite curiosius sciscitari et inquirere, quid ante fecerit, nunc enim ita se collegit, et ad meliorem frugem recepit, ut superioris vitae maculas praesenti frugalitate absterserit. Est autem elegans ironia cum emphasi, qua significatur, Antonium omne Pompeii patrimonium abligurivisse. Non enim aliter frugi fieri potuisset. IDEM.

Nolite, Nolite quaerere] Semel tantum in Vatic. legitur, *nolite*, eique Muretus obtemperavit: quod ne statim adprobes, quia remissior heic est oratio, et ad irrisionem composita, ipsum audi Ciceronem III. de Orat. 54. *geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias.* GAR.

Suas res sibi habere] Haec est concepta formula verborum in divortiis. Martialis libro 10, ep. 41:

Mense novo Iani veterem Proculeia maritum
Deseris, atque iubes res sibi habere suas.

Alcmena Plautina Iovi, quem Amphitruonem putabat, ita loquitur, Amphitr. actu 3, scen. 2:

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
Iuben' mi ire comites? IVP. Sanan' es? ALC. Si non iubes,
Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero.

Quintilianus Declam. CCLXII: *Tunc repudiatam tu credis uxorem, cum res suas sibi haberi iussa est, cum egredi domo.* IDEM.

Illam suam suas res sibi habere iussit: ex duodecim tabulis causam addidit: exegit] Omnino mihi probantur impressi libri: siquidem Plautus quoque in Mercat. hoc idem videtur ostendere: *Vxor* (inquit) *viro si clam domo egressa est foras: viro fit causa: exigitur matrimonio.* Placuit tamen testatum relinquere, quid libri scripti sentirent. nam partim *clausa*, partim *claves*, partim *clavos ademit:* nonnulli, *adiecit:* nemo quidem certe *causam.* Quinetiam apud Non. Marcellum verbum *exigo* exponentem, atque huiusce loci testimonio utentem, ita scriptum est, *claves ademit, forasque exegit.* In superioribus quoque verbis libri v. inter se dissident: nam partim *ex duodecim tabulis:* partim *ex duodecim* tantummodo: et certe utroque modo locutus est M. Tullius. Primum pervagatum est: alterius exempla supponemus. *Discebamus enim pueri duodecim, ut carmen necessarium.* Et paulo ante, *Iam caetera in duodecim minuendi sunt sumptus.* Haec de leg. L. II. FERRAR. *Il-*

lam suam suas res sibi habere iussit; ex duodecim tabulis causam addidit, exegit] Post *iussit* demenda distinctio, et ponenda post *tabulis*, legendumque quod sequitur ita ex antiquo libro, *clavis ademit, exegit;* vel, ut Nonius Marcellus, *claves*, quod et tu, Victori, in tuis variis lectionibus adnotasti. FAERN. *Clavis ademit*] Hunc locum explicavit Victorius capite secundo libri secundi variarum lectionum. MVRET. *Ex duodecim tabulis causam addidit*] Faërnus ex vetusto codice Vaticano *claves ademit*. quam scripturam agnoscit etiam Nonius: sed vulgata lectio magis mihi placet: nam valde iuri et aequitati consentaneum est, eum, qui dimittat uxorem, causam addere, cum sponte sua (ut se apud iudices suos excuset, et facilius alteram reperiat uxorem) tum iubente lege hoc facere, quae non temere, et pro arbitrio sinat dimitti uxores, et seri discordias inter utrasque familias (ut de Carvilio dicitur, qui primus Romae repudium fecit, sterilitatis causam addidit.) praeterea quam multae sunt, quae nec habent, nec habere volunt claves rerum viri: et quam multae reperiri possunt uxores, quae, ademptis clavibus, non repudientur. omnino parum attinet ad repudium clavium ademptio. F. VRSINVS. *Iussit ex duodecim tabulis, claveis ademit; forasque exegit*] Ita fere Nonius in *exigere*, probabatque hanc lectionem Victorius lib. II. Var. lect. cap. 2. item Muretus lib. V. Var. lect. cap. 8. et alludit Pal. sec. in quo, *claves fecit ademit, exegit.* vulgo antea erat, *iussit: ex duodecim tabulis causam addidit; exegit.* videatur Ferrarius, item Lambinus. Adamus Theodorus Siberus, has litteras nostras eximie doctus, putabat glossema illud, *ex* XII *tabulis*. Supra quoque edidi, *illam suam suas res habere* etc. eiecta voce *mimam*, quae non erat in mss. nostris. GRVT. *Ex* XII *tabulis*] Variae sunt huius loci lectiones. Sane haec verba, *claveis ademit, forasque exegit*, a Nonio Marcello referuntur: quia tamen haec verba, *causam addidit*, neque orationis numero, neque sensui officiunt, imo plurimum leporis addunt, non ausim ea excludere, et quasi e veteri librorum possessione deturbare. Itaque lego: *Habere iussit: ex duodecim tabulis causam addidit: claveis ademit: foras exegit.* Vide Vrsinum. Praeterea, ut cum Victorio loquar lib. 2, cap. 2. variar. *Erat mos institutumque Romanorum, ut uxoribus primum domum ingredientibus claves darent, quo (ni fallor) significabant, ipsas matresfamilias esse, atque omnem rei quaesitae a viro potestatem habere* etc. *et verisimile est, quas initio matrimonii darent, ipsas divortio facto adimere solitos. Quod prorsus significare arbitror voluisse Ciceronem, cum omnem ritum illum exprimeret, ut foediorem notam inureret turpissimo viro, cuius ex omni vita nihil erat honestius, quam quod cum mima fecisset divortium. indicat etiam turpitudinem hominis, cum*

ostendit, eum mimae claves, amicaeque ingenuarum mulierum legitimaeque uxoris insigne concessisse. ABRAM. *Pro conclavibus,* quod in vetere quodam libro legitur, est glossa magistri, qui margini hanc interpretationem vocis *tricliniis* adscripserat. Plane quoque assentior Sibero, qui *ex* XII. *tabulis* itidem esse explicationem, quae ex margine irrepserit, existimat. GRAEV. Vox *tabulis* in libris aliquot defuit, unde et reliqua, *ex* XII. Sibero, et Graevio suspecta sunt. Sed, etsi *tabulis* haud incommode abesse potest; idem tamen est *duodecim,* quod Cicero non uno loco absolute usurpavit, nec temere a Librariis adiici potuit. Leges XII. tabularum divortium permittebant, dotemque reddere iubebant. Hoc vero nihil ad pellices. Cicero autem, quasi legitimam uxorem a se illam mimulam dimisisset, quam ideo olim quoque *alteram uxorem* Antonii dixerat x. ad Att. 10. risus captandi gratia hoc addidit, *e duodecim.* Dimisit eam, inquit, dotem (quam nullam attulerat) reddidit e legibus XII. tabularum (quasi illae pellicibus quoque cautum esse voluissent). Hoc est, liberaliter donatam a se dimisit. *Claves ademit,* quas tali mulierculae turpissime concesserat, cui rei familiaris potestatem dare numquam debuerat. HEUSING. Locus insignis, quem eruditissimi quique ICti attigerunt, et varie legendum, explicandumque putarunt. Barb. ambo, Rom. Ven. et Ald. *illam suam suas res sibi habere iussit: ex* XII. *tabulis causam addidit: exegit.* Ante haec verba *mimam* Naug. adiecit, sequentibus Cam. et Gryphio, quod glossema irrepsit, nescio quomodo, in ed. Mureti, ac Lambinianas, et imprudenter ab Oliv. et Lallem. revocatum est. Addunt etiam in citando plerique. Hanc deteriorum codicum lectionem unice praeferunt Jac. Gothofredus ab Tab. VI. Decemv. p. 114. Oper. min. et Heineccius Append. ad I. Antiq. §. XLIV. ut antea Ferrarius, et Vrsinus. Sed P. Manutius, qui anno MDXLI. principes edd. erat secutus, tricesimo post anno in adnot. Faërno accessit, et Car. Stephanus monuit esse in suo cod. *illam suam suas res sibi habere iussit ex* XII. *tabulis: clavis ademit, exegit;* plane ut in Vaticano: hisque MSis consentiunt quidam Ferrarii, Colon. et Pal. sec. ut ferri non possit Heineccius hoc uno ex Nonio adscitum putans, quod meliores MSS comprobant. Ita porro cum Faërno, Victorioque legunt etiam Sigonius de A. I. Civ. Rom. I. 9. Raevardus ad XII. Tabb. c. 21. et ad easdem Balduinus c. 35. et Marcilius c. 26. Obsecuti Faërno sunt omnes quoque editores iam inde a Lambino, exceptis huius repetitoribus, nisi quod Grut. adiecit *forasque,* Lamb. *foras.* Atque adeo quod Grutero placuit, Barbadorio placuerat, et Mureto v. VAR. Lect. 8. et Gulielmio I. Verisim. 2. Solus quidem Nonius p. 291. habet *forasque:* sed locos istud firmantes vide apud Gothofr. et Heinec. et Brisson. VIII. de Form.

55. Verum lectionem utramque, et quidquid ubique repertum est, haud inscite ante Abram. coniunxerat Hottomannus XIII. Observ. 39. hoc modo: *mimam illam suam res suas sibi habere iussit: ex XII. tabulis causam addidit: claves ademit: foras exegit.* Primum is Ferrarium, Faërnum, Victorium inique insimulat, quasi Tullium ad XII. Tabulas morem clavium adimendarum referentem inducant: cum Ferrarius mentionem clavium repudiarit, ceteri verba, *ex duodecim tabulis*, non his, sed superioribus, *suas res sibi habere iussit*, adiunxerint: quibuscum ea copulat etiam Brissonius ad L. Iul. de Adult. p. 223. Op. min. et is, qui tacite ibidem carpitur ab Hottomanno, Cuiacius I. Observ. 39. Sed in eum postea errorem incidit Marcilius l. c. qui haec cum Lambino quidem legit, sed nova, et nemini probata unius, quod sciam, Mureti editionis interpunctione foedavit, *iussit; ex XII. tabulis claves ademit*, ut legem hinc iis tabulis adfingeret, quam veram existimavit Dacerius ad Fest. p. 82. ed. Amstelod. incautique alii fortasse. Qua de re iudicat recte Hottomannus, et Marcilium refutavit Ever. Otto in praef. Tomi IV. Thes. Iur. p. VII. cum eius librum ibi recuderet. Deinde necesse non est, non modo ut *causam addidit* cum iis, quos dixi, et Hoffmanno Tom. II. Hist. Iur. P. I. p. 221. praeferamus, sed ne quidem ut cum Hottom. et Abramio varietates disiuncte proditas coniungamus: etiamsi certas in divortiis causas XII. tabulae postularint. Satis est dicere, *suas res sibi habere iussit ex XII. tabulis*, h. e. nuncium remisit, non ad hanc divortiorum licentiam, sed ad veterem illam XII. tabularum sanctitatem. Concubinae divortium, quasi uxoris legitimae, per iocum describitur. *Exegit:* si *foras* non recipis, subaudi, matrimonio, vel domo. *Clavis ademit:* quas non acceperat, cum penes uxorem iam essent; perperam enim acceptas a mima Heusingerus existimat. *Suas res sibi habere iussit:* hoc etiam fictum ex formula, quae tum erat in usu, quae et abesse potuit a XII. tabulis, et fortasse abfuit. In iis certe nullae formulae praescribebantur: sed tamen verba inde peti nihil vetabat, et ad earum iussa formulae accommodabantur. Hoc non eo pertinet, ut iuris originem a Tullio demonstratam putem; quae res tali viro esset indigna: sed contendo, his non repugnare, quod additur, *ex XII. tabulis*. Cur autem additur? quia *frugi factum* Antonium dixerat: idcirco non turpi, aut levi, aut nulla de causa divortium est factum, ut passim fiebat: sed quod mores mimulae displicerent. Adulterium autem, quod in meretricem, et libertinam cadere non poterat, unde ridiculum augetur, causa erat divortii maxime sontica, iam inde a lege Romuli, quam secutos Decemviros ne ipse quidem negat Otto l. c. cum tamen Sibero, et Graevio XII. tabularum mentionem delentibus cupide adstipuletur:

claves ademit, exegit. Quam porro spectatus civis, quam probatus: cuius ex omni vita nihil est honestius, quam quod cum mima fecit divortium? At quam crebro usurpat, *et Consul, et Antonius?* hoc est dicere, et Consul, et impudicissimus: et Consul, et homo nequissimus. Quid enim est aliud Antonius? Nam si dignitas significaretur in nomine, dixisset, credo,

quod fortasse non fecisset, si haec omnia considerasset. Tum idem fit nobis auctor, ut, si *ex* XII. *tabulis* nolimus expungere, substituamus, *et fractis tabulis*, nempe dotalibus, seu quibus matrimonii contractus continebatur: de qua consuetudine vide Lipsium ad Tacit. XI. Annal. 30. Poterat sane commodius, ex Pal. sec. verbo *fecit* arrepto, ita locum constituere: *suas res sibi habere iussit: tabulas fregit: clavis ademit: exegit.* Atque hoc adeo egregium dicerem, si divinandi locus relinqueretur. GARATONIVS.

Claves ademit] Vxorem fidarum indicium, et quasi hieroglyphicum fuit clavis. Artemidorus ὀνειροκριτικῶν lib. 3, cap. 54: *Clavis per somnium visa fidelem et casariam,* sive domus custodem, *futuram coniugem significat.* Vt igitur significarent, se rei familiaris dispensationem, domusque custodiam uxori credere, clavem ei donabant, ut primum ad mariti domum accesserat, ut recte Victorius. Aliam tamen Festus Pompeius huius rei voluit esse rationem: *Clavium consuetudo erat mulieribus donare ob significandam partus facilitatem.* Vide Tertulliani exhortationem ad castitatem apud Ma-nutium. Has claves viri in divortio suis uxoribus adimebant, ut hoc ipso loco liquet, uxores viris remittebant. S. Ambrosius epistola 65. quae secunda est ad Syagrium Veronensem: *Hinc frequens iurgium, quo mulier offensa claveis remisit, domum revertit.* Quae ad historiam sacram non addidisset, nisi communis hominum consuetudinis rationem habuisset. Atque haec clavium remissio videtur fuisse in omnibus plane divortiis, quo ritu significabatur, familiae curam resignari: *suas autem res sibi habere* iubebantur, si dos statim redderetur. Nonnunquam autem dotis partem retentam fuisse propter libros, aut propter mores, erudite probat noster Laelius Bisciola Parte priore horarum subcesivarum, lib. 10, cap. 4. ad quem te remitto. Neque semper statim reddebatur, si pecuniaria fuisset. Vlpianus in fragmentis: *Dos si pondere, numero, mensura contineatur, annua, bima, trima, die reddetur, nisi si, ut praesens reddatur, convenerit: quae dos pecunia non est, statim redditur.* In dote vero reddenda, licebat marito, cui nuntium remittebat uxor, petere tertiam pensionem, ut videlicet divi-

sim ternisque pensionibus, non simul et semel totam dotem reddere cogeretur. lib. 11 ad Atticum epist. 24: *Audimus enim de statu reip. o Dii! generumne nostrum* Dolabellam *potissimum vel hoc, vel tabulas novas? Placet mihi igitur et idem tibi, nuntium remitti: petet fortasse tertiam pensionem.* id est, petet, ut annua, bima, trima die dotem reddat. Epistola 25: *In pensione secunda coeci fuimus.* Lib. sequenti epistola 9: *Sed de prima pensione videamus: adest enim dies, et ille currit.* Lib. 6. ad famil. epist. 18: *Me Romae tenuit omnino Tulliae meae partus: sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit: teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam pensionem.* Vide Bisciolam rursus eadem parte lib. 11, cap. 18. Quod si ob gravem uxoris culpam fieret divortium, poterat integra dote mulctari. Plinius lib. 14, cap. 13: *Cn. Domitius iudex pronuntiavit, mulierem videri plus vini bibisse, quam valetudinis causa, viro insciente, et dote mulctavit.* Quod ubi fiebat, illa formula, RES TVAS TIBI HABE, locum non habebat. ABRAM.

Exegit] Videtur legendum, *foras exegit:* et ita exstat apud Nonium Marcellum ad verbum *exigere.* Nam neque P. Victorius, neque Faërnus, neque Muretus, adverbium *foras*, quod desideratur, restituerunt. LAMBINVS. Non ausus sum id imitari, ut Gruterus fecit, quia libri omnes reclamant. GRAEV.

At quam crebro usurpat] Commode, postquam Antonii nequitiam ostendit, ad eius superbiam et insolentiam delabitur: nam cum omnis arrogantia vitiosa est, et fatua, tum illa potissimum, quae homines nequam et luxu libidinibusque perditos ad verborum iactantiam impellit. ABRAM.

Et Consul et Antonius] Hoc spectant Appiani verba 3 civilium: Φίλος ὢν Καίσαρος, καὶ ὕπατος, καὶ Ἀντώνιος. Quanquam, ni fallor, non ibi loquitur Antonius, sed Octavius, qui post Augusti nomen accepit. IDEM.

Dixisset aliquando, credo, avus tuus se et Consulem et Antonium] Sic l. Col. *Dixisset, credo, aliquando avus tuus et Consulem, et Antonius:* ut fortasse ita sit emendandum, *Dixisset, credo, aliquando avus tuus, et Consul, et Antonius.* FERRARIVS. *Dixisset, credo, aliquando avus tuus se et Consulem et Antonium*] Ita iudicavi legendum: cum in vetere libro esset, *sed et Consulem et Antonium.* Nam illud *sed* putavi eadem ratione scriptum esse, qua *med* pro *me* saepe apud Plautum legitur. MVRETVS. *Avus tuus, et Consul et Antonius*] Pal. pr. *avus tuus se Consulem et Antonium.* neque aliter sec. nisi quod is *Antonius* a manu prima. vulgata, *se et Consulem et Antonium:* nostra est a coniectura Ferrarii. mea sententia quadriga ista verborum est a librariis, scripsitque Cicero tantum: *id dixisset, credo, aliquando avus tuus; numquam dixit: dixisset etiam collega meus*, etc. GRVTERVS. Cur coniecturam nudam recipit Gruterus, et non potius

aliquando avus tuus,) *se et Consulem, et Antonium.* Numquam dixit. Dixisset etiam collega meus, patruus tuus. Nisi tu solus es Antonius. Sed omitto ea peccata, quae non sunt earum partium propria, quibus tu rempublicam vexavisti: ad ipsas tuas partes redeo, id est, ad civile bellum, quod natum, conflatum, susceptum opera tua est.

XXIX. Cui bello cum propter timiditatem tuam,

Vaticanum, aliosque codices audit, quibus omnes mei adstipulantur? Graevius. Conieeturam Ferrarii iam receperant P. Man. Car. Steph. et repet. Lamb. ac postea retulerunt Verb. Oliv. et Lallem. libris nolentibus. Infra Naug. et S. Gryph. *nisi solus es Antonius.* Ceteri ante Man. et codd. Barb. *esses,* mendose. Sed ex Vat. lego, *nisi si tu es solus Antonius.* Supra Lamb. *significaretur nomine,* quod probo. Garaton.

Avus tuus] M. Antonius Orator duos filios habuit, M. Antonius Creticum, patrem Antonii Triumviri, et C. Antonium. fuit autem Consul anno DCLV. cum A. Postumo Albino. Abram.

Patruus tuus] C. Antonius, qui meus collega fuit in Consulatu, anno DCXC. Idem.

Nisi solus esses Antonius] Sic 1. Lang. *nisi solus Ant.* Scalae, *nisi si solus Antonius.* Col. *nisi tu es solus Antonius.* quem sequor. Ferrarius. *nisi tu solus es Antonius*] Tegg. *nisi si tu es solus Antonius.* Gud. *nisi solus Anton.* Esse debet: *nisi tu es solus Ant.*

Sed omitto] Transitio per praeteritionem oratoriam. Abram.

Vexavisti] Ien. *vexasti,* quae forma aliis locis placuit editoribus. Heusing. Cum Ien. consentit codex a Barbadorio inspectus. Gar.

Cur ei bello tum propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuisti] Vide absurditatem: interrogat de causa, et causam interim exponit ipse, dum interrogat, cum manifestissimo errato. ita ex auctoritate antiqui libri medendum est, *Cui bello cum propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuisti.* Faernus. *Cui bello*] Caesar victo ad Pharsaliam Pompeio, confecto Alexandrino bello, victo Pharnace reversus Romam, nec in Italia diu moratus in Africam profectus est contra Scipionem et Catonem, qui post cladem Pharsalicam, accito in belli societatem Iuba, Numidiae rege, magnis praesidiis occuparant. Ei bello defuit Antonius, sive propter timiditatem et libidines, ut vult Cicero, sive quod Antonius iratus esset Caesari, ut dicebat Antonius. Abram. *Cur ei bello tum (propter timiditatem tuam, t. p. libid.) defuisti*] Haec ante non uncis inclusa, et post *defuit* vulgo inter-

tum propter libidines defuisti. Gustaras civilem sanguinem, vel potius exsorbueras; fueras in acie Pharsalica antesignanus; L. Domitium, nobilissimum, et clarissimum virum, occideras; multos, qui e proelio effugerant, quos Caesar, ut nonnullos, fortasse servasset, crudelissime persecutus trucidaras. Quibus rebus tantis, talibus gestis, quid fuit causae, cur in Africam Caesarem non sequerere, cum praesertim belli pars tanta restaret? Itaque quem locum apud ipsum Caesarem post eius ex Africa reditum obtinuisti? quo

rogandi signum ponebatur. Quae cum esset absurda lectio, Ernestius, retenta interrogandi particula, illa verba uncis inclusit. At Vat. cod. haud dubie sequendus est, qui habet *qui bello tum propter timid.* etc. *defuisti.* Nam quod postea quaerit ex eo, quae caussa sit, cur Caesarem in Africam arma transferentem reliquerit, id non suspecta reddere debebat Ernestio ista verba, *propter timid.* etc. Supra enim in universum indicaverat caussam perfidiae, nunc accuratius rem exponit, cuius ipsum maxime pudeat necesse est. Quaerit ex eo, cur eum reliquerit, ut eum cavilletur.

Gustaras civilem sanguinem] Inductio, qua probatur assumptio de crudelitate Antonii. Quia autem *gustandi* verbo minus eam expresserat (gustat enim, qui cibum primoribus attingit, non ut se expleat, sed ut saporem cognoscat), retexit orationem, gravinsque *exorbendi* verbum substituit, quo inaudita quaedam et ingluvies denotatur. Plato libro octavo de Rep. circa Iovis Lycaei templum in Arcadia refert homines ita fabulari: *Quod qui ex humano intestino gustaverit cum aliis aliarum victimarum extis immixto, eum necesse est in lupum mutari.* Abram.

Exsorbueras] Hoc demum ingentis vel odii vel crudelitatis indicium. Oenone Paridi apud Quintum Smyrnaeum lib. 8:

Αἲ γάρ μοι μέγα θηρὸς ἐπὶ κραδίῃ γένος εἴη
Δαρδάψαι σέο σάρκας, ἔπειτα δέ θ' αἷμα λαφύσσαι.
Atque utinam mihi magna ferae sub pectore vis sit
Dilaniare tuas carnes, sorbere cruorem.

In Vatinium: *Cum per meum nomen fortunas locupletum diripere, sanguinem principum civitatis exorbere* etc. *cuperetis.* Tragicus, cuius Philo libro de Iosepho, Clemens Alexandrinus, aliique meminerunt:

Πίμπρα, κάταιθε σάρκας, ἐμπλήσθητί μου
Πίνων κελαινὸν αἷμα, etc.
Combure, carnes concrema, expletor meum
Sorbens cruorem —. Idem.

Antesignanus] Plutarchus: *Ostendit vero Caesar, quam de ipso opinionem haberet: cum enim postremam, quae summa rerum agebatur, pugnam in Pharsalia pugnaturus esset, ipse dextrum cornu duxit, sinistro vero praefecit Antonium, tanquam rei militaris peritissimum omnium, qui sub ipso erant.* Antesignani porro dicuntur, qui ante signa pugnabant. Livius lib. 2: *Desiliunt ex equis, provolant in primum, et pro antesignanis parmas obiiciunt.* Varro apud Nonium cap. 15, ut rescribendum reor, verbis servatis, sed mutata numeri ratione:

Quem sequuntur cum rotundis
velites parmis leves,
Antesignani quadratis, multis tecti insignibus.

Vel fortasse pro *multis tecti* legendum *milites*. Idem.

L. Domitium] Ænobarbum, qui ante bellum civile iussus fuerat Caesari Gallias contra Senatus auctoritatem obtinenti succedere. Is, ut scribit Caesar 3 de bello civili: *Ex castris in montem refugiens, cum vires eum prae lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus.* Idem.

Nobilissimum] Nobilitas Romanorum a curulibus magistratibus. De Ænobarbis Suetonius in Nerone cap. 1: *Functi autem consulatibus septem, censuraque duplici, et inter patricios allecti perseveraverunt omnes in eodem cognomine.* Idem. Quod refert ex aliis Lamb. *clarissimum et nobilissimum*, est in Vaticano; ex eodem etiam extractum, quod refert infra similiter, *multosque praeterea, qui e proelio effugerant*, habet enim ille mendose, *multoque praerea, qui*. Haec ex editione Mureti Lambino innotuisse, ut alia eiusmodi, compertum habeo. Garaton. Post *quibus rebus tantis* inseruit Schütz. in textu *ac*.

Quorum Caesar nonnullos fortasse servasset] *Quos Caesar ut nonnullos*, o. l. v. Ferrarius. Sic et omnes nostri codices. Graev. Sic etiam Vatic. et omnes editi iam inde a P. Man. exceptis repetit. Lamb. Item Vat. Col. et Barb. sec. *e proelio:* ceteri, *de proelio*. Gar.

Itaque] Cum igitur propter timiditatem et libidines Africano bello defuisses, sic apud Caesarem in contemptum venisti, sic refrixit tua apud illum gratia, ut, postquam ex Africa victor rediit, nec ullum locum dignitatisque aut gratiae gradum obtineres, nec ullo numero esses, id est, ne numeraveris quidem inter eius amicos. Abram.

Quo numero fuisti] Eodem pene sensu Brutus ad Atticum: *Quid enim tam alienum ab humanis sensibus est, quam eum patris habere loco, qui ne liberi quidem hominis numero sit?* Varro de re rustica: *Minus se putant despici, atque aliquo numero haberi a domino.* Plus est autem *esse loco*, quam *numero*, quia vel unus loco esse dicitur, ut patris loco, numero autem is esse dicitur, qui cum aliis est, ut lib. 5. ad familiares epist. ad Valerium Iurisconsultum: *Nos aliquando revisas, et ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam*

numero fuisti? Cuius tu imperatoris quaestor fue-

istic, ubi solus sapere videare. Hinc *homo nullo numero* dicitur, qui nullius est pretii. Philipp. 3: *Bambalio quidam pater, homo nullo numero.* Verrina de Praetura Siciliensi: *Qui illum secum habuerit, eo praesertim numero ac loco.* Vide Chiliastem Chil. 2, centuria prima, adagio 79, apud quem Pythium oraculum:

Ὑμεῖς δ', ὦ Μεγαρεῖς, οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
Οὐδὲ δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

et alia longe sane doctissima. Abram. Reliqua bene se habent, sed falsum est, *numero esse* de eo dici, qui cum multis sit. Cic. Divinat. in Caecilium: *cum is tibi parentis numero fuisset.* Vide I. Frid. Gronovium Observat. 1, 4. Graev. *Quo numero fuisti?* h. e. quo ordine, loco, honore? ita *aliquo numero esse* I Epist. 10. Orat. 61. Caesar. VI. B. G. 13. *qui aliquo sunt numero, atque honore.* Dicitur non tantum de his, qui cum pluribus numerantur, sed de aliis etiam, qui uni pares habentur. Cic. Divin. 19. *cum is tibi parentis numero fuisset.* Paullo ante dixerat, *Praetorem Quaestori suo parentis loco esse oportere.* Cornel. Nep. Epam. XV. 1. *erat enim ibi privatus numero militis.* Observavit hoc Gronov. et ante eum Pareus Lex. Crit. p. 812. De re ipsa Plutarchus Ant. p. 921. qui Caesarem dixisse ait, μὴ δεδιέναι τοὺς παχεῖς τούτους καὶ κομήτας, ἀλλὰ τοὺς ὠχροὺς καὶ λεπτοὺς ἐκείνους, *se non formidare crassos hos et comatos* (Antonium et Dolabellam) *sed illos pallidos et macilentos* (Brutum et Cassium. Heusing.

Cuius tu] Commemorat necessitudines Antonii cum Caesare, ut eo maiorem infamiae labem aspergat, quo gravius Caesaris ipsius iudicio damnatus videbitur. Abram.

Imperatoris Quaestor] Supra: *Quaestor es factus: deinde continuo sine S. C. sine sorte, sine lege ad Caesarem cucurristi.* et: *Accessit, ut Caesare ignaro, cum ille esset Alexandriae, beneficio amicorum magister equitum constitueretur.* Erat autem inter Quaestorem et Imperatorem summa necessitudo. Cicero Divinatione in Q. Caecilium: *Sic enim a maioribus nostris accepimus, Praetorem Quaestori suo parentis loco esse oportere, nullam neque iustiorem, neque graviorem causam necessitudinis posse reperiri, quam coniunctionem sortis, quam provinciae, quam publici muneris societatem.* Pro Plancio: *Luc. Apuleius hunc tanti facit, ut morem illum maiorum, qui praescribit, in parentum loco Quaestoribus suis Praetores esse oportere, officiis benevolentiaque superarit.* Epist. 10. libro 13. ad famil. *Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more maiorum, qui, ut te non fugit, hanc quaestu-

ras, dictatoris magister equitum, belli princeps, crudelitatis auctor, praedae socius, testamento, ut ipse di-

rae coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse. adde epist. 26. Idem.

Dictatoris Magister equitum] Magna Dictatoris et Magistri equitum necessitudo: quod ut plurimum Magister equitum a Dictatore legeretur, frequenterque accidit, ut is ipse Magister equitum fieret, qui Dictatorem creaverat. Livius libro 4: *Aulus Cornelius Dictatorem Mamercum Aemilium dixit, et ipse ab eo Magister equitum est dictus.* Paulo post Q. Servilium Priscum Dictatorem fuisse dicit: *Magistro equitum creato, a quo ipse Tribuno militum Dictator erat dictus filio suo.* Ibidem: Hala Servilius, *Dictatore Pub. Cornelio dicto, ipse ab eo Magister equitum creatus est.* Ad hanc etiam necessitudinem pertinet, quod Dictatores magisterium equitum familiarissimis quibusque vel etiam propinquis deferebant. Libro 6: *P. Manlius deinde Dictator rem in caussam plebis inclinavit, C. Licinio, qui Tribunus militum fuerat, Magistro equitum de plebe dicto. Id aegre Patres passos accipio: Dictatorem propinqua cognatione Licinii se apud Patres excusare solitum, simul negantem, Magistri equitum maius quam Tribuni Consularis imperium esse.* Nonnunquam tamen dabantur Dictatori Magistri Equitum, sive decreto Patrum, sive populi suffragio, sive quo alio modo. Libro 7: *Dictatorem quoque hic annus habuit M. Fabium, nullo terrore belli, sed ne Licinia lex comitiis Consularibus observaretur. Magister equitum Dictatori additus Qu. Servilius.* Paulo post: *Senatui placuit Dictatorem feriarum constituendarum causa dici. Dictus P. Valerius Poplicola, Magister Equitum ei Qu. Fabius Ambustus datus est.* Sic ipsi Caesari datus Magister Equitum non ab ipso allectus. Supra: *Accessit, ut Caesare ignaro, cum ille esset Alexandriae, beneficio amicorum Magister Equitum constitueretur.* Posset etiam ad hanc necessitudinem referri similitudo nominis et potestatis. tradit enim Seneca epist. 108. e Cicerone de Republica: *Eum, quem nos Dictatorem dicimus, et in historiis ita nominari legimus, apud antiquos Magistrum populi vocatum, hodieque id extat in auguralibus libris, et testimonium est, quod, qui ab illo nominatur, Magister Equitum est.* Varro libro 4. de lingua: *Dictator, quod a Consule dicebatur, cui dicto audientes omnes essent. Magister Equitum, quod summa potestas huius in Equites et adcensos: ut est summa populi Romani Dictator: a quo is quoque Magister populi appellatus.* In hoc tamen differebant, quod Magister Equitum Dictatori subesset, et equo uteretur, Dictator, cum

praeesset omnibus, equo tamen utendi ius ordinarium non haberet absque peculiari populi Romani suffragio. Livius lib. 23: *Dictator M. Iunius Brutus, rebus divinis perfectis, latoque, ut solet, ad populum, ut equum adscendere liceret*, etc. *descendit equo dixitque, Qui capitalem fraudem ausi, quique pecuniae iudicati in vinculis essent, qui eorum apud se milites fierent, eos noxa pecuniaque se exolvi iussurum.* Fabius tamen Maximus *rogavit*, non populum, sed *Senatum, ut in expeditionibus equo uteretur*, inquit Plutarchus. Non ausim inter tam graves viros arbiter sedere. Videri possit Plutarchus contra se ipsum secundum Livium pronuntiare, dum id factum fuisse tradit, *hac una re saltem volentibus videri Dictatorem a populo pendere.* Quibus autem de caussis Dictator apud Romanos olim fieri consueverit, vide Alexandrinum Neapolitanum libro 1. Genialium dierum cap. 6. Quod ius quamve potestatem in Repub. Dictator obtineret, lib. 4, cap. 23. Abram.

Belli princeps] Supra: *Vt igitur in seminibus est causa arborum et stirpium: sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti.* Idem.

Testamenti, ut ipse dicebat, filius] Sic o. l. v. *Testamenti, ut dicebat ipse, filius.* nonnulli, non illi quidem veteres, sed tamen scripti, pro *testamenti, testamento:* quod tamen abiudico. nam in 11. quoque l. de leg. *Haeredem testamenti* dixit. Ferrar. *Testamenti, ut dicebas ipse, filius*] Antiquus liber *testamento*, quod tamen non placet, et post aliqua, *quorum facinus est commune.* Faernus. *Testamento, ut dicebas ipse, filius*] Haec veteris libri scriptura est: nisi quod *dicevas* habet pro *dicebas*. Ferrarium autem, qui *testamenti* mavult legere, nihil moror. Muretus. *Testamento*] Dicebas, te testamento Caesaris ab eo adoptatum fuisse, ut tu in eius universa bona succederes. Ferrarius emendabat *testamenti*, non admitto novitatem. Scribit Dio lib. 44. Antonium in secundis heredibus scriptum fuisse in testamento Caesaris. Abram. Probat Muretus Vaticani libri scripturam *testamento*, pro in testamento. Nostri tamen MSS. omnes *testamenti filius*. Sed vide Manutium. Mox bene ex Vaticano Faërnus, Muret. Lambin. *ipse dicebas*, ubi Gruterus cum vulgatis male *ipse dicebat*. Graevius. *Testamenti filius.* Haec inepta lectio est etiam in Ien. Sed Vatic. *testamento filius*, quod Gruterus iam antea vulgatum non debebat respuere. Heusing. *Testamento, ut ipse dicebas, filius*] Duo e Regiis codicibus habent, ut voluit Faërnus, *testamenti, ut dicebat ipse, filius.* Lall. Cum his duobus Reg. et Ferr. vetustis, etc. Barb. ambo, et Gruter. faciunt; parumque differunt Rom. Ven. Ald. Herv. Man. priores, Car. Steph. et repet. Lamb. in quibus, *testamenti, ut ipse dicebat.* Omnes mendose. Sanant media Naug. Gryph. et Verb. exhibentes, *ut ipse dicebas*, sed

cebas, filius, appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas. Primo respondisti plane ferociter: et, ne omnia videar contra te, prope-

retinent male *testamenti*. Optime Vatic. et alii codd. apud Lamb. *testamento*, *ut dicebas ipse*, *filius*, quod Man. postea est secutus. Firmari vides *testamento* a nonnullis Ferrar. et a reliquis Lallemandi, saltem quatuor, quos erat rectius ab eo numerari, quam illos cum plerisque depravatos propter antecedentium genitivorum multitudinem. Garr.

Appellatus es de pecunia] Intimatum est tibi, ut eam pecuniam solveres, quam debebas pro emptione ab hasta publica, et sectione bonorum Cn. Pompeii. Appellatur debitor de pecunia, cum non solum admonetur, ut solvat, sed iam gravioribus verbis ab eo pecuniae flagitantur et exiguntur. Pro Quintio: *Anno et sex mensibus vero, cum tibi quotidie potestas fuisset hominis admonendi, verbum nullum facis. biennio iam confecto fere appellas.* Vide locum. Epistola 24 ad Tironem: *Dolabellae procuratores fac ut admoneantur. Appellabis etiam Papiam.* Libro 15 ad Attic. epist. 19: *De Attiliano nomine scripsi ad Philotimum, ne appellaret Messalam.* De claris Oratoribus sub finem prooemii: *Videor enim iam te ausurus esse appellare, quoniam longo intervallo modo primum animadverti paulo te hilariorem. Itaque, quoniam id, quod mihi deberetur, se exacturum professus est, quod huic debes, ego a te peto.* 2 Agraria: *Nulli populo Romano pro me maiores mei spoponderunt: mihi creditum est: a me petere, quod debeo, me ipsum appellare debetis.* Seneca lib. 5. de beneficiis: *Foenerator quosdam debitores non appellat, quos scit decoxisse.* Martialis lib. 7, epigr. 91:

Appellat rigida tristis me voce Secundus,
Audis, sed nescis, Bacchara, quid sit opus.

Verrina de signis: *Ipse hominem appellat, rogat, ut reddat.* Seneca lib. 1. de beneficiis cap. 2: *Nemo beneficia in Kalendario scribit; nec avarus exactor ad horam et diem creditorem appellat: nunquam illa vir bonus cogitat, nisi admonitus a reddente. alioquin in formam crediti transeunt, turpis foeneratio est, beneficium acceptum referre.* Abram.

Primo respondisti] Adverte artificium Oratoris omnia adversarii sui crimina coacervantis et conglobantis, sub persona ipsius Antonii, quem loquentem inducit, et Caesari exprobrantem. Idem.

Propemodum aequa et iusta] Aristoteles 7 polit. cap. 7: *In familiares et amicos ira magis concitatur, quam in ignotos, si ab iis contemni videamur.* Et libro 2 Rhetoric. cap. 2: *Et amicis magis succensent, quam non amicis. putant enim, convenire magis ab ipsis boni ali-*

modum aequa, et iusta dicebas. A me C. Caesar pecuniam? cur potius, quam ego ab illo? An ille sine me vicit? At ne potuit quidem. Ego ad illum belli civilis causam attuli: ego leges perniciosas rogavi: ego arma contra consules, imperatoresque populi Romani, contra Senatum, populumque Romanum, contra deos patrios, arasque, et focos, contra patriam tuli.

quid accipere, quam contra. et iis, qui soliti erant honore vel cura prosequi, si deinceps non ita se cum ipsis gerant: siquidem ab iis contemni se putant. et iis, qui non retribuunt beneficia, neque par pari referunt. E quibus hunc locum sic explicat noster Laelius, I. parte Subces. cap. 8: *Igitur M. Antonius Caesari, cuius res plurimum iuverat, se ab eo parvi existimans pendi, vehementius irascebatur, aegriusque ferebat, eum pecuniam a se petere, cui vitam et imperium deberet: quod cum Cicero vidisset, ut acutus erat, inimicum suum prope excusat.* IDEM.

A me C. Caesar pecuniam?] Petit, appellat me de pecunia. IDEM. Ien. verbum, quod deest, et deesse potest, supplet, *requirit.* Rectius *petit* subintelliges. HEVSING.

Ac ne potuit quidem] *At,* nonnulli s. l. FERRARIVS. Male ambo Barb. Rom. Ven. et Ald. *an:* nec bene multi codices *ac:* optime *at* Naug. Gryph. P. Man. et omnes postea. GAR.

Ego leges perniciosas] Quas leges initio bellorum civilium rogaverit Antonius, non comperi, nam intercessione sua nefaria, non autem legibus illud belli civilis conflavit incendium. Egressis tamen Consulibus et Cn. Pompeio cum in urbem rediisset, rogationes de restituendis damnatis, tum aliis, tum Licinio Lenticula. Supra. Sed haec non spectant ad belli civilis initium. Quaerant eruditi. Facile crediderim, nullas ab Antonio leges, e quibus bellum exarserit, latas fuisse, sed id ab Oratore veteratorie confictum, quasi non ipse, sed Antonius hanc orationem habeat, et exprobrandi caussa aliquid addat ad veritatem. et ita, si nullas ab Antonio leges perlatas fuisse intelligis, eximitur nihilo secius Orator a mendacio, dum adversarium loquentem suaque beneficia exaggerantem inducit. Si latas credis, adversarius in invidiam adducitur. ABR. Deest hoc totum in Vatic. *ego leges perniciosas rogavi:* quam recte autem, docet Abramii adnotatio. Tamen exstat apud Nonium p. 383. GAR.

Ego arma contra] A partium enumeratione rem exaggerat: patria enim una et Consules, et religiones, et Senatum, et populum complectitur, sed maius est orationis pondus, si texatur series

Num sibi soli vicit? Quorum facinus est commune, cur non sit eorum praeda communis? Ius postulabas: sed quid ad rem? plus ille poterat. Itaque excussis

singulorum, et mox in unum omnia colligantur. Abram.

Num sibi soli vicit] Nonnulli v. l. in queis Col. *non*. Ferrarivs.

Facinus est commune] Ienens. recte verbum *est* expulit. Hevsing. Imo libri omnes hoc verbum ignorant, excepto Vaticano, ex quo monuit supra Faërnus id se restituisse, eique post Lamb. ab omnibus obtemperatum est. Abesse poterat: sed nihil video, quod librum optimum solide refutet. Gar.

Plus ille poterat] Maiorem, quam tu, potestatem habebat; et eius vis et arma iuri tuo praevalebant. Abram.

Itaque] Cum igitur vis et arma Caesaris tuis verbis et iuri praevalerent, nulla habita tuorum dictorum ratione, milites misit non solum ad te, sed etiam ad tuos praedes sive fideiussores, qui et te et illos ad solvendum compellerent, tuaque bona publicarent. In vulgatis legitur *praedas tuas:* commodius Ferrarius, Manutius, Lambinus, Gruterus *praedes tuos* ediderunt. eamque lectionem Gruterus Mauriciani codicis auctoritate confirmat. Idem.

Exclusis tuis vocibus] *Excussis*, b. l. v. placet. Idem dicit, quod his versibus Tibullus,

Magna loquor: sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausae fortia verba fores.

Vtitur hic ipse pro Sulla, *Qui si attulerint nervos et industriam, mihi crede, excutient tibi istam verborum iactationem.* Ferrarivs. Libri, in quibus et Ien. *excussis*. Sed aliud est *excutere*, adimere scilicet, detrahere, eripere. Verius est, quod in editis quibusdam mansit, *exclusis*, id est, non auditis, non admissis. Plinius IX. Epist. 13. 13. *iniquissimum esse, querelas dolentium excludi.* Hevsing. Barb. ambo, Rom. Ven. Ald. Naug. Cam. et Gryph. *exclusis*, quod servabat etiam Barbadorius. Passim dicitur, *preces, querelas excludere*, ac similia. Sed *voces excludere* hoc quidem sensu non tam est aptum, ac vehemens, quam *excutere*. Significatur enim ferox Antonii vociferatio, de qua modo, *respondisti plane ferociter*, quam Caesar per potestatem, ac vim excussit, ut *excuti maledictum* dicitur pro Domo 28. et *orationis aculei* pro Sulla 16. et quidquid reprimitur, ac vi quadam coërcetur. Itaque nolim a ceteris editis discedere, quos Vat. et meliores quique codices tuentur, quosque secutus est etiam elegantissimus vir Broukhusius ad Tibull. II. 6. 12. Facilis permutatio: cuius rationem docet Barb. sec. in quo scriptum primo fuit *excusis*, deinde lit-

tuis vocibus, et ad te, et ad praedes tuos milites

tera L. superposita. GARATON. *excussis tuis vocibus*] Ita Ien. et Teeg. Probavi, eam lectionem veram esse, olim iisdem locis citatis, quibus usus est Garatonius.

Ad praedas tuas milites misit] *Ad pedes tuos*, liber unus atque alter: in quibus Col. Qui quidem in hanc me opinionem duxerunt, ut emendandum putarem, *praedes tuos:* quod idem hoc loco mihi videtur significare voluisse, quod paulo post iis quae subscripsi verbis, *Ne L. Plancus praedes tuos venderet*: Antonius enim, Pompeii bonis emptis de Caesare, ei praedibus caverat: ad quos, ut etiam ad Antonium, cum dependere nollet, misisse milites Caesarem, verisimile est. Id argumentum etiam nonnihil sententiam meam confirmat, quod in loco supra prolato non solum Col. sed etiam Lang. et alii aliqui libri non *praedes*, sed *pedes* scriptum habent. Ibi autem *praedes* esse scribendum, apud hunc ipsum libro XII. epist. ad Attic. de hac ipsa re loquentem apparet. *Heri* (inquit) *cum ex aliorum litteris cognovissem de Antonii adventu, miratus sum, nihil esse in tuis: sed erant pridie fortasse scriptae, quam datae: neque ista quidem curo: sed tamen opinor propter praedes suos accurrisse.* FERRAR. *Ad praedes tuos*] Recte indicarat Ferrarius ita legendum, et ita in optimo libro legitur. MVRETVS. *Et ad praedes tuos milites misit*] Ita coniecit quidem Ferrarius, sed firmat Mauricianus noster. vulgo, *praedas tuas.* GRVT. Firmat etiam Coloniensis. GRAEV. *Praedes tuos*] Cicero in Verrem de Praetura urbana: *Vbi illa consuetudo in bonis praedibus, praediisque vendendis, omnium Consulum, Censorum, Praetorum, Quaestorum denique, ut optima conditione sit is, cuia res sit, cuium periculum.* Vbi Asconius: *Bona praedia dicuntur bona satisdationibus obnoxia, sive sint in mancipiis, sive in pecunia numerata, praedia vero, domus, agri, haec omnia venduntur, si rationi publicae locator sartorum tectorum non responderit.* Ibidem Cicero: *Praedibus et praediis populo cautum est*, etc. Vbi rursus Asconius: *Aerario scilicet, et praedibus, et praediis. Praedia sunt res ipsae, praedes homines, id est, fideiussores, quorum res bona praedia non uno nomine dicuntur.* Varro libro 4. de lingua: *Praedia dicta item ut praedes a praestando, quod ea pignori data* (legitur in margine, *quod eo pignore dato*) *publice mancupes fidem praestent.* vel, ut e veteri libro legit Turnebus, *quod ea pignori data, ut publice mancupes fidem praestent.* Praedes igitur Antonii fuerunt, qui in sectione bonorum Pompeii tanquam fideiussores populo Romano bona fidemque suam obligarunt, ut pecunia pro emptione bonorum Pompeii debita aerario solvere-

misit: cum repente a te praeclara illa tabula prolata. Qui risus hominum? Tantam esse tabulam, tam varias, tam multas possessiones, ex quibus praeter par-

tur. Vide dicta pro Cornelio Balbo: *Qu. Scaevola ille augur, cum de iure praediatorio consuleretur, homo iuris peritissimus, consultores suos nonnunquam ad Furium et Casellium praediatores reiiciebat.* Et pro Rabirio Postumo: *Si aut praedes dedisset Gabinius, aut tantum ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, populus recepisset.* Abram.

Cum repente] Ex improviso, nemine expectante, aut opinante, te id esse facturum, bona tua proscripsisti, tabulasque rerum tuarum, quas auctione publica vendere cupiebas, proposuisti, ut, auctione facta, pecuniis inde redactis solveres Caesari pecuniam, quam pro domo Pompeii, pro hortis, pro sectione debebas. Risum autem hominum fuisse de Antonio dicit, qui, cum longam rerum suarum seriem videri vellet texuisse, non sua, sed aliena bona proscripsit, et multorum possessiones, in quas contra ius fasque invaserat. Abram.

Illa tabula] De more, nam qui auctionem faciebant bonorum, quae hastae publicae subiicerent, iudicem in tabula sive libello scriptum proponebant. Pro Quintio: *Cuius bona venierunt*, etc. *cuius bona ex edicto possidentur, huius omnis fama et existimatio cum bonis simul possidentur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certe tacite obscureque conceditur.* Plutarchus in Cicerone: Ἐπεὶ δὲ Φαῦςος ὁ Σύλλα τοῦ μοναρχήσαντος ἐν Ῥώμῃ, καὶ πολλοὺς ἐπὶ θανάτῳ προγράψαντος, ἐν δανείοις γενόμενος, καὶ πολλὰ τῆς οὐσίας διασπαθήσας, ἁμαρτίαν (locus mendosus. emenda τὴν οὐσίαν) προέγραψε, ταύτην ἔφη μᾶλλον αὐτῷ τὴν προγραφὴν ἀρέσκειν, ἢ τὴν πατρῴαν. *Cum Faustus Sullae Dictatoris filius, qui multos proscripserat, grandi aere alieno contracto, magnaque divitiarum parte dissipata, bona proscripsisset, dixit, hanc proscriptionis tabulam sibi magis quam paternam placere.* Idem.

Qui risus hominum de te erat] Tres ultimae dictiones non sunt in antiquo libro. et certe sine lepore sunt, et sine gratia. Faernvs. Vaticanum expresserunt Faërnus, Lambinus et Manutius, me valde probante. Graev. Has voces, quas a suis etiam aliquibus abesse notavit Lambinus, retinuerunt tamen Grut. et omnes recentiores, et olim retinendas censuit Barbador. Ego non dubito, quin sint ab interprete. II. ad Q. Fratr. 6. *tabulam proscripsit, se familiam Catonianam venditurum. In eam tabulam magni risus consequebantur.* Gar.

Praeter partem Miseni] Supra: *Quid erat in terris, ubi in*

tem Miseni nihil erat, quod is, qui auctionaretur, posset suum dicere. Auctionis vero miserabilis adspectus; vestis Pompeii non multa, eaque maculosa; eiusdem quaedam argentea vasa collisa; sordidata mancipia; ut doleremus quidquam esse ex illis reliquiis, quod videre possemus. Hanc tamen auctionem heredes L. Rubrii decreto Caesaris prohibuerunt.

tuo pedem poneres, praeter unum Misenum, quod tu cum sociis tanquam Sisaponem tenebas. Non igitur totum Misenum, id est, villam ad radices montis Miseni sitam, sed duntaxat eius partem possidebat. Abram.

Qui auctionaretur] Antonius, qui bona sua proscribebat, ut addicerentur ei, qui pretium magis auxisset. Fulgentius de prisco sermone: *Auctio dicitur venditio, quasi quod et ementem augeat, et vendentem.* Plautus Curculione:

Auctionem facio parasiticam. Valla lib. 4. elegant. cap. 32. dicit, esse venditionem quandam in publico ac celebri loco. Et hinc auctionari publice et fere sub hasta vendere, non ea quae ad esum spectant, sed ea quae ad supellectilem, atque ad alios usus, nec fere nisi quae penes alium in usu fuerunt. Non video tamen, cur ea, quae ad esum spectant, non possint subiici auctioni. siquidem auctionari videtur aliud esse nihil, quam rem quamlibet venalem proponere, ut ei addicatur, qui licitando pretium auxerit. vulgo dicimus, *laisser au plus offrant et dernier encherisseur.* Quod etiam fiebat in licitatione vectigalium. Caius D. *Licitatio vectigalium, quae calore licitantium ultra modum solitae conditionis inflatur, ita demum admittenda est, si fideiussores idoneos et cautionem is, qui licitatione vicerit, offerre paratus sit. Ad conducendum vectigal invitus nemo compellitur.* Idem. Vatic. *quod qui auctionaretur.* Gar.

Auctionis vero] Subiicit oculis quandam veluti faciem auctionis, ut ex eo colligatur, quam impure bona Pompeii dissiparit. Nam cum prius fuisset, *Maximus vini numerus, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa et lauta supellex et magnifica multis locis, cum conchyliatis Pompeii peristromatis lectos stravisset,* vestis Pompeii non multa, sed maculosa subiecta fuit auctioni, etc. Adverte, quemadmodum singula verba minuant. Abram.

Sordidata mancipia] *Mancupia,* Lang. ut Varro de lingua Lat. *in lege mancupiorum.* Ferrarius. *sordida mancipia*] Graev. recepit *sordidata.* v. Pis. 27. *servi sordidati.* Habent eandem lectionem Tegg. et Gud. et Ien.

Heredes L. Rubrii] Antonius

Haerebat nebulo; quo se verteret non habebat. Quin his ipsis temporibus domi Caesaris percussor ab isto missus, deprehensus dicebatur esse cum sica. De quo Caesar in Senatu aperte in te invehens questus est.

XXX. Proficiscitur in Hispaniam Caesar, paucis tibi ad solvendum propter inopiam tuam prorogatis

in possessiones L. Rubrii Cassinatis contra ius et fas, subiecto testamento, exclusis veris heredibus, repentinus heres invaserat. Hi igitur repetentes ab Antonio bona Rubrii, quae per fraudem occupaverat, Caesarem adierunt, apud eum de auctione questi sunt, dixerunt, Antonium nonnulla in hanc proscriptionis bonorum tabulam proscripsisse pro suis, quae non ad illud, sed ad ipsos, quibus haec hereditas obvenire debuerat, pertinerent: his auditis Caesar decretum fecit, quo illi muniti prohibuerunt auctionem. ABRAM.

Haerebat nebulo] Sic undique tenebatur, ut expedire se non posset, cum nec auctionem facere posset, nec ullum alium pecuniae undeunde extricandae modum inveniret. IDEM.

Quippe his ipsis temporibus] Pro *quippe* legendum, ut in antiquo libro, *quin*. FAERNVS. *Quin in his ipsis temporibus*] Delendum est illud *in*, auctore Vaticano libro. MVRETVS. *Quippe in his ipsis temporibus etc.*] Ita omnes libri; unde suspicio fuit Guilielmio fuisse, *quippe ni? his ipsis.* ut Cicero significet, merito trepidasse, utpote qui insidiarum etiam manifestus fuerit. GRVT. Verius ex Vaticano Faërnus, Muret. Lambin. Manutius: *quin his ipsis temporibus.* GRAEV. Etiam Barb. ambo, et mei omnes ante Lamb. editi male, *quippe in.* Mox Lamb. pro *de quo* notat alios habere *de qua*, et sic Barbador. vidit esse in MSo. Nostri libri nihil variant: quamquam in Vat. una littera minus, *sicadquo*, pro *sica, de quo.* GAR. Ern. suspicatur, voces *ab isto missus* esse de glossa, sed sine caussa idonea.

Proficiscitur in Hispaniam Caesar] Velleius: *Victorem Africani belli C. Caesarem gravius excepit Hispaniense, quod Cn. Pompeius Magni filius, adolescens impetus ad bella maximi, ingens ac terribile conflaverat, undique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus.* Ad hoc bellum cum proficisceretur Caesar, paucos dies ad solvendum Antonio prorogavit, quod eum videret non esse solvendo. Sed hac etiam vice Antonius Caesari defuit, quemadmodum defuerat bello Africano. ABRAM.

diebus. Ne tum quidem sequeris. Tam bonus gladiator rudem tam cito? Hunc igitur quisquam, qui

Tam bonus gladiator rudem] Tu, qui initio belli civilis tantam in cives Romanos crudelitatem exprompseras, eorumque sanguinem exorbueras, tam cito militiae vacationem habuisti, instar gladiatoris, qui non tam cito, sed cum satis spectatus fuerit, multumque et fortiter in arena pugnaverit, rude donatur, ad indicium libertatis, et vacationis a ludo. Rudis est virga, quam gladiatores cum acceperint, amplius pugnare non coguntur. De rude multa Lipsius lib. 1. Saturn. serm. cap. 15, et lib. 2, cap. 23. Pauca libo. Rudis duplex: tironum et lanistarum. De rude tironum dicere non attinet. De rude lanistarum Charisius: *Rudis, scipio, quem lanista liberandis gladiatoribus gerit.* Glossae: *Rudis*, *ῥάβδος ἡ τῶν ἐπιςατῶν τῶν μονομάχων.* Eius effectus liberatio ab arena. Calpurnius Declamat. 1. in themate: *Redemit eum lanista, et rudem ei in arena dedit.* Quintilianus Declamat. *Quidam, ut patrem sepeliret, se auctoravit: sed die muneris productus sub titulo causae rudem postulante populo accepit.* Hinc tuta rudis Ovidio, quod rudiarii non amplius pugnare cogerentur:

Tutaque deposito poscitur ense rudis.

Accepta rude arma ad Herculis postes figebant. Horatius epistola prima:

Spectatum satis et donatum iam rude quaeris

Maecenas iterum antiquo me includere ludo.

Non eadem est aetas, non mens. Veianius, armis

Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,

Ne populum extrema toties exoret arena.

Nolo plura vel e veteribus corradere, vel ex hac abundante penu depromere. Abram. Elegantem in Vaticano ellipsin heic deprehendi, qui, verbo *accepisti* praetermisso, interrogationem ita relinquit: *tam bonus gladiator rudem tam cito?* Notissima sunt exempla, quorum analogia Vaticani lectio comprobatur. Vnum ponam, quoniam est argumenti quaedam adfinitas, ex Petronio cap. LXX. p. 476. *sponsione provocare, ni* (sic enim legendum, ut vidit Burm., non *si*) *prasinus proximis Circensibus primam palmam.* Subauditur *tulerit.* Garaton. Expungendum esse putavi in textu *accepisti*, quanquam reliqui omnes vocem retinuerant.

Tam cito] Tempus certum fuisse, ante quod rudem accipere non possent, constat e fragmentis Vlpiani: *Enimvero qui in ludum damnantur, non utique consumuntur, sed etiam pileari, et rudem accipere possunt post intervallum. Siquidem post quinquennium pileari, post triennium autem rudem induere iis permittitur.* Abram.

Hunc igitur] Epichirema. Probat, rem Antonii privatam

in suis partibus, id est, in suis fortunis tam timidus fuerit, pertimescat? Profectus est tandem aliquando in Hispaniam: sed tuto, ut ait, pervenire non potuit. Quonam modo igitur Dolabella pervenit? Aut non suscipienda fuit ista causa, Antoni: aut, cum suscepisses, defendenda usque ad extremum. Ter depugnavit Caesar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania. Omnibus affuit his pugnis Dolabella; in Hispaniensi etiam vulnus accepit. Si de meo iudicio quaeris: nollem. sed tamen consilium a

Hispaniensi bello actam fuisse, quia Pompeii liberi domum paternam et patrimonium repetebant, in quae Antonius invaserat, et a quibus exturbatus fuisset, si illi fuissent in integrum restituti. IDEM.

Profectus est tamen aliquando in Hispaniam] *Tandem aliquando*, o. l. v. FERRAR. *Profectus est*] Alio indicio Antonii timiditatem et ignaviam ostendit: quia, postquam diu deliberavit, tandem aliquando statuit in Hispaniam proficisci, sed substitit in Gallia causatus, omnes Hispaniae aditus a Pompeianis obsideri. ABRAM. Ante P. Man. *tamen aliquando*, Barb. sec. *tandem aliquando*, Vatic. *aliquando tandem*, et ita Muretus. Barb. prim. *profectus est tandem in Hispaniam*. GAR.

Quonam igitur modo] A comparatione Dolabellae, qui pervenit in Hispaniam, cum eodem tempore profectus esset, Antonii timiditatem exaggerat. ABRAM.

Ista causa] Factio Caesaris contra rempublicam. IDEM.

Ter depugnavit Caesar] In Thessalia ad Pharsalum cum Pompeio, in Africa ad Thapsum cum Scipione, in Hispania ad Mundam cum liberis Pompeii. IDEM.

In Hispaniensi] Pugna Hispaniensi, ut scribit Hirtius, e Caesaris exercitu *desiderati ad hominum mille partim peditum, partim equitum, saucii ad quingentos.* inter saucios ait noster fuisse Dolabellam. ID.

Si de meo iudicio] Quia periculum erat, ne laudans Dolabellam, qui Caesarem secutus fuerat, damnare videretur partes Pompeii, commode, quid tota de re sentiat, exponit, et ne Dolabellam offendat, constantiam appellat pro pervicacia sive pertinacia. Cuius consilium ab initio quidem reprehendendum fuisse dicit, quia Caesarem contra Pompeium secutus patriae bellum indixit, laudandam constantiam, quia timiditate aut libidine Caesarem non reliquit. IDEM.

Consilium a principio reprehendendum] *A primo*, o. l. s.

primo reprehendendum, laudanda constantia. Tu vero quid es? Cn. Pompeii liberi primum

ut in epist. ad Attic. *Vtinam a primo ita tibi esset visum.* Ferrarivs. *A primo reprehendendum*] Est et hoc in Pall. ac Maur. Grvt. Firmant *a primo* codices Barb. Lamb. et Vatic. idque, postquam receptum a P. Man. fuit, soli repet. Lamb. repudiarunt, homines prorsus inepti. Vide I. F. Gronov. ad Senec. de V. B. c. VII. et ad V. Nat. Quaest. 14. item Davis. et Walker. ad Cic. III. de Fin. 9. et Sciopp. Paradox. Litter. ep. I. quem citat Graev. ad IX. ad Att. 6. ubi Tullianos locos huiusmodi, et hunc ipsum ex Gronovio transcripsit. Garaton.

Laudanda constantia] Imo vituperanda pertinacia, cum consilio male suscepto persistitur. quod frequenter Homerus inculcat, ut 9. Iliados:

— οὐδέ τί σε χρὴ
Νηλεὲς ἦτορ ἔχειν· στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί.
— *Implacabile pectus*
Nec te ferre decet: superi mutantur et ipsi.

Item lib. 13:

Ἀλλ' ἀκειώμεθα θᾶσσον· ἀκεσταί τοι φρένες ἐσθλῶν.
Quaeratur medicina: bonis medicabile pectus.

Nec sane, ut videtur, mens alia fuit Oratoris, sed Dolabellam hic laudat εἰρωνικῶς, ut ipse significat epistola undecima libri 16. ad Attic. Monuerat Atticus, ne hac ipsa oratione, quam ei Cicero legendam miserat, Dolabellam tam impense laudaret. Respondet: *Libenter ea corrigam, quae a te animadversa sunt, eodem iure, quo Rubriana potius, quam quo Scipionis: et de laudibus Dolabellae deruam cumulum. Attamen est isto loco bella, ut mihi videtur, εἰρωνεία, quod eum ter contra cives in acie.* Abram.

Tu vero qui es?] L. Lang. Se. Col. *quid es?* alius non minoris vetustatis, quicum recentiores fere faciunt, *quid censes?* quod probo. Ferrar. *Tu vero quis es?*] Pal. sec. *tu vero quid censes?* Grvt. Sed ego reposui ex Vaticano cum Faërno, Mureto, Manutio, Lambino: *Tu vero quid es?* quamvis non ignorem, cum quem contemnerent, sic locutos veteres esse, ut Ariovistus de Caesare apud Florum: *Cum legati dicerent: Veni ad Caesarem, Quis est autem Caesar? Si vult, veniat, inquit.* Et Tarentini apud eundem: *Qui autem et unde Romani?* Sed moveor auctoritate Vaticani. Graevivs. *Tu vero quis es?*] Cum Vat. et aliis Ienensis, *quid es?* quod doctis non improbatur. Quem ad modum dicimus, *aliquid esse*, ut VI. Epist. 6. Schwarz. ad Tursell. de Partic. XIX. 19. et *nihil esse* (idem CXLVII. 5.), ita hic interrogari videtur, *tu quid es?* h. e. quanti tua opera fuit? ut tacite respondeatur, *nihil.* Hoc probat, dum ostendit, primum ei bellum ad-

patriam repetebant. Esto: fuerit haec partium causa communis. Repetebant praeterea deos patrios,

versus Pompeii filios gerendum fuisse, quod commune fuerat omnium Caesarianorum; tum quod id proprie ad Antonium spectaverat, a quo Pompeii domus repetebatur. Nihilo tamen minus Antonium ab eo bello afuisse ait, adeoque nihili eius operam fuisse. Heusing. Ipse tamen cum Rom. Ven. Ald. Nang. Cam. Gryph. repet. Lamb. et Grut. retinuit, *quis es?* Manut. anno MDXLI. et Car. Steph. *quid censes?* Sed ambo etiam Barb. *quid es?* cum melioribus, idque Verb. Oliv. Lall. et olim Barbador. praetulerunt. V. ad Div. 12. *neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias:* ubi vide Cortium. III. ad Att. 15. *desidero enim non mea solum, neque meos, sed me ipsum: quid enim sum?* De Har. Resp. 20. *Hic vero* (Clodius) *quid est? quid valet?* Confer Heinsium ad Ovid. XII. Heroid. 31. ubi eamdem formulam vindicat, in quam, ut heic, *quis* irrepserat, et apud Iuvenal. I. 74. ex MSis legit, *Si vis esse aliquid,* quomodo etiam duo codices Barb. n. 1466. 2177. aliique duo in Miscell. Amstel. Vol. V. p. 265. cum edatur vulgo *aliquis:* iisque in Miscell. Glossae antiquae MSae adferuntur explicantes, *si vis esse alicuius pretii.* Heic itaque Cicero, cum Dolabellam virum strenuum, constantemque probasset, apte interrogat, *tu vero quid es?* h. e. quid vales? cuius es pretii? ut Antonii nequitiam, et ignaviam statim exagitet. Dolabella malis in consiliis, et partibus fortis fuit: Antonius et communem partium causam, et propriam deseruit. Statim Vatic. *Cn. P. liberi tum primum patriam repetebant.* Garaton.

Patriam repetebant] Si nihil aliud petiissent, quam ut in patriam redirent, et recuperarent rempublicam, non fuisset potior ratio, cur tu contra illos pugnares, quam caeteri, qui duce Caesare Pompeii partes eiecerant: sed repetebant patrimonium, et ipsam domum paternam, quam tu possidebas. Ergo si non Caesaris, saltem tui ipsius caussa Pompeiis bellum inferre debuisti. A religione vero rem exaggerat. Abram.

Fuerit partium haec causa communis] *Fuerit haec partium,* o. l. v. lenior certe constructio. Ferrarius.

Deos penates patrios] Dele vocem *penates,* ex eiusdem auctoritate. Faernus. *Deos, Penates*] Vide Sextianam: *Exterminabit cives Romanos edicto Consul e suis Diis Penatibus? expellet a patria?* et pro Milone. Abram. Iunguntur quidem Dii patrii ac penates, sed nunquam sine copula, ut pro Sulla: *Vos Dii patrii ac penates, qui huic urbi atque imperio praesidetis.* et pro Sextio: *Te, te, inquam, patria obtestor, et vos, penates patriique Dii.*

aras, focos, larem suum familiarem; in quae tu invaseras. Haec cum repeterent armis ii, quorum erant legibus: etsi in rebus iniquissimis quid potest esse aequi? tamen quem erat aequissimum contra Cn. Pompeii liberos pugnare? quem? te sectorem. An tu

Praeterea *patrii* semper cum *Dii* coniungitur, nunquam cum penatibus, qui quamvis essent publici et privati, cum tamen de publicis loquebantur, nunquam addebant *patrii:* nam nulli alii erant in illa urbe aut regione, de qua agebant, quam patrii. Itaque cum in Vaticano non legatur *penates*, id cum Faërno, Mureto, ac Lamb. delevi. sin retinendum sit, legendum *Deos patrios ac penates.* Sed *penates* credo esse interpretationem vocum *Deos patrios*, quae irrepsit ex margine. GRAEVIUS. Abiecerunt vocem *penates* cum Graevio recentiores omnes, quam tamen Lamb. retinuerat. Non obloquor Vaticano; sed tamen, cum soleant *dii penates*, *ac patrii* commemorari, non video, cur idem ἀσυνδέτως facere hic non licuerit, ubi multa eo modo coacervantur; *deos penates*, *patrios*, *aras*, *focos*, *etc.* In eo tantum peccassent editores, quod coniuncte dederant, *deos penates patrios;* nisi tamen eos posset tueri Virgilius, qui IV. Aen. 598. sic loquitur: *Quem secum patrios aiunt portare penates:* item II. 717. *Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque penates:* denique V. 62. *Adhibete penates Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.* Sed praecipue observandus locus, qui contra Graevium facit maxime, remque in aperto collocat, pro Domo 57. *vosque, qui maxime me repetistis, atque revocastis, quorum de sedibus haec mihi proposita est contentio, patrii penates, familiaresque, qui huic urbi, et reip. praesidetis, vos obtestor, quorum ego a templis, ac delubris pestiferam illam, et nefariam flammam depuli.* Hic agitur de Pompeii domo, de privatis, ac familiaribus Pompeiorum diis penatibus, qui iidem *patrii*, quos a publicis unus, opinor, distinguebat locus, quo colebantur. Ita IV. in Verr. 8. *sacra se maiorum suorum repetere abs te dicit, deos penates a te patrios reposcit:* ubi Graev. ex cod. non optimo pro *a te* malebat *atque*, cumque optimi *te* habeant, coniiciebat *te et.* Sunt autem *patrii* tam a patria, quam a patre, ac maioribus. Tullio, et Virgilio adde Horat. II. Serm. 5. 4. *Non satis est Ithacam revehi, patriosque penates* (h. e. domum) *Aspicere.* De diis penatibus fuse Dodwellus App. Praelect. Camden. p. 694. Est autem hac in re locus Halicarnassensis Dionysii praecipuus I. A. R. 67. et egregia ibi adnotatio Sylburgii. GARATON.

Aras] Vide Sextianam: *Ab aris, focis ferrum flammamque depellit.* Varro lib. 4. de lingua: *Loca in urbe pura, areae, a quo potest etiam ara Deum esse, quod pura. nisi potius ab ardore*, etc. Malim a Graeco deducere ἀρά, precatio, vel execratio. unde et Homerus Chrysen nunc ἀρητῆρα, nunc ἱερῆα prima pagina Iliados appellat. Sunt qui aram ab ansa derivent, quod a iurantibus arae manibus teneantur. Fuit autem inter aras et altaria quaedam distinctio: altaria Diis dicata, arae heroibus. Maro Ecloga 5:

— *En quatuor aras,*
Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phoebo.

Arae autem illae domesticae non Deo, sed Lari videntur fuisse consecratae, quem Plutarchus opusculo de fortuna Romanorum ἥρωα οἰκουρὸν, *domesticum heroem*, appellat. Quemadmodum Eustathius βωμοὺς daemonibus, ἐσχάρας heroibus tribuit. Abram.

Focos] Foci domestici suam religionem habuerunt, in quos ciborum primitias et libationes inferebant. Plutarchus opusculo de fortuna Rom. *Virginem, aiunt, Ocrisiam primitias et libamina identidem a mensa regia capientem, ad focos ferre solitam: et aliquando, ut solebat, foco primitias iniecisse*, etc. Vide in orat. pro Sextio. Idem.

Larem suum familiarem] Vide Sextianam: *Illi tum erat reditus in suas civitates, ad suos Lares familiares.* Adde Ausonium:

Nec genius domuum Larunda
progenitus Lar.

Lactantius de falsa religione lib. 1, c. 20. *Quis, cum audiat Deam Mutam, tenere risum queat? Hanc esse dicunt, ex qua sint nati Lares: et ipsam Laram nominant, vel Larundam.* Augustinus lib. 9. de Civitate Dei cap. 11: *Dicit quidem* Plotinus, *et animas hominum daemones esse, et ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt: Lemures seu Larvas, si mali: Manes autem Deos dici, cum incertum est, bonorum eos seu malorum esse meritorum.* His continunt, quae tradit Apuleius libro de Deo Socratis: *Qui posterorum suorum curam sortitus, placato et quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris.* Caetera omitto, quae notatu dignissima. Plutarchus Quaestionibus Romanis parentes, emeritis vitae stipendiis, honore divino cultos fuisse testatur: *Etenim in sepulcris, ut ait Varro, circumvertuntur, tanquam Deorum templa, ita parentum monumenta venerantes, eorumque corporibus exustis, cum primum ossi occurrerint, Deum factum fuisse dicunt eum, qui est demortuus.* Certe Æneas 5. Æneidos Anchisae divinitatem tribuit. Cornelia oratione ad C. Gracchum filium excerpta e libris Cornelii Nepotis: *Vbi mortua ero, petito tribunatum, facito quod lubebit, cum ego non sentiam: ubi mortua ero, parentabis mihi, et invocabis Deum parentem in eo tempore, nec pudet te eorum Deum preces expetere, quos vi-*

vos atque praesentes relictos atque desertos habueris. Ovidius 5. Fastorum:

Praestitibus Maiae Laribus videre Kalendas
Aram constitui, parvaque signa Deum.

Cur autem Praestites cognominentur, sic exponit:

Quod praestant oculis omnia tuta suis.
Stant quoque pro nobis, et praesunt moenibus Vrbis,
Et sunt praesentes, auxiliumque ferunt.

His, inquit Plutarchus Quaest. Rom. problem., *canis adstat, ipse vero caninis vestibus induuntur.* Plures adfert rationes:

Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat. Quae standi cum Lare caussa fuit?
Servat uterque domum: domino quoque fidus uterque est.
Compita grata Deo, compita grata cani.
Exagitat et Lar, et turba Diania fures,
Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.

E dictis animadvertis, duo Larium fuisse genera: alteros Lares fuisse publicos Mutae, quam etiam Laram sive Larundam appellant, filios, quam adamatam a Mercurio scribit Ovidius 2. Fastorum, et addit:

Fitque gravis, geminosque parit, qui compita servant,
Et vigilant nostra semper in aede Lares.

Alteros fuisse privatos, mortuorum animas, quae, ut cum Apuleio loquar, iuste et prudenter vitae curriculo gubernato, posterorum suorum curam sortitae, placato et quieto numine potabantur domos et familias possidere. Cuiusmodi, opinor, in Aulul ariae Plautinae prologo loquens inducitur:

Ego Lar sum familiaris, ex hac familia,
Vnde exeuntem me adspexistis. Hanc domum
Iam multos annos est cum possideo, et colo.

Quae sit autem inter Manes et Lares distinctio, fuse explicamus in Vatinium: *Cum puerorum extis Deos Manes mactare soleas.* Non solum autem domesticis, sed etiam agrestibus rebus videntur praefuisse. Tibullus lib. 1, eleg. 1:

Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis horti
Custos, felicis munera vestra, Lares.

Noster 2. de legibus: *Neque ea, quae a maioribus prodita est, cum dominis tum famulis posita in villae fundique conspectu religio Larium repudianda est.* Fuerunt et Lares Hostilii, de quibus Festus: *Hostiliis Laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant.* Alii Lares navigationibus praesidebant, unde et dicti Lares Permarini. Livius lib. 40. de M. Æmilio Censore loquens: *Idem dedicavit aedem Larium permarinorum in Campo. voverat eam annis quadraginta ante L. Æmilius Regillus navali praelio adversus Praefectos Regis Antiochi.* Item vetus inscriptio su-

pra valvas illius templi fixa: *Eius rei ergo aedem Laribus permarinis vovit.* Θεοὶ videlicet διαπόντιοι. Fuerunt et Lares Querquetulani, de quibus Varro libro 4. de lingua: *Item lucus, Larum Querquetulanum sacellum.* Dicti Querquetulani, quod in Coelio colerentur, mons autem Coelius a querna sylva sive querquetulo. Lares viales. Plautus Mercatore actu 5, sc. 2:

— *Invoco*
Vos, Lares viales, ut me bene iuvetis. —

Dii sunt (inquit Turnebus Adversar. lib. 7, cap. 15.), qui viae praesunt. ut sunt Θεοὶ ἐνόδιοι, quos invocare solent, qui peregre proficiscuntur, et ad viam se accingunt; quo etiam cognomento colebatur Mercurius: erat et Apollo ἀγυιεὺς, sed is a viis urbis nomen habebat. Arnobius lib. 3. adversus Gentes: *Possumus, si videtur, summatim aliquid et de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum Deos esse, ex eo quod Graeci vicos cognominant lauras.* Hinc etiam in compitis culti Lares, quod vicis et compitis praesiderent. Abram.

In quae tu invaseras] Vatic. *in quencumque invaseras*, forte pro *in quaecumque invaseras*, sed non placet. Hinc est, quod Muret. edidit, *in quaecumque tu invaseras*. Gar.

In quae tu invaseras] *Quae tu*, Lang. et alii nonnulli. utraque probabilis. Ferrar. Nulla editionum, quas habeo, praepositionem omisit, quam servant etiam Barb. ambo. Gar.

Haec cum peterent armis ii, quorum erant legibus] *Repeterent*, nonnulli v. l. quod probo. Ferrar. Editur *repeterent* iam inde a Naugerio, et postea *peterent* suo ex cod. adnotavit Barbadorius, quemodo etiam Vatic. Mureto sequente, Barb. uterque, Rom. Ven. et senior Aldus. Gar.

Quorum erant legibus] Quorum erat iusta possessio. Abram.

Tamen erat aequissimum contra Cn. Pompeii liberos Cn. Pompeii pugnare sectorem] Ita Faërnus: at in libro Vaticano aliter scriptum reperitur: *Tamen quem erat aequissimum contra Cn. Pompeii liberos pugnare? quem? te sectorem.* Fvlv. Vrsinvs. *Tamen quem erat aequissimum*] Hic quoque unus est ex iis locis, ex quibus de bonitate atque integritate illius libri, quo usus sum, existimari facile potest. Mvr. Sic sane Muretus edidit, ut legit in libro Vaticano et ipse et Fulvius, quem sequor cum Abramio, quia longe acutius feriunt hae interrogationes, quam si sine iis haec legamus. Graev. *Tamen quem erat etc.*] Ita e Vaticano codice Vrsinus, et Muretus. Vnus e Regiis habet, ut coniecerat Faërnus, *tamen erat aequissimum contra Cn. Pompeii liberos Cn. Pompeii pugnare sectorem.* Lallem. Atqui non coniecturam ullam suam Faërnus, sed omnium notorum codicum lectionem secutus est, uno excepto Vaticano: cui essetne aliquis Regius consentiens, a Lallem. potius monendum fuit: cum is praesertim Vaticani le-

Narbone mensas hospitum convomeres, Dolabella pro te in Hispania dimicaret?

XXXI. Qui vero Narbone reditus? et tamen quaerebat, cur ego ex ipso cursu tam subito revertissem. Exposui nuper, Patres Conscripti, causam reditus mei. Volui, si possem, etiam ante Kalendas Ianuarias prodesse reipublicae. Nam quod quaerebas, quomodo redissem: primum luce, non tenebris: deinde cum calceis, et toga, nullis nec gallicis, nec

ctionem ab uno post Graev. Heusingero adscitam revocaret: quam in reliquis omnibus Regiis fuisse, non est verisimile. Hanc merito collaudant Muret. et Graev. Sic IV. Acad. 40. *vincam animum, cuique adsentiar, deligam. Quem potissimum? quem? Democritum?* GARATON. Ex optima Garatonii interpretatione Vaticani lectio, et supra *tu vero* propter maiorem vim et vigorem sententiae, vel propter maiorem cum textu congruentiam, restituta est, quam Ern. et Schützius deseruissent, et *quid tu censes? et tamen erat aequissimum c. C. P. l. pugnare te sectorem*, lectionem vulgatam imprimendam curassent.

Narbonae] *Narbone*, o. l. perspicue rectum. FERRAR. *In mensas hospitum cum vomeres*] Ex fide eiusdem deleta dictione *in*, quam nec aliqui alii libri habent, ita legendum, *mensas hospitum convomeres*. et paulo post pro *et tamen quaerebat*, *etiam quaerebat*, quod maioris est stomachi. puto tamen legendum *quaerebas*, propter id quod sequitur, *nam quod quaerebas*. FAERNVS. *An tu Narbone mensas hospitum convomeres*] Haud aliter etiam Pal. sec. publicata enim, *in mensas hosp. cum vomeres*. Maur. praeferebat, *hospitium convomeres*. GRVT. Vaticano respondet Coloniensis, quem consului. GRAEVIVS. *An tu Narbone*] Conclusio superioris sectionis ex comparatione cum Dolabella, qui, cum Antonius ebrietati vacaret, ipse pro Antonio in Hispania dimicabat, ne videlicet liberi Pompeii recuperarent remp. et repeterent suum patrimonium ab Antonio occupatum. ABRAM. leg. *in mensas hospitum cum vomeres*. An, *mensas hospitum cum convomeres?* Sed hoc vulgato nihil praestat. Vide c. 25. HEVSING. Cledonius p. 1876. *Cum tu Narbone mensas hospitum convomeres*. Recte; sed non est *cum*, libris Tullianis omnibus invitis, praeferendum. Nam quod plerique habent *cum vomeres*, id factum ex *convomeres*, optimi libri declarant, Vatic. Colon. Pal. sec. et Mauric. atque ipse Cledon. qui cum tribus eorum ignorat insuper praepositionem, ei sane verbo non aptam; quam probe tamen reliqui omnes libri

addunt, exhibentes, *an tu Narbone* (foede multi, *Narbonae*) *in mensas hospitum cum vomeres*, ut II. de Fin. 8. *qui in mensam vomant*. Hoc in iis erat imo necessarium: sed pauciores, egregiosque audio, quamvis a plurimis stet Colotianus. Ita enim fit quodammodo volubilior oratio. Infra c. 41. *ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur.* In ipso Vaticano sic reperi: *an tu tu Narbone mensas hospitium conbomeres:* forte fuit, *an tum tu:* est autem notus, alibique observatus genitivus *hospitium*. GARATON.

Mensas] Noster lib. 2. de Finibus: *Nolim enim mihi fingere asotos, ut soletis, qui in mensam vomant, et qui de conviviis auferantur, crudique postridie se rursus ingurgitent, qui solem, ut aiunt, nec occidentem unquam viderint nec orientem, qui consumptis patrimoniis egeant.* ABRAM.

Narbona reditus?] *Narbone*, o. l. De Narbone Marcio Cicero pro Font. Et Velleius Paterculus, qui hanc coloniam deductam tradit Porcio, et Marcio Coss. Ex quo existimari potest, a Marcio Marcii nomen traxisse. Quod autem sequitur, *reditus? et tamen quaerebat:* id sic L. Col. *reditus eius? quam quaerebat.* c. *reditus eius* placet; *tamen*, non *iam* probo. Sic igitur corrigendum est, *reditus eius? tamen quaerebat.* FERRAR. *Qui vero Narbone reditus et tamen quaerebat*] Aliter est in manuscripto, et fortasse melius: *Qui vero Narbone reditus eius. nam quaerebat* etc. F. VRSINVS. *Reditus? et tamen quaerebat, cur ego*] Ferrarii ms. *reditus eius? iam quaerebat.* unde facit Guilielmius, *reditus eius, qui iam quaerebat*, etc. non placet. certe a vulgato stant Pall. et vetus impressio. GRVT. *Qui vero Narbone*] Qualis fuit, quam propudiosus, quanta nequitia et levitate implicatus reditus Antonii, cum Narbone in Vrbem rediret? ABRAM. Faërnus, Muretus, Manutius, Lambinus ex Vaticano ediderunt: *Qui vero Narbone reditus? etiam quaerebat.* Sed legendum est: *Qui vero Narbone reditus, et iam quaerebas.* *Iam* saepe sic usurpatur in connexionibus, et novi argumenti principiis, ut alibi notavimus. GRAEVIVS. *Et tamen quaerebat*, oratione nuper habita in Senatu. Vatic. *et iam quaerebat*, unde Graev. *et iam quaerebas.* Nihil opus est correctione. Non enim novi argumenti hic principium est, quod ille putat. Quaerit, *qui Narbone reditus?* respondendum erat, *turpissimus*. Sequitur: *et tamen* (nihilo minus) *quaerebat* (in sua oratione), *cur ego ex ipso cursu tam subito revertissem:* cum ipse omnium opinione citius, nulla dignitatis suae ratione habita, et turpissima ex causa, redierit. HEVSING. Rectum esse, *et tamen quaerebat*, nemo inficiabitur. Sed haud minus proba est, ac nulla egens emendatione Vaticani lectio, *etiam quaerebat.* Hinc *iam* in Colot. inde in alio *nam:* in

utroque *eius* aut a glossa, aut ab *et.* Infra XIII. 18. *is etiam queritur conditiones suas repudiatas.* Terent. V. Eun. 2. 21. *etiam ultro derisum advenit.* Sed praestat fortasse ita distinguere: *etiam quaerebat, cur ego etc. revertissem?* ut I. in Verr. 60. *Is mihi etiam queritur, etc.?* et II. ibid. 42. *Is mihi etiam Sthenium litteras publicas corrupisse, causa incognita, iudicabit, etc.?* Quod autem sit planius, *et tamen*, haud scio, an id ipsum prodat interpretem. Nullam denique causam esse, cur adversus omnes libros *quaerebas* cum Faërno, et Graevio emendemus, ostendent ea, quae de his personae mutationibus diximus ad c. 16. Hinc etiam quod mox unus habet Vaticanus, *Exposui nuper Patribus Conscriptis causam reditus mei*, idonea de causa non est ab Faërno, et Mureto probatum. Neque alia est ratio ulla probabilis, cur adoptetur: neque id ego quidem dubito notas P. C. explicantis ingenio tribuere. Garaton. Ern. et Schütz. scripserunt *et tamen*, atque ille nominatim propterea, quod, si Cicero ponere voluisset *etiam*, scripsisset: *atque is mihi etiam q.* quam miram rationem locis illis Ciceronianis a Garatonio supra citatis refutatam habes. Teeg. *et tam.*

Et tamen quaerebat] Antonius, qui tam foede redierat, reditum meum e Graecia, quo post necem Caesaris proficisci decreveram, iamque iter susceperam, mihi obiicit. Abram.

Exposui nuper P. C.] Ex antiquo libro legendum *Patribus Conscriptis*, non enim ad Senatum, sed ad Antonium sermo dirigitur. Faernus. *Exposui nuper*] Quarto Nonas Septembres, ut constat e Philippica quinta, exposuit reditum profectionis et reversionis suae, oratione prima in Antonium. Abram.

Nam quod quaerebas, quomodo redissem] Horum verborum, *quomodo redissem*, duplex potest esse sensus: nam vel de causa, vel de facti circumstantiis possunt intelligi. Quaesisse videtur causam Antonius: Cicero per dilogiam iocularem alio transfert, ut hinc arripiat occasionem in Antonium gravius invehendi, eaque a se removeat, quae retorquentur in Antonii reditum, qui non habitu civis Romani, sed vel militis, vel etiam servi in Vrbem redierat. Idem.

Primum luce, non tenebris] Reditus in tenebris frequenter obiectus, ut in Pisonem: *Nonne tibi nox erat pro die? non solitudo pro frequentia? caupona pro oppido?* Libro 3. ad Quintum Fratrem epistol. 1: *Gabinius* IV. *Kalend. Octob. noctu in Vrbem introivit.* Id enim faciunt admissi flagitii conscientia, ut milites a Caudina clade redeuntes, *Captorum habitu vultuque ingressi in urbem, ita se in suis quisque tectis abdiderunt, ut postero atque insequentibus diebus nemo eorum forum aut publicum adspicere vellet.* Idem.

Cum calceis et toga] Vestitu civis Romani. Qui togam sumebant, calceos etiam sumebant: qui eam deponebant, depositis

calceis, crepidas induebant cum pallio, ut dudum viri docti observarunt ad Pallium Tertulliani. GRAEVIVS.

Nullis nec caligis] *Gallicis*, Aul. Gellius. FERRAR. *Nullis nec gallicis, nec lacerna*] *Caligis*, et hic, et infra habet liber Vaticanus, pro *gallicis*. F. VRSINVS. *Nullis nec gallicis*] Recepta lectio, *caligis*. sed Gellius libro XIII. cap. 20. laudat alterum. GRVT. *Gallicis*] Alias *caligis*. Gellius cap. 20, lib. 13. Noct. Attic. *Senatores vidisset, die feriato tunicis et lacernis indutos, et gallicis calceatos.* et hoc ipso Ciceronis loco *gallicas*, non *caligas* agnoscit, easque soleas esse tradit: *Plerique autem ex iis, qui audierant, requirebant, cur soleatos dixisset, qui gallicas, non soleas, haberent. Sed Castricius profecto scite, atque incorrupte locutus est. Omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimae teguntur, caetera prope nuda, et teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt: nonnunquam voce Graeca crepidulas.* ABRAM. Lacerna fuit vestis militaris, eadem quae chlamys, quae ex castris licentia bellorum civilium in Vrbem est traducta. Fuit amiculum sive pallium laneum apertum, quod ipsi quandoque togae, et hac deposita ferme in locum ipsius togae iniiciebatur tunicae, nectebaturque fibula vel in humero, vel ad pectus. Gallicae fuerunt calceamenta, quae imas tantum plantarum calces tegebant, quales erant crepidae et soleae. Hinc Iuvenalis interpres Graecorum crepidas *Graias gallicula*s exponit: sic enim explicat, quae Iuvenali τροχάδες appellantur, τροχάδες autem exponit Hesychius σανδάλια ἀπὸ τοῦ αἰγείου δέρματος, *sandalia ex pelle caprina*, ut notavit Salmasius ad Historiam Augustam. Non vero ideo notatus est Antonius a Cicerone, inquit Octavius Ferrarius, quod in itinere toga, et calceis usus non sit, id enim praeter morem omnium, qui penulati, et soleati iter faciebant, in Vrbis ingressu togam, et calceos sumebant, quod de se Cicero testatur, sed quod pro penula lacernam, et gallicas, calceamentum soleatum, sumsisset, et ad augendam rei invidiam eo habitu non modo in itinere, sed cum peteret Consulatum, per Galliae municipia et colonias incessisset, in quibus more Romano homines togati versarentur. Octavius Ferrarius de Re Vestiaria lib. 1, cap. 1, partis secundae, ubi vide, ut et in sequentibus capitibus plura de lacernis. Cum tamen addit, se non videre, si *gallicae* legatur cum Gellio pro vulgato *caligae*, et gallicae fuerint soleae, vel crepidae, cur notari potuerit Antonius, si communi pedum tegmine sit usus itineris caussa, sed ideo notari, quod militare calceamentum, caligas, cum militari veste induerit. Haec Ferrarius. Atqui miles erat Antonius, et ex Gallia militari habitu redibat Romam. Non hoc igitur notatur in Antonio, quod in itinere sit usus gallicis et lacerna, sed quod iis usus sit, cum Vr-

lacerna. At etiam adspicis me, et quidem, ut videris, iratus. Nae tu iam mecum in gratiam redeas, si scias, quam me pudeat nequitiae tuae, cuius te ipsum non pudet. Ex omnibus omnium flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi. Qui magister

bem ingrederetur, et postea, quod iis usus sit, cum prensaret candidatus in municipiis et coloniis. Graevius. Non omnes modo, quotquot inspecti fuerunt, Tulliani codices habent *caligis tam* hic, quam infra; verum etiam vetus Rhetor Rufinianus de Fig. c. VI. ita exhibet, *nullis caligis, nec lacerna.* Male Scioppius tamen Gellium XIII. 21. hinc emendabat, cum ille potius veram Tullii lectionem unus servaverit. Nihil usquam facilius fieri potuit, quam *caligis* ex *gallicis.* Verba Gellii potiora haec sunt. Gallicas *autem verbum esse opinor novum, non diu ante aetatem M. Ciceronis usurpari coeptum. Itaque ab eo ipso positum est in secunda Antonianarum.* cvm. gallicis. *inquit*, et. lacerna. cvcvrristi. Primus autem Gellio paruit Hervagius, tum P. Man. suoque, ut monet, repugnante cod. Car. Stephanus: nec Vaticanum audiverunt Faërn. et Lamb. cuius repetitores postea soli a Gellio discesserunt. Garaton.

Lacerna] Palliolo militari, Senatoribus indecoro. Hoc ex Gellio l. c. constat, illud ex Propertio IV. 3. 18. *Texitur haec castris quarta lacerna tuis.* Sequiori tempore promiscue Romani, toga solis Senatoribus in usu relicta, lacernis utebantur. Vide sis Salmasium ad Lampridii Commodum c. xvi. Heusing.

At etiam adspicis me] Famimiliarem compellationem, et reprehensionem interserit, ad leporem orationi concinnandum. Abram. Tursellin. de Partic. LXXV. 3. *et etiam* legere iubet: sed ei nemo, quod sciam, obsecutus fuit. Vide pro Mil. 12. Heusing.

Ne tu mecum iam in gratiam redeas] *Ne tu iam mecum*, c. o. l. v. Refer ad aures: probabunt. Ferrarius.

Ex omnium omnibus flagitiis] *Ex omnibus omnium flagitiis*, L. Col. et certe plus habet concinnitatis. Idem.

Quam quod qui magister c.] *Quam quod* a Col. et nonnullis aliis v. l. abest: quod vehementer probo. Idem. *Audivi. qui magister etc.*] Abieci *quam quod*, volentibus aliquot mss. Ferrarii; respondetque noster Pal. secunt. Gruterus. Rectissime *quam quod* abiecerant P. Man. et Car. Steph. Nescio, cur id Lamb. revocarit, quosdam veteres codices id non habere, tantum adnotans: neque habet certe Vatic. Sed revocaverat antea Muretus. Gar.

equitum fuisse tibi viderere, in proximum annum consulatum peteres, vel potius rogares, per municipia, coloniasque Galliae, a qua nos tum, cum consulatus petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus, cum Gallicis, et lacerna cucurristi.

Tibi viderere] Cum revera Magister Equitum non fuisses, hunc enim magistratum oppressa republica contra leges et instituta maiorum obtinueras. ABRAM.

Peteres, vel potius rogares] Petit Consulatum, qui prensat populum, eiusque petit suffragia: rogat, qui non a populo petit, sed ab eo, qui summam habet potestatem in republica. IDEM. Ratio haec Abramii nulla est. Proprie peti dicebatur a candidato magistratus, tanquam res sibi quasi aliquo modo debita, non rogari, quod vitio vertebatur. Cicero pro Plancio: *neque sic rogabam, ut petere viderer.* Vide ad I. ad Attic. ep. 1. ipsum principium. GRAEVIVS. II. Epist. 6. *ne id, quod petat, exigere magis, quam rogare, et in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur.* HEVSING.

Is per municipia coloniasque Galliae] Vnde pendet *is?* Colon. Franc. Graev. *is, qui per municipia coloniasque Galliae.* Amst. *idque per municipia coloniasque Galliae.* Sed Vaticani codicis auctoritate Faërnus, Muretus et Manutius τὸ *is* deleverunt, et omnino delendum est, etsi nulli libri nos iuvarent. GRAEV. *Is per municipia*] Pronomen *is*, quod in Vatic. non adscribitur, Graevius sustulit. Sed eleganter, praecedente *qui*, sequitur *is*. Vide pro Mil. 18. Tursellin. de Partic. cap. CXXII. n. 7. et 8. p. 448. Bengel. Ind. ad Epist. Cic. p. 936. Neque secundae personae *is* male convenit. XVI. Epist. 8. *Si diutius a nobis afuturus es, is, cuius usum, et suavitatem desiderando sentimus.* XII. 14. *Atque haec omnia is feci, qui sodalis, et familiarissimus Dolabellae eram.* Ienensis non solum retinet pronomen, sed et auget, *is qui:* sed temere. HEVSINGER. Barb. ambo, Rom. et Ven. cum Amstel. *idque.* Sed recte *is* a Lambino est retentum, Faërno, et Mureto contemptis, et repugnante Vatic. in quo mox, *Galliae, qua,* adverbialiter, et deinde, *cum calligis.* GAR. Schütz. et Ern. habent *is per.* Teeg. Gud. et Ien. *is, qui per* etc.

A qua cum consulatus noster petebatur] Absurdissime immissa est ea dictio *noster*, legendumque, ut in antiquo libro, *a qua nos tum, cum consulatus petebatur.* et paulo post addenda dictio *hominis* post *levitatem*, ut sit, *at videte levitatem hominis.* et altero versic. *perpotavit ad vesperam.* quod utrumque et apud Gellium est, et in libro scripto Vaticano. et

At videte levitatem hominis. Cum hora diei decima fere ad Saxa rubra venisset, delituit in quadam cauponula, atque ibi se occultans perpotavit ad vesperam:

deinde *capite obvoluto*, quod Gellius habet, *ore involuto*, numero meliore. Faernus.

At videte levitatem] Faërnus addidit ex Vaticano *hominis*. quod cur spreverint alii praeter Lambinum, ignoro. Graevius. *Levitatem*] Adde *hominis*, quod multi omittunt, Gell. et Vatic. supplent. *Levitatem* explicat Gellius VII. 11. Heusing. Cum Vat. *levitatem hominis* habet etiam Barb. sec. idque merito Verb. Oliv. ac Lall. quoque adoptarunt. Hoc ordine ipso Gell. dum totum locum recitat: sed paullo ante sic adducit haec sola verba, *videte hominis levitatem:* qui melior numerus facile videatur, haud tamen satis firmus. Mox adnotatum est a Barbadorio, in veteri cod. legi, *cum hora die*, pro *diei*, eumdemque illum Barb. sec. ei codici video consentire. Tullio dignum hoc est, ut vidimus ad c. 12. pro Sext. sed non temere admittendum, cum praesertim in Vatic. sit, *cum hora diei fere X.* ut habet Muretus. Gellius, ubi suis verbis loquitur, *quod in caupona delitesceret*, ut Non. p. 86. sed in Tullianis referendis, *cauponula*, eius omnibus, et Cic. MSis conspirantibus. In eod. *occulens* esse mendum ostendit codex Regius optimus, in quo est *occulans* ex *occultans*, ut vere Nonius, et libri Tulliani. Deinde quod Vatic. habet *ad vesperam*, et apud Gell. invenit Faërnus, ab Heusing. reiicitur, nec sine causa. Confer ad II. in Catil. 4. et Oudend. ad Caes. I. B. G. 26. Retinebat *vesperum* etiam Barbador. atque ita sane tum reliqui Tullii codices, quantum comperi, et Nonius, tum apud Gellium scripti, editique complures, quos habeo: ut iam Faërnum suspicer MSo Gelliano usum, quem alius nemo contulerit. Denique male *Cassia* pro *cisio* cod. Barbador. ambo Barberini, Rom. Ven. Ald. Hervag. Postea Cam. emendavit *cisio* ex Naug. ut libri quique meliores habent, et, quos ille ignoravit, Gellius, ac Nonius. Sed ex Nonio id ante praestiterat Beroaldus, quem cum aliis de cisio agentibus citat Cl. Burmannus Sec. Tom. I. Anthol. Lat. p. 309. Garaton.

Cum hora diei decima fere] Duabus horis ante noctem. Veteres enim diem in partes duodecim dividebant: et non a media nocte, sed a solis ortu horas numerabant. Saxa autem Rubra videntur fuisse viculus uno vel altero distans ab Vrbe milliari. Adverte vero singulas circumstantias, quibus res gesta vestitur, et levitas Antonii describitur. Abram.

Saxa rubra] Notant interpretes, Saxa rubra fuisse inter Vrbem et Veios prope Cremeram, ubi ceciderunt Fabii trecenti. Livius lib. 2. de Veientibus: *Fusi*

inde cisio celeriter ad urbem advectus domum venit capite involuto. Ianitor, Quis tu? a Marco tabella-

ad Saxa rubra (*ibi castra habebant*) *pacem supplices petunt, cuius impetratae ab insita animis levitate, ante deductum Cremera Romanum praesidium poenituit.* IDEM. Fuerunt in via Flaminia. GRAEV.

Inde Cassia celeriter ad urbem advectus] *Cisio*, non *Cissio*, emendandum est. brevis enim prima syllaba. FERRAR. *Cisio*] Nonius: *Cisium vehiculi biroti genus.* hunc locum profert, sed legit, *In quadam caupona*, non *cauponula*. Fuit autem id vehiculi genus ad celeritatem comparatum. Pro Roscio Amerino: *Decem horis nocturnis sex et quinquaginta passuum cisiis pervolavit.* Virgilius in catalectis parodia phaseli Catullianae:

Neque ullius volantis impetum cisii
Nequisse praeterire, sive Mantuam
Opus foret volare, sive Brixiam.

Monet tamen Ioachimus Camerarius, legi etiam *Cassia*, id est, Cassia via, cuius mentio 12 Philippica. ABRAM.

Capite involuto] Vide Pisonianam: *Nescio quo e gurgustio te prodire, involuto capite, soleatum.* Adverte tantum moris fuisse, ut lacernis caput obvolverent. Horatius lib. 2, Sat. 7:

Turpis odoratum caput obscurante lacerna.

Eodem trahunt interpretes illud Martialis in apophoretis:

Si possem, totas cuperem misisse lacernas:
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

ABRAM. Lacernae cucullus haerebat, quo caput involvebatur. Horat. II. Sat. 7. 55. Martial. XIII. 137. al. 139. Iuvenal. VI. 330. Pro *capite involuto* Faërn. *capite obvoluto*, Gell. *ore involuto*. HEVSING. Vocem *capite* adversus Gellium defendit locus Plinii III. Epist. 12. et alii plures ab Abramio allati ad c. 6. in Pison. qui agmen eorum ducit locus. Ceterum Livius etiam IV. 12. dixit, *capitibus obvolutis*, XXIII. 10. *haec vociferanti obvolutum caput est.* et loco magis apposito III. 49. *Appius vitae metuens in domum se propinquam foro, insciis adversariis, capite obvoluto, recepit.* Adde Plaut. Mostell. II. 1. 76. Curt. X. 5. 24. etc. Apud Plutarch. in Ant. c. X. Antonius dicitur ad Fulviam deductus ἐγκεκαλυμμένος, unde, quomodo ille hic legerit, non conficias, quamvis Xylander vertat, *obvoluto capite*. Mox ipse Tullius, *caput aperuit:* sed II. de Inv. 50. *os obvolutum est folliculo.* Est utique in Vat. *capite obvoluto*, placuitque Lambino. GARATON.

A Marco] Honoris causa patremfamilias designabant solo praenomine, ut nunc dominum absolute. Horatius lib. 2, Sat. 5:

Quinte puta aut Publi (gaudent praenomine molles

rius. Confestim ad eam, cuius causa venerat, eique epistolam tradidit, quam cum illa legeret flens, (erat enim amatorie scripta, caput autem litterarum, sibi cum illa mima posthac nihil futurum, omnem se amorem abiecisse illim, atque in hanc transfudisse)

Auriculae) tibi me virtus tua fecit amicum.

Persius Sat. 5:

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama, papae! Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit, ita est. has signa, Marce, tabellas.

Abram.

Confestim ad eam, cuius causa venerat, deducitur] In antiquo libro non est verbum *deducitur.* ut forte eo sublato subaudiri debeat *deductus est*, vel *irrupit*, et certe male quadrat id praesentis temporis cum subsequente praeteriti *tradidit*, nisi legamus *tradit:* ut Gellius. Faernus. *Ad eam*] Ad Fulviam, quam Antonius, post Clodii et Curionis, priorum maritorum, necem duxerat uxorem. Abram. Quamvis *deducitur* abesse possit, et a Mureto, summo viro, expunctum fuerit, periculose ceteri sibi visi sunt facere, si deleverint. Est enim ab uno Vat. omissum, et a Gellio agnoscitur. Atqui unus Vaticanus vincit alios simul omnes, ubi aliquid elegans, glossisque obnoxium adfert, quale hoc est. Apud Gellium autem hic locus aliis etiam glossis inquinatur, quas ab ipso profectas numquam existimabo. Mitto in eius cod. Barb. n. 2135. legi, *quis es tu?* Quid similius, quam quod ei ab omnibus libris adfingitur, *ianitor rogat*? Sed nihil urgeo. Certe Lamb. non debuit de coniectura substituere, *deductus est*, nec Faërn. repet. Lamb. Grut. Graev. ac recentiores *tradit* ex uno Gellio recipere, cuius Librarii haud minus, quam nostri hi critici, aequanda verborum tempora censuerunt: cum tamen variari haec a Latinis, ignorare oporteat neminem. Plaut. Merc. Prol. 97. *Hospes me quidam agnovit, ad coenam vocat.* Sed exemplorum seges iam est apud criticos. Nonnulla ex Tullio apud Wopkens. III. Lect. Tull. 7. p. 278. 279. quibus addere permulta licet huic simillima. Atque adeo ipsius Gellii codex Barb. n. 1693. servat cum Tullianis *tradidit:* quod in eiusdem aliis esse puto, quamvis nemo adnotaverit. Garatoni. Omittendum esse puto *deducitur* ex auctoritate Vat. maxime quum loquendi usus ellipsim verbi *veniendi, eundi* facile confirmet. Epp. ad fam. 9, 7. *et nunc non dubito, quin e quis viris* etc. scil. Caesar venturus sit. Ter. Phorm. A. I. Sc. 2. *Ego obviam tibi conabar* sc. ire. Deinde *tradidit* scribendum est, quod in hac tota narratione constanter servatur perfectum.

Gud. *tradidit*. In editione Ernestiana et Schützіana scriptum est *deducitur* et deinde *tradit*.

Amatorie scripta] Vatic. *scripta amatorie*, quemadmodum edidit Muretus. GARATON.

Caput autem litterarum] Summa litterarum haec erat, Antonium cum Cytheride sive Volumnia mima non amplius esse victurum, sed omnem illum amorem, quo mimam illam prosecutus fuerat, abiecisse, et abstraxisse ab ea, et in Fulviam transfudisse. ABRAM.

Sibi cum illa mima posthac nihil futurum] Eodem sensu pro Coelio: *Mulier, quid tibi cum Coelio?* IDEM.

Abiecisse illinc] In antiquo est, *abiecisse illi non*. quam lectionem probo, si negationem dempseris, ita enim et Gellius citat. *illi* autem vel dativus est, pro ab illa, vel adverbialiter dictum, ut *illi mea tristia facta*. idem valet. FAERNVS. *Abiecisse illim*] Sic restituimus, scripturae veteris vestigia secuti. *illim* autem valet *illinc*. LAMBINVS. *Illinc*] Gell. *illius*: sed is in pluribus abit, et memoriae fortasse indulsit. Hic tamen et Ciceronis libri variant. Vatic. *illi non*, Lamb. ex membranis etiam, *illim*: marg. Gryph. *illius*, quod ex coniectura Graev. esse putat, ostendens, se Gellium non consuluisse. HEVSING. Recte, ac vere arbitror editum a Lambino fuisse *illim*, sive diserte id in aliquo suo cod. invenerit, ut ad marginem testatur, sive sit vestigiis persecutus: neque sine codicum auctoritate, quos contulit, idem a Lud. Carrione fuit Gellio restitutum. Vtitur hoc adverbio Cicero etiam VII. ad Att. 13. IX. 14. XI. 17. pro *illinc*, quod plerumque imperiti substituerunt, ut hic in omnibus fere MSis. Vide quoque ad c. 20. de Har. Resp. et ad c. 12. pro Rab. Post. Mendose τῷ *illi* adiectum *non* in Vatic. indicat aliquid tamen addendum esse, nempe litteram M. Apud Gell. ab ed. principe ad Carrionem usque *illius* editum fuisse, ait Gronovius, et ita cod. Barb. 2135. Sed, sive id ab Aleriensi fuerit, cuius praefationem habet is codex, sive ab aliquo antiquiore, praeferri a Gronovio non debuit: quippe quod non esse legitimum, ostendebant ei Gelliani omnes, quos noverat, codices, quos *illi* habere testatur; quomodo alter Barb. et alii a Faërno inspecti, siquidem ab editis hoc nosse ille non potuit, ut ex Gron. colligitur. Iam vero locus Virgilii a Faërno allatus, et eiusdem alii, quibus etiam Victor. ad IX. ad Att. 14. cum veteribus Grammaticis *illi* pro *illic* positum censet, ambigui sunt: certis ex Plauto, et Terentio Pareus in Lex. Crit. p. 568. adiunxit recte Coelianum VIII. ad Div. 15. ubi, praeter codd. in ed. Graev. laudatos, *illi* habent duo Barb. et alius Gilsanii, quem ille sequitur Ind. Lucret. p. 346. Sed h. l. vix potest *illi* pro adverbio defendi, estque *illim* omnino proprium. At Cl. Otho ad Gell. praefert *illi*, tamquam dativum, adducto Plauti loco IV. Aul. 4. 8. ubi Strobilo clamanti, *nihil equidem tibi abs-*

cum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit: caput aperuit; in collum invasit. O hominem nequam! Quid enim aliud dicam? Magis proprie nihil possum dicere: ergo, ut te catamitum,

tuli, subdit Euclio, *at illud, quod tibi abstuleras, cedo;* ubi vide Lamb. Verum neque hic Plautino sali ex ambiguo locus est ullus, neque Tulliano nitori satis, meo iudicio, ita consulitur. Garatonius. Ernesti *illinc* posuit, quanquam id paullo durius hic dictum esse suspicetur. Schütz. habet *illius*. Recte docuit Garatonius, legendum esse *illim*.

Cum mulier] Cum Fulvia fleret Antonii absentiam, Antonius ferre non potuit, etc. Abram.

Quid enim aliud dicam?] Gellius haec ita ignorat, ut bis locum hoc modo recitet. *O hominem nequam! nihil enim magis proprie possum dicere.* Tria verba tollit, *quid aliud dicam*, quibus carere profecto possumus: quae tamen adsunt in Tullianis omnibus MSis. Gar.

Vt te catamitum] Mollem et impudicum. Festus: *Catamitum pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iovis concubinus.* Verum non video, quid faciat ad hunc locum vox ista: vereorque, ne morosiores exclament, frontem mihi periisse, si animi mei sensum exprompsero. Dicam tamen, et ne mihi quid arrogare videar, in medio relinquam. Fortasse Graecis litteris scripserat Orator *κατὰ μῦθον*, librarius Latinis characteribus exscripsit *cata mython*, quod in multis aliis videmus contigisse. Sciolus mendum subesse ratus reposuit *catamitum*. At enim non solet Orator, in orationibus praesertim, Graeca Latinis intexere. Fateor id quidem. Sed tamen in Pisoniana Graecam vocem usurpat: *argentum οἴχεται*. Et quamvis peregrinae voces officiant orationis gravitati, eidem tamen, si suo loco ponantur, nescio quid leporis et suavitatis affundunt, et in nequitiis nugisque Graeca frequenter adhibebant. Notae voces *Ζωὴ καὶ ψυχὴ* ex Iuvenale Sat. 6. Idem vero pene est *κατὰ μῦθον*, atque *nec-opinato*, et *praeter spem. κατὰ μῦθον*, cum Fulvia de te loqueretur, et nimium diu abesse fleret. Sic apud Terentium, *En lupus in fabula.* et primo Æneidos, cum Dido dixisset:

Atque utinam rex ipse noto compulsus eodem
Afforet Æneas, etc.

κατὰ μῦθον, secundum hunc sermonem, nec opinato et praeter spem se ostendit:

— *cunctisque repente*
Improvisus ait: Coram, quem quaeritis, adsum, etc.

Abram. Cicero hic Antonium non potuit *catamitum* vocare. Abram. coniicit, *κατὰ μῦθον, cum Fulvia tecum loqueretur.* Sed in orationibus non ita facile Graeca admiscet Cicero. Latet aliud: alicuius fortasse no-

nec opinato cum ostendisses, praeter spem mulier adspiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti? Et domi quidem causam amoris habuit; foris etiam turpiorem, ne L. Plancus praedes suos venderet.

anen, qui, cum mortuus crederetur, repente vivus apparuit. Ita enim rem eamdem narrat Plutarchus p. 920. Hevsing. Generatim pro impudico, et effeminato *catamitum* hic dici putant Scaliger ad Plaut. I. Men. 2. 35. Vossius in Etymol. et alii. Imo apud Apuleium I. Metam. p. 107. ed. Elm. I. 31. mulier amatum iuvenem *catamitum suum* vocat. Fortasse pro quovis expetito cupide, adamatoque sumebatur. Garaton.

Nec opinato] Tibullus lib. 1, eleg. 3;

Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante:
Sed videar coelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato Delia curre pede.

Insperatus enim amantium adspectus magis oblectat. Id tamen praeter morem factum. Plutarchus Quaest. Rom. problem. 9: *Cur, etiamsi ex agro, aut ex longinqua terra redierint, uxoribus domi residentibus mittunt qui suum adventum denuntient?* Abram. *Necopinato*] Ita scribo, non *nec opinato*. Probat Burm. ad Phaedr. et Drak. ad Liv. IV. 27. 8. Hevsing. Vatic. *necopinato cum te ostendisses*. Gar.

Vrbem terrore nocturno] Cum fama percrebuisset, inquit Plutarchus, per totam Italiam, Pompeios victores, Caesare necato, ad urbem accedere, Romam reversus est Antonius. urbem igitur terrore nocturno, et Italiam multorum dierum metu perturbavit, cum omnes sibi persuaderent, Antonium tam praecipiti cursu rediturum non fuisse, nisi mortem Caesaris et Pompeiorum victoriam certis nuntiis comperisset. Abram.

Et domi quidem] Alteram reditus adeo praecipitis causam refert, ne videlicet L. Munatius Plancus, *cui*, ut ait Manutius, *videtur Caesar in Hispaniam proficiscens hoc mandasse, ut, si Antonius intra dies illos, quos ei ad solvendum prorogaverat, non solvisset, bona praedum venderet.* Idem.

Ne L. Plancus praedes tuos] *Suos*, aut *habuisti*, Ferrarius. *Ne L. Plancus praedes suos venderet*] Pro *suos* antiquus quidem liber *tus*: alii vero omnes *tuos* habent. quod necessario exigit, ut iuxta etiam coniecturam Ferrarii, contra omnium librorum fidem supra emendemus *habuisti*, numero certe meliore, quam *habuit*, praesertim cum, si *suos* legatur, dure se habeat id pronomen hoc modo positum, quamvis forte sustentari possit. Faernvs. *Praedes tuos venderet*] Mauricianus *suos*. quomodo coniecerat legendum Ferrarius, aut re-

Productus in concionem a Tribuno plebis cum re-

scribendum, *habuisti*, et vero *suos* admisit Manutius; *habuisti* Lambinus. Grvtervs. *Praedes tuos*] Bona fideiussorum tuorum, sive praedum, qui tuo nomine bona sua obligarant. Abram. Corruperunt hunc locum, qui hic *praedas tuas* legendum putarunt. Sic enim est in epist. ad Atticum: *Opinor Antonium propter praedes suos accurrisse.* Sic apud Suetonium dicitur Claudius venalis pependisse, cuius bona venalia pendebant. In Colon. etiam *praedes suos* recte scribitur, ut ex coniectura scribendum esse censuerat Manutius et Ferrarius. Graevivs. Errat Cellarius *mancipia* interpretans. *Praedes vendere*, est, non ipsos vendere, sed eorum bona, quae aerario obligata sunt pro debitore. Docent hoc interpretes Suetonii Claud. X. Vide et Cic. XII. ad Att. 19. Hevsing. *Praedes tuos venderet*] Ita omnes Regii codices, et plerique Graeviani. Male in quibusdam vulgatis *praedas tuas*, aut *praedes suos*. Lallem. Iampridem Caelius Secundus Curio ad h. l. notaverat, *praedes* legendum esse, non *praedas*, recteque id verbum explicarat, Tom. III. Collect. Colon. p. 424. Ego vero ubique *praedes* conspicio. Quicumque *praedas* maluerit, abusus est loco superiore c. 29. ubi pessime legebatur *praedas*, et restituerunt *praedes* viri docti ex libris optimis. Quod autem P. Man. Car. Steph. Graev. et Heusing. receperunt *suos*, damnare non ausim. Ita quidem duo soli codices; sed ii satis boni: et melius post haec demum ad secundam personam reditio fit: neque in facillima commutatione pronominum plerosque aberrasse mirer; cum praesertim c. 29. *praedes tuos* recte legatur, idque Librariorum memoriae fortasse nimium insederit. Barb. sec. Rom. et Ven. ita distinguunt. *Et domi quidem causam amoris habuit, foris etiam turpiorem. Ne L. Plancus praedes tuos venderet.* Garaton. Ernesti posuit: *habuisti — tuos venderet*, addens, Graevium sine sensu scripsisse: *suos venderet*, in quo Ern. vehementer erravit. Schütz. eandem lectionem retinuit.

Productus autem in concionem] Vox *autem* non est in multis libris scriptis, maiore gratia, quam adsit, nec multo post, *isti, redisti* sine copula, ut in antiquo libro. ac deinde *iussus es renunciari Consul*, et altero versu, *uterque vestrum*, pro *utriusque vestrum*. Faernvs. *Productus in concionem a Tribuno plebis*] Non licebat privatis agere cum populo, nisi ab aliquo magistratu producti essent. vide dicta in Sextianam et Vatin. Abram. Barb. ambo, Rom. et Ven. *productus in concione.* Primus Aldus, *productus autem in concionem*, quod recentiores omnes retulerunt. Vatic. *productus autem in concione.* Gar.

spondisses, te rei tuae causa venisse, populum etiam dicacem in te reddidisti.

XXXII. Sed nimis multa de nugis: ad maiora veniamus. Caesari ex Hispania redeunti obviam longissime processisti. Celeriter isti, redisti, ut cognosceret te, si minus fortem, attamen strenuum. Factus

Populum in te dicacem etiam reddidisti] *Populum etiam dicacem in te*, o. l. s. FERRAR. *Dicacem*] Populus ex tua oratione dicteriorum occasionem arripuit, ex amphilogia ambiguoque sensu verborum REI. TVAE. CAVSA, quae tam ad rem familiarem, et praedes, quam ad libidines, et amorem referri possunt. ABRAM. Plura P. Baile in Diction. Hist. Crit. v. *Lycoris* adnot. G. HEVSING. Sic etiam Valesius, et recte: nisi quod amoris causam in mima ponit, cum de uxore perspicue agatur. Confer Burmann. ad Petron. cap. XLVII. p. 316. GAR.

Sed nimis multa de nugis] Transitio a nequitia et levitate Antonii, quas ille nugas appellat, ad Consulatum et scelera, quibus in eo magistratu vexavit rempublicam. ABRAM.

Caesari] Caesari post victos Cneium et Sextum Pompeii Magni liberos in Italiam ex Hispania redeunti complures obviam ierunt gratulatum. Antonius autem, ut videtur, iterum Narbonem usque processit, qua in urbe, ut supra dictum est, cum C. Trebonio Caesaris necandi consilium cepit. IDEM. Vatic. *C. Caesari*. GAR.

Celeriter isti] Adverte lepidam celeritatis rationem, ut nimirum Antonius, quoniam bello per timiditatem defuerat, se saltem strenuum et sedulum ostenderet, et hac strenuitate oblitteraret susceptam timiditatis infamiam. ABRAM.

Strenuum] Strenuitas est celeritas in itinere faciendo. Plautus in Aulularia actu 1, scen. 4:

Heus Strobile, sequere propere me ad macellum strenue.

Trinummo actu 3, scen. 7:

— strenue
Curre in Piraeum atque unum curriculum face.

Milite Glorioso actu 4, scen. 8:

— Ire melius est strenue.

Nonnunquam tamen strenuus pro forti. Truculento actu 1, scen. 7:

Non placet, quem scurrae laudant, manipulares mussitant,
Neque illi, quorum lingua gladiorum aciem praestringuit domi.
Strenui nimio plus prosunt populo, quam arguti et cati.

Hirtius ad Ciceronem, quae est epist. 6, lib. 15. ad Atticum: *Noli autem me tam strenuum putare, ut ante Nonas recurram.* IDEM.

Factus ei] *Factus es ei*, o. l. v. valde placet. FERRAR. *Factus es ei rursus*] Eum Caesar occurrentem tanti fecit, ut suo vehiculo exceperit, et cum eo viam tota Italia confecerit, cum eius currum Decimus Brutus, Albinus,

es ei rursus nescio quomodo familiaris. Habebat hoc omnino Caesar: quem plane perditum aere alieno, egentemque, si eundem nequam hominem, audacemque cognorat, hunc in familiaritatem libentissime recipiebat. His igitur rebus praeclare commendatus, iussus es renuntiari consul, et quidem cum ipso. Nihil queror de Dolabella, qui tum est impulsus, inductus, elusus. Qua in re quanta fuerit uterque ve-

et Octavius adolescens, qui post Augusti nomen accepit, sequeretur. Auctor Plutarchus. quod ad invidiam Antonii derivat Orator. Abram. Barb. etiam uterque addit *es*, quod iam inde a P. Man. merito recipitur, et a Vaticano firmatur. Gar.

Habebat hoc] Habebat hanc consuetudinem, hunc morem. Sic Plinius I. Epist. 12. 7. Heusing.

Nequam] Hic *nequam* non est inutilis, nullius usus: sed potius quos Galli *desperatos* vocant, qui luxuria perditi in omne nefas ruunt, ad facinus audaces sunt. VII. Phil. 1. extr. *Irritari Antonium non oportuit: nequam est homo ille, atque confidens: multi praeterea improbi.* Idem.

In familiaritatem] Vide supra: *Id enim unum in terris egestatis, aeris alieni, nequitiae, perditis vitae rationibus perfugium esse ducebas*. Cur autem nequissimum et egentissimum quemque in familiaritatem reciperet, non liquet, nisi forte eadem ratione, qua Dionysius senior impulsus est, qui (ut ait Plutarchus in apophthegm.) *Incusantibus quibusdam, quod improbum hominem, quique civibus esset fastidio, honoraret et promoveret, Atqui, inquit, volo esse, qui maiori, quam ego, apud cives odio habeatur.* Aut imitatus est Philippum, qui *Suadebat, ut eorum, qui in singulis urbibus plurimum possent, tum bonorum, tum improborum amicitia quaereretur, ad utendum aliis, aliis abutendum.* Abram.

His igitur rebus] Ære alieno, egestate, audacia, nequitia. Idem.

Iussus es renuntiari] Invidiose in Caesarem, quod non sibi et amicis magistratus petebat a populo, sed iubebat, ut ii renuntiarentur, quos volebat ad magistratus promoveri. Idem.

Et quidem cum ipso] Caesare, qui quintum inibat Consulatum. Idem.

Nihil queror de Dolabella] Caesar P. Cornelium Dolabellam hortatus fuerat, ut peteret consulatum, suamque in eo adipiscendo operam ei promiserat: mutata deinde sententia promissum Dolabellae consulatum intervertit, ad seque transtulit, contra fidem Dolabellae datam, et ita Dolabella impulsus est Caesaris hortationibus, inductus promissis, elusus contumelia repulsae. Idem.

Vtriusque vestrum] Caesaris et

strum perfidia in Dolabellam, quis ignorat? Ille induxit, ut peteret; promissum, et receptum intervertit ad seque transtulit; tu eius perfidiae voluntatem tuam adscripsisti. Veniunt Kalendae Ianuariae; co-

Antonii. Idem. Faërnus, Muretus, et Lambinus ex Vaticano rescripserunt, *quanta fuerit uterque vestrum perfidia.* quos sequor. Graevius.

In Dolabellam] Ienensis, et ambo Barb. *in Dolabella.* In Vatic. statim, *ille promissum, et receptum intervertit,* mediis omissis, quae abesse profecto possunt. Gar. Ern. et Schütz. habent: *utriusque vestrûm perfidia in Dolabellam,* at ego sequor Vat. uti Muret. Faërnus, Lambinus et Graevius.

Intervertit] Intervertere est rem alteri promissam ad se transferre, et ita malis artibus impedire, ne ad eum perveniat, cui fuerat destinata. Antiochus candelabrum Iovi Capitolino destinarat, id Verres ad se transtulit: de eo Tullius ita queritur Verrina de suppliciis: *Si intellexerint, interverso regali hoc dono, graviter vos tulisse, grata fore vobis populoque Romano sua studia ac dona arbitrabuntur.* Pro domo sua: *Is posteaquam intellexit, posse se interversa aedilitate a Luc. Pisone Consule Praetorem renuntiari, si modo eadem prima littera competitorem habuisset aliquem, aedilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis suis collocavit.* ubi *interversa aedilitate* est, iis, quae ad ornamentum aedilitatis suae ludorumque magno studio quaesiverat, ad privatum emolumentum translatis. Plautus Asinaria actu 2, scen. 2, cum dixisset Leonidas servus de quodam mercatore:

Ait, se ob asinos ferre argentum atriensi Saureae.

Libanum alterum servum ita loquentem inducit:

— istuc ago,
Quomodo argentum intervortam, et adventorem, et Sauream. Abr.

Tu eius perfidiae voluntatem tuam adscripsisti] Tu Caesari contra fidem datam Dolabellam prodenti assensus es. Idem.

Veniunt Kal. Ianuariae] Kalendis Ianuariis inibant Consulatum, quamvis in eo nonnihil variatum. vide Pisonianam. imo caeteros magistratus, excepto Tribunatu plebis, qui inibatur IV Idus Decembris, pro Sextio. Eo die Consules boni, opinor, ominis causa Senatum convocabant. Vide Philipp. 5 et 6. pro Sextio cum dixisset, *Veniunt Kalendae Ianuarii,* narrat, quid eo die actum fuerit in Senatu. et de eodem S. C. loquens illud asserit *in templo Iovis Optimi Maximi factum.* De more; nam auspicaturi magistratum, et ab ipso Iove ducturi primordia se in Capitolium conferebant, et ibi maioribus hostiis immolatis Senatum habebant, et quasi rerum a se gerendarum primitias libabant.

Ovidius 1 Fastorum de Kalendis Ianuariis:

Vestibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.
Iamque novi praeeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Collo rudes operum praebent ferienda iuvenci, etc.

Lib. 4. de Ponto eleg. 1. ad Graecinum Consulem designatum:

Missaque Dii faciant auroram occurrat ad illam,
Bissenos fasces quae tibi primá dabit.
Et quoniam sine me tanges Capitolia Consul, etc.

Paulo post:

At cum Tarpeias esses deductus in arces,
Dum caderet iussu victima sacra tuo.

Eodem etiam die ius dicebant, vectigalia locabant, verba in Senatu faciebant, quantum ex eadem elegia colligi potest. Servos etiam manumittebant, ut docet Claudianus quarto Honorii consulatu, cuius verba pro Milone pluscula referuntur. omnia denique, ut dixi, quae toto anno acturi erant, delibabant. 1 Fastorum:

Postea mirabar, cur non sine litibus esset
Prima dies: causam percipe, Ianus ait.
Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus, quam solitum est, testificatur opus.

Columella lib. 11, cap. 2: *Per hos quoque dies abstinent terrenis operibus religiosiores agricolae: ita tamen, ut ipsis Kal. Ianuariis, auspicandi caussa, omne genus operis instaurent.* Quod autem obiicit Orator, Antonium multa effutivisse iratum, non abs re est, siquidem a iurgiis eo die, ut cum maxime, sibi temperabant:

Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Iurgia: differ opus, livida lingua, tuum.

Imo aliquanto post:

At cur laeta tuis dicuntur verba Kalendis?
Et damus alternas, accipimusque preces?

Neque vero tantum verba dulcia, sed etiam cibos dulces boni ominis caussa sibi missitabant:

Quid vult palma sibi, rugosaque carica? dixi,
Et data sub niveo condita mella cado?
Omen, ait, caussa est, ut te sapor ille sequatur,
Et peragat coeptum dulcis ut annus iter.

Martialis lib. 8, ep. 33:

Hos linitur sputo Iani caryota Kalendis,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.

Et lib. 13, ep. 27:

Aurea porrigitur Iani caryota Kalendis.

Vide Senecam epistola 87: *Nus-*

gimur in Senatum: invectus est copiosius multo in istum, et paratius Dolabella, quam nunc ego. Hic autem iratus quae dixit, dii boni? Primum cum Caesar ostendisset, se, prius quam proficisceretur, Dolabellam consulem esse iussurum; quem negant regem, qui et faceret semper eiusmodi aliquid, et diceret;

quam sine caricis, etc. *quotidie mihi annum novum faciunt.* Stipem etiam in manus Iani conferebant. ibidem:

> *Tu tamen, auspicium cur sit stipis utile, quaeris,*
> *Curve iuvent nostras aera vetusta manus.*
> *Æra dabant olim: melius nunc omen in auro est,*
> *Victaque concessit prisca moneta novae.*

Quem stipis capiendae morem a Iano ad se traduxit Caligula. Tranquillus cap. 42. *Edixit et strenas ineunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo aedium ineunte anno Kalendis Ianuariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat.* Abram.

Invectus est copiosius multo in istum et paratius Dolabella] Dolabella cum videret, interversum esse consulatum ad Caesaremque translatum, iniquo ferens animo contumeliam, nec ausus tamen palam de Caesare conqueri, orationis aculeum in Antonium convertit, eique perfidiam exprobravit, ut per eius latus Caesar peteretur. Antonius autem repente excanduit, et tot probra in Dolabellam evomuit, ut indignarentur Patres Conscripti, ipse Caesar pudore suffusus ob impudentiam collegae, ut altercationem illam sedaret, et Dolabellae faceret satis, promisit, se, priusquam ad bellum Parthicum proficisceretur, Dolabellam suo loco suffecturum in Consulatu. Idem.

Prius quam proficisceretur] Cogitabat, ut scribit Tranquillus in eius vita cap. 44, *Dacos, qui se in Pontum et Thraciam effuderant, coërcere, mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem*, etc. Imo, ut scribit Plutarchus, *Parabat et instituebat Parthos bello petere: his subiugatis, per Hyrcaniam secundum mare Caspium et Caucasum circuire Pontum, et ita Scythiam invadere, incursatisque, quae Germaniae circumiecta sunt, ac Germania ipsa, per Galliam regredi in Italiam, atque hunc orbem committere, imperiumque undique Oceano terminare.* Abram.

Consulem esse iussurum] Ex verbo invidiam quaerit, quod Caesar in mandandis magistratibus, non expectato populi suffragio, summam potestatem sibi vindicaret. Videtur Caesar nihil omnino iuris populo reliquisse in mandando consulatu. Nam, ut auctor est Tranquillus cap. 76, *Bi-*

sed cum Caesar ita dixisset, tum hic bonus augur eo se sacerdotio praeditum esse dixit, ut comitia auspiciis vel impedire, vel vitiare posset, idque se facturum esse asseveravit. In quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite. Quid enim? istud, quod te sacerdotii iure facere posse dixisti, si augur non esses, et consul esses, minus facere potuisses? Vide, ne etiam facilius. Nos enim nuntiationem solum habemus, consules, et reliqui magistratus etiam

nos Consules substituit sibi in ternos novissimos menses: ita ut medio tempore comitia nulla habuerit praeter Tribunorum et Ædilium plebis. Quo pacto nullis habitis comitiis Dolabellam sibi substituere decreverat. et cap. 41: *Comitia cum populo partitus est, ut, exceptis consulatus competitoribus, de caetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur: pro parte altera, quos ipse dedisset.* Idem. Antequam ad bellum Parthicum proficisceretur (Sueton. Caes. XLIV. Plutarch. Caes. p. 735.), Dolabellam Consulem in suum locum esse suffecturum. Plutarch. Ant. p. 921. Hevsing.

Sed cum Caesar] Post parenthesin *sed* vim habet verbi *inquam*, et continuat orationem, ut supra c. 4. infra c. 41. I. de Offic. 30. Plin. V. Epist. 3. 5. Sic *verum* pro Rosc. Am. 43. *autem* I. de Offic. 1. *igitur* IV. in Catil. 11. infra c. 37. Idem.

Tum hic bonus augur] Antonius (quem εἰρωνικῶς bonum augurem appellat ob eius impudentiam inscitia implicatam) se augurem esse dixit, ac proinde posse comitia vel impedire, antequam fiant, vel vitiare, cum facta fuerint. Idem.

Idque se facturum esse asseveravit] Recte Barb. sec. *idque se facturum asseveravit:* neque ita modo codex notae praestantioris Colon. sed etiam, *idque facturum.* Tam pronominis *se*, quam verbi *esse* ab egregiis auctoribus facta praetermissio ab imperitis fuit repudiata saepissime, atque suppleta. Garaton.

Quid enim?] Vatic. *quid enim est istud, quod te sacerdotii iure facere posse dixisti?* Idem.

Vide etiam ne facilius] *Vide, ne etiam,* o. l. s. recte. Ferrarius.

Reliqui magistratus etiam inspectionem] Varro de lingua Lat. *Spectare dictum,* inquit, *ab specio antiquo, quo etiam Ennius usus est. Vos epulo postquam spexit. et quod in auspiciis distributum est, qui habeant spectionem, qui non habeant.* Sex. quoque Pompeius: *Spectio,* inquit, *in auguralibus pro aspectione ponitur.* Horum auctoritate ductus octo abhinc annis *spectionem* emendaram. opinionem meam L. Col. appro-

bavit. IDEM. *Magistratus etiam inspectionem*] Sic Pall. sic Gembl. Lil. Maur. non *spectionem*, quod receperunt Manutius ac Lambinus suasu Ferrarii, qui sic reperit in libro uno. GRVTER. *Spectionem*] Festus: *Spectio in auguralibus ponitur pro adspectione.* Spectio *et nuntiatio* data erat iis magistratibus, qui *omne ius* auspiciorum *habent. auguribus spectio duntaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non ut possent impedire nuntiando* quaecumque *vidissent*, at iis *spectio sine nuntiatione data est.* Ita profligatissimum locum, et multis vulneribus confectum, Scaliger emendat. Nos verba, quae vel supplevit, vel mutavit Scaliger, Romano charactere, verba Festi Italico exhibemus. addit Scaliger: *Hoc videndum est in his verbis. Nuntiationem duplicem esse: nuntiationem augurii, quam habebat solum cui spectio erat, hoc est augur, et nuntiationem avocandae concionis, quam solus habebat, qui omne ius auspiciorum habet, hoc est maior magistratus, quae vocabatur obnuntiatio. Cum Philippica secunda dicitur, augures habere nuntiationem, est ius tantum nuntiandi magistratui de eo quod viderit. Consules habere spectionem, quam et augures habebant, et obnuntiationem, quam augures non habebant.* Caeterum ut animi mei sensum expromam, libenter in Cicerone ordinem verborum inverterem: *Nos enim* Augures *spectionem solum habemus, Consules et reliqui magistratus etiam nuntiationem*, vel potius *obnuntiationem.* Sensus est: Nos enim, qui sumus augures, observare tantum auspicia possumus, non autem obnuntiare magistratibus, et quasi iure nostro eos impedire, et concionem ab iis avocare. Etsi putat Scaliger, auguribus nonnunquam obnuntiationem tribui, ut 1. de Divinatione: *M. Crasso quid acciderit videmus dirarum obnuntiatione neglecta*, etc. *Si enim ea causa calamitatis fuit, non in eo est culpa, qui obnuntiavit, sed in eo, qui non paruit. Veram enim fuisse obnuntiationem, ut ait idem Augur et Censor, exitus approbavit.* Verum frustra est Scaliger: haec enim dirarum obnuntiatio non fuit mera nuntiatio augurii, sed obnuntiatio, sive devotio et execratio facta ab Atteio Tribuno plebis, ut constat e Plutarcho et Dione. Legendum autem *spectionem*, non *inspectionem*, liquet e Varrone lib. 5. de Lingua: *Spectare dictum ab specio antiquo: quo etiam Ennius usus,*

, *Vos epulo postquam spexit.*

Et quod in auspiciis distributum est, qui habeant spectionem, qui non habeant, et quod in auguriis Augures dicunt avem specere. Verum ne quid dissimulem, nihil mutare necesse est in ordine verborum Ciceronis. Nam, ut optime Nicolaus Grucchius vir eruditus exponit libro primo de Comitiis Rom. *Dicit Augures nuntiationem auspiciorum tantum habuisse, magistratus vero et spectionem*

et nuntiationem. Vnde intelligi potest, penes magistratus fuisse auspicia, ita ut ne Auguribus quidem fas esset consulere auspicia, nisi a magistratibus iussi essent. His autem verbis auspicari iubebantur: *Quinte Fabi, te mihi in auspicio esse volo:* ut vidimus pro Milone. Abram. Praeter Manutium *spectionem* ediderunt Faërnus et Muretus, Vaticano, ut credibile, approbante, quamvis illius nullam faciant mentionem. Graevius. Ex Numae instituto, et XII. Tabulis ius nunciandi Augures obtinebant, ut, si quid vitii advertissent, comitia prohibere, ne fierent, et iam facta turbare nunciando possent. Cuilibet igitur magistratui auspicanti, antequam cum populo ageret, aderat Augur, eique *in auspicio esse* dicebatur: quo auctore, secundumne, an adversum esset augurium, intelligebat magistratus ille, qui comitia populi edixerat. Erat autem Auguribus aliquid nunciantibus parendum, etiamsi nihil vidissent, et falsa nunciarent: quia illorum dicta, factaque reprehendi a quopiam nolebant, non quod iure suo ementiri quoque possent auspicia. Hinc Cicero c. 33. Antonium vituperat, ut Augurem auspicia ementitum Dolabellae comitiis, populum tamen falsa etiam religione obstrictum fatetur. Pompeius apud Plut. in Cat. Min. Praetoriis comitiis Augur turpissime falsum nunciavit: at illius turpi nunciatione dissolvi comitia necesse fuit. Quod enim apud Festum datur *Auguribus spectio dumtaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non ut possent impedire nunciando;* sic intelligendum videtur. Si Augur sit magistratui in auspicio, spectat, non nunciat; in comitiis populi nunciat, non spectat, ut ait Cicero. Vidimus, quaenam esset *nunciatio* Augurum: nunc de magistratuum *spectione.* Lex Aelia Fufia, de qua III. Epist. 1. multa dixi, dedit facultatem magistratibus servandi de coelo, et obnunciandi, cavitque, ne liceret agere cum populo, quo die de coelo servatum esset. *Servare* autem *de coelo* nihil aliud erat, quam feriam indicere, ex Dione lib. XXXVIII. cum diebus festis haberi comitia non possent. Quamobrem licebat magistratibus multo ante proscribere, se de coelo servaturos, quod Milo fecisse dicitur, h. e. in omnes dies comitiales ferias indicturos. Non enim obnunciabant, quod aliquod vitium animadvertissent, sed quod nollent haberi comitia: proinde et scire ipsi, et dicere aliis poterant, quibus diebus servare de coelo, quos dies declarare festos esse, quibus diebus impedire comitia (nam haec omnia idem plane significant) constitutum haberent. Notandum est discrimen inter *nunciationem* Augurum, et *spectionem* magistratuum. Augures, qui se vidisse aliquid, aut audisse nunciabant, poterant et prohibere, ne comitia fierent, et iam habita vitiare, quia et ante, et post habita comitia contingebat, ut viderent aliquid, aut audirent: non

spectionem. Esto: hoc imperite (nec enim est ab homine numquam sobrio postulanda prudentia) sed videte impudentiam. Multis ante mensibus in Senatu dixit, se Dolabellae comitia aut prohibiturum auspiciis, aut id facturum esse, quod fecit. Quisquamne

tamen ante ipsum diem comitiorum scire poterant, quid aut visuri essent, aut audituri. Magistratus contra, qui diem festum esse nunciabant, multo ante noverant, quid essent facturi, cum semper illud per legem Aeliam, et Fufiam liceret: sed non poterant post habita comitia de coelo servare. Neque enim comitia irrita esse debebant, cum dies ille tum demum festus esse diceretur, et esse coeperit. Ferrarivs. In Vaticano corrupte scribitur, *inspectationem*. Sed *spectionem* recte probat etiam I. F. Gronov. Lect. Plaut. p. 111. qui tamen in Festo cum Cicerone conciliando non fuit plerisque felicior. Sic habent denique Augustin. Scalig. Dacer. ad Fest. etc. Gar.

Nec enim] Ex antiquo libro adde verbum *est:* ut sit, *nec enim est*. Faern.

Nec enim est ab homine numquam sobrio] Non esse ab homine nunquam sobrio postulandam prudentiam diximus in Coeliana. Abram.

Dixit Dolabellae comitia aut prohibiturum, c.] *Dixisse*, o. l. s. ego, *dixit se:* nisi forte eodem modo dictum est, ut illud pro Rosc. Amer. *Tene, cum caeteri socii tui fugerent, ac se occultarent, ut hoc iudicium non de illorum praeda, sed de huius maleficio fieri videretur, potissimum tibi partes istas depoposcisse?* Et Terentii: *Servon' fortunas meas me commisisse futili?* Et Catonis apud Gellium, *Insignitas, iniurias, plagas, verbera, vibices, eos dolores, atque carnificinas per dedecus atque maximam contumeliam, inspectantibus popularibus suis atque multis mortalibus, te facere ausum esse?* quod tamen non placet. Ferrarivs. Barb. ambo, et Rom. ac Ven. *in Senatum dixisse:* quod recte confirmavit Ferrarius. Sed eius coniecturam ex MSorum vestigiis egregie formatam, et iam inde a Man. receptam comprobavit Vaticanus. Gar.

Aut id facturum esse, quod fecit] Vitiaturum esse comitia. infra: *Confecto negotio, bonus augur* (*Laelium diceres*), alio die, *inquit.* Quod autem ait mvltis ante mensibvs, id elatorie dictum. Cum enim Caesar comitiis Dolabellae praefuerit, necesse est ea comitia ante Idus Martias habita fuisse, duobus videlicet mensibus post Kalendas Ianuarias. Abram.

Quisquamne divinare potest, etc.] Hic nec Ciceronem, nec meipsum extrico. Neque enim, qui servare de coelo constituit,

divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de coelo servare constituit? Quod neque licet comitiis per leges, et, si quis servavit, non comitiis habitis, sed prius quam habeantur, debet nun-

magis divinare potest, quid in auspiciis vitii futurum sit, quam is, qui non constituit servare de coelo. quare facile crediderim, nescio quid deesse, et ita verbi causa legendum: *Quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit? vel omnino dicere, se comitia prohibiturum, aut vitiaturum, nisi qui de coelo servare constituit?* Ad captanda videlicet auspicia et obnuntiandum, si quid forte occurrerit, quod comitia prohibere posse videatur. Idem. Sed tu vide Manutii notas. Graev. Vatic. *quisquamne divinare posset*, ut habet Muretus: infra vero, *et qui servavit*, ubi manus recentior adiecit *si*, et certe *qui* restituendum est, ut idem Mur. fecit. Gar.

Quid vitii in auspiciis] Vitium in auspiciis dicitur, cum quid occurrit, quod turbet, sive vitiet comitia. Idem enim esse turbare et vitiare constat e verbis Valerii Messalae apud Gellium lib. 15. Noct. Attic. cap. 13: *Neque Consules, aut Praetores Censoribus, neque Censores Consulibus aut Praetoribus turbant, aut retinent auspicia. at Censores inter se, rursus Praetores, Consulesque inter se et vitiant, et retinent.* Abram.

De coelo servare] Auspicia alia de coelo, alia e terra, alia ex animantibus petebantur: de coelo servare est captare auguria de coelo, et fulmina, fulgura, tonitrua, cometas, faces ardentes, caetera eiusmodi observare. Lucanus:

Nec coelo servare licet, tonat augure surdo.

Idem.

Quod neque licet comitiis per leges] Lex Clodia prohibebat iis diebus servare de coelo, quibus diebus habebantur comitia. Quia tamen Orator hanc legem ab inimico quondam suo latam ubique reprehendit, aliam adhibet rationem. Esto, inquit, fateamur, lege Clodia populum non teneri, sed servari posse de coelo iis diebus, quibus indicta erant comitia, ut ante legem Clodiam licebat: tamen impudentiae te alligasti, quod, qui servavit de coelo, ante comitia debet nuntiare, tu autem, confecto iam negotio, absolutisque comitiis, obnuntiavisti, et ALIO DIE dixisti. Gellius lib. 13. Noct. Attic. cap. 13: *In edicto Consulum, quo edicunt, quis dies comitiis centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua,* NE. QVIS. MAGISTRATVS. MINOR. DE. COELO. SERVASSE. VELIT. Sed ea formula tantum magistratus minores, non autem collegas, qui eadem auspicia habebant, de coelo servare prohibebat. Caesaris autem collega fuit Antonius, nec proinde ea

formula comprehensus: at per legem Clodiam servare omnino cuiquam non licebat. Dio lib. 38: *Legem tulit, ut nemo magistratuum iis diebus, quibus ad populum aliquid decernere oporteret, de coelo servaret.* Eadem etiam clausula nonnunquam addita Senatusconsultis. Pro Sextio: *Decretum in Curia, populi ipsius Romani, et eorum, qui ex municipiis convenerant, admonitu, ne quis de coelo servaret, ne quis moram ullam afferret.* Idem. Quo iure Antonius dixerat, se impediturum Dolabellae comitia? ut Augurenne, an ut Consulem? procul dubio ut Augurem. Non licebat autem Auguri per Legem Aeliam, et Fufiam de coelo servare pro impediendis comitiis. Sed, quia poterat Antonius dicti stultitiam fateri, impudentiam defendere; se quidem stulte dixisse impediturum comitia, ut Augurem, constituisse autem revera impedire servando de coelo, ut Consulem; subiicit orator. Adhuc dictum est impudenter: nam, ut Consul, poteras impedire comitia obnunciando, cum de coelo servasses; habita comitia vitiare servando de coelo non poteras. Antonius praedixerat, se aut impediturum comitia iure sacerdotii, aut vitiaturum. Hoc ille numquam dixisset, nisi de coelo servare constituisset. Tum autem utrumque erat impudentis, seu vellet *impedire* comitia, ut Augur, servando de coelo, *quod neque licet comitiis per leges;* seu vellet iam habita comitia servando de coelo vitiare, ut Consul, *et si quis servaverit, etc.* Manut. distinguit magistratuum comitia a legum comitiis. At ipse supra dixerat, lege Clodia omnino sublatum fuisse ius servandi de coelo, idemque hic ait Abram. Nos iam tamen ostendimus III. Epist. 1. etiam post Clodii tribunatum ius illud viguisse. Deinde Gellius nihil eum iuvat. Si enim Consules edicto vetabant, ne sibi a minoribus magistratibus obnunciaretur, duo necessario consequuntur; tum magistratus maiores, Consules nimirum, et Praetores servare de coelo, et obnunciare potuisse; tum etiam id contra nullam legem fuisse, quod cavebatur edicto, cum ea demum edicerentur, de quibus nulla erat lata lex. Postremo Dion lib. XXXVIII. comitiis non modo legum ferendarum, sed etiam magistratuum creandorum causa habitis fatetur de coelo servatum fuisse. Sic IV. ad Att. 3. de Milone impedituro Aedilicia P. Clodii comitia, cum Trib. pl. esset: *proscripsit, se per omnes dies comitiales de coelo servaturum.* An se facturum quidpiam in Senatu Milo dixisset, quod esset contra leges? an deinde semel, atque iterum obnuncianti contra leges Miloni Metellus Consul paruisset? Sed in re minime dubia versamur. Ferrarius. De coelo servare comitiis magistratuum, legibus erat prohibitum. Tamen et his hactenus id licebat, ut qui id fecisset, ante comitia obnunciaret, non ubi iam habita essent. Poterat et is, qui de

tiare. Verum implicata inscitia impudentia est, nec scit, quod Augurem, nec facit, quod pudentem decet. Atque ex illo die recordamini eius usque ad

coelo servaturus erat, multo ante id praedicare, et proscribere, quo die, per quos dies servaturus esset. Quod qui faciebat, iam divinare videbatur, fore vitium in auspiciis, idque habenda comitia impediturum. Sic fere Manutius. Ergo qui de coelo se servaturum praedixerat, eo ipso comitia impediebat. Actio enim ipsa servandi, etiamsi nihil inauspicati observaretur, prohibendi vim habebat. Vide eund. ad IV. ad Att. 3. et Quaesit. per epist. III. 9. Hevsing.

Implicata inscitia] *Inscientia*, Lang. Ferr. *Verum implicata inscitia impudentia est*] Vetus liber habet, *impudentiae*. F. Vrsin. Ediderunt Faërnus et Muretus: *implicata inscientia impudentia est.* In Colon. non legitur *est.* Mallem quidem cum Vrsini libro *impudentiae*, sed a Vaticano non est recedendum. Impudentia est sexti casus. Inscientia coniuncta est cum impudentia. Antonius est imperitus artis auguralis, et impudens: Declarant sequentia, *nec scit quod augurem*, haec respiciunt inscientiam, *nec facit, quod pudentem decet*, quae pertinent ad impudentiam. Graevivs. Vide ad c. 48. pro Sext. ad c. 35. in Pison. et Fabrit. ad I. de Offic. 34. Gar. Praeferendum esse duco *inscitiam* lectioni Vat. *inscientiam*, quum illam lectionem omnes fere codd. exhibeant atque *inscitia* vulgo sic usurpetur, ut naturae vitio tribuatur, aut ingenii levitati vel tarditati, *inscientia*, ut sit earum rerum, quarum cognoscendarum non opportunitas data fuerit, quanquam haec significatio non semper servatur. vide Gernhardum ad Off. I. 31. Bremii distinctionem ad fat. 16. non omnino probo.

Si nescit, quod augurem, nec facit, c.] L. Col. *nec scit, quod augurem*, c. quod mihi quidem multo elegantius et concinnius videtur. Ferrar. Sic et Mur. et Faërn. Graev. Quod antecedit, *est*, in Ien. (ut in Colon.) non reperitur, scriptum vero *si nescit* pro *nec scit.* Illud *si* ortum ex *est.* Grut. tamen utramque expressit. Hevsing. *Si nec scit*] Voculam *si* delevimus, volentibus MSis. Lallem. Ante P. Man. edebatur, *si nescit*, et ita Barb. prim. nam sec. habet lacunam ab *est* ad *decet.* Ille autem optimi Colotiani lectionem haud recte transcripsit, deditque, *si nec scit.* Tamen omnes postea nolentem Manutium pedibus secuti sunt, exceptis Mur. Faërno, Lamb. Graev. Heusing. et Lallem. qui et Colot. et Vatic. *nec scit* absque *si* exhibentes expresserunt, quibus Coloniensis adiungi videtur a Graevio in V. L. Garaton.

Atque illo die recordamini, c.] *Atque ex illo die*, c. L. a. op-

idus Martias consulatum. Quis umquam apparitor tam humilis, tam abiectus? Nihil ipse poterat: omnia rogabat; caput in aversam lecticam inserens, beneficia, quae venderet, a collega petebat.

XXXIII. Ecce Dolabellae comitiorum dies, sortitio praerogativae; quiescit. Renuntiatur; tacet. Prima classis vocatur; renuntiatur; deinde, ut assolet, suffra-

time: siquidem non illo die solum, sed ex illo die ad Idus Mart. tam abiectus fuit. Ferrar.

Atque ex illo die] Revocate in memoriam, P. C. quam humiliter et abiecte a Kalendis Ianuariis, quibus magistratum iniit, usque ad Idus Martias, quibus Caesar occisus est, gesserit consulatum, ut nullo modo Consulis dignitatem animi magnitudine tueretur, sed instar apparitoris cuiusdam aut lixae Caesarem sequeretur, seque totum ad eius voluntatem effingeret. Abram.

Nihil ipse poterat] Ita Caesar omnem Consulatus potestatem ad se transtulerat, ut Antonius nomen tantum et umbram Consulis sustineret, nihil per seipsum haberet potestatis, tantumque posset, quantum Caesar ipsi permitteret. Idem.

Caput in adversam lecticam inferens] Pro *adversam* in antiquo libro est *aursam*, pro quo nos legimus *aversam:* et pro *inferens* in eo est *inserens*. Faern. Vaticani scripturae subscripsi cum Faërno, Mureto, Lambino. *Inserens* est etiam in Manutio. Graevius.

In aversam lecticam] Qua Caesar gestabatur. Abram.

Ecce Dolabellae comitiorum dies] Caesar promiserat se prius, quam ad bellum Parthicum proficisceretur, effecturum, ut suo ipsius loco Consul fieret Dolabella. Cum itaque comitiorum dies appetisset, populum ad ea comitia convocavit, et ex omnibus centuriis, in quas populus universus describebatur, sortitus est unam centuriam, ut ea omnium prima rogaretur suffragium, cuius nomen e sitella primum sortitione eductum exiisset. Quievit Antonius, nec se interposuit, quo minus fieret illa sortitio. Rogatis, exceptis, diribitisque centuriae praerogativae suffragiis, Dolabella renuntiatur adeptus praerogativae suffragium. Tacuit interim Antonius, et ne verbo quidem significavit, huiusmodi comitia esse vitiosa. Post praerogativam prima classis vocatur intra septa, ut ferat suffragium, et, ut fieri solet, rogantur suffragia. Huius quoque classis voluntate renuntiatur consul Dolabella: quod maior pars illarum nonaginta et octo centuriarum, quae prima classe continentur, ei fuerit suffragata. Sed cum refragarentur aliquot centuriae, neo solius primae classis suffragiis legitimus punctorum numerus

expleri potuisset, secunda classis vocata est ad ferendum suffragium. Ad cuius rei intelligentiam notandum est, populum omnem in quinque classes, et capite censos fuisse distributum, singulas classes quibusdam centuriis fuisse descriptas, ut centum nonaginta treis essent centuriae, et prima classis plures quam caeterae omnes sola contineret centurias. (Erant enim in prima classe 98, in secunda 22, in tertia 22, in quarta 20, in quinta 30. Reliqui omnes, qui non classibus, sed capite censebantur, in unicam erant redacti centuriam.) Quare si prima classis conspirasset, omniumque centuriarum suarum calculo Dolabellam Consulem fecisset, necesse non fuisset ad secundam classem procedere. Vide Dionysium libro 4. Idem.

Sortitio praerogativae] Livius lib. 27: *Galeria iuniorum, quae sorte praerogativa erat, Quintum Fulvium et Q. Fabium Consules dixerat, eodemque iure vocatae reliquae inclinassent, ni Tribuni plebis C. et L. Ariani se interposuissent.* Et lib. 24: *Eodem die cum sors praerogativae ante iuniorum exisset, eaque T. Octacilium et M. Æmilium Regillum Consules diceret*, etc. *Praerogativa iuniorum in suffragium revocata*, etc. Ex quibus colligit Nicolaus Grucchius lib. 1. de Comitiis Rom. eo genere sortis in hac re usos fuisse Romanos, ut in cistam quandam sortes coniicerent; cuius autem centuriae sors prima exisset, ea praerogativa erat. Quod si praerogativa erat una centuria ex quadam tribu desumpta, necesse est, ut prima sortitio fieret inter tribus, deinde altera inter centurias eiusdem tribus; ac tribus quidem, quae prima exisset, ea erat, unde desumenda esset centuria praerogativa: sed quoniam multae erant in una tribu centuriae, necesse erat, ut rursus inter centurias sortitio fieret. Abram.

Praerogativae] Vide Pisonianam: *Cui primam comitiis tuis dederas tabulam praerogativae.* Idem.

Renuntiatur] De duplici magistratuum renuntiatione vide eandem Pisonianam, *Consul es renuntiatus.* Idem.

Prima classis vocatur] Post praerogativam tribus et centuriae iure secundum ius et ordinem a Servio Tullio institutum vocatae ferebant suffragium, ut fuse diximus in Pisonem. Dicebantur autem et intro vocari. Livius lib. 10: *Populus nihilominus suffragia inibat, et ut quaeque intro vocata erat centuria, Consulem haud dubie Fabium dicebat.* Et paulo post: *Cum primo vocatae Q. Fabium Consulem dicerent omnes centuriae.* et alibi passim. Vocabantur autem, qui ius habebant ferendi suffragii, intra septa, videlicet in locum quendam cancellis circumdatum. Ovidius 1. Fastorum diem comitialem ita describit:

Est quoque, quo populum fas
est includere septis.

Lucanus:

Septorumque nefas et clausi
praelia campi.

Ad ea septa transibant per pontes quosdam angustos, et in transitu sua suffragia tabellis inscripta in cistam, sive situlam iaciebant. Noster 3. de legibus: *Ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet, pontes etiam lex Maria fecit angustos. quae si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere, non reprehendo.* Cornificius 1. ad Herennium de Caepione impediente legem frumentariam Saturnini: *Pontes disturbat, cistas deiicit, impedimento est, quo secius lex feratur.* Vide Tranquillum in Iulio, cap. 80. Lib. 1. ad Atticum ep. 13. Ad comitia centuriata, ut inquit Dio, *omnes, qui arma ferre poterant, necesse habebant convenire:* qui sexagesimum aetatis annum excesserant, ut a militia vacationem habebant, ita excludebantur iure suffragii. Vide Festum in *Depontani senes.* Ovidius 5. Fastorum:

Pars putat, ut ferrent iuvenes suffragia soli,
Pontibus infirmos praecipitasse senes.

Cave tamen te verba Ciceronis apud Macrob. 1. Saturn. 5. in errorem inducant, quasi, quos suffragii iure privatos volebant, eos in Tiberim deiecerint. non enim extat, ullum seniorem, qui se ad suffragandum intruderet, in Tiberim fuisse deiectum. Etsi Prudentius libro posteriore in Symmachum:

Praecipitet Scythica iuvenis pietate victum
Votivo de ponte senem, sic mos fuit olim.

Quibus innuit, ita praecipitatos esse sexagenarios, ut neci dederentur. Verum, ut ait Naso:

Corpora post decies senos qui credidit annos
Missa neci, sceleris crimine damnat avos.

Et Nonius: *Sexagenarios per pontem mittendos male diu popularitas intellexit:* cum Varro de vita populi Romani libro 2. honestam causam religiosamque patefecerit: *Cum in quintum gradum pervenerant, atque haberent sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in proverbium quidam putant venisse, ut diceretur, sexagenarios de ponte deiici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.* ABRAM.

Prima classis vocatur: renuntiatur deinde ut assolet suffragia tum secunda classis] Hic locus, qui etiam doctissimos nostrae aetatis homines torsit, multis enim mendis obscurabatur, donec hunc illustravit doctissimus vir Antonius Augustinus, Episcopus Alifanus, qui pro *suffragia tum* emendavit *suffragatum*, pro quo antiquus liber inventus est habere *suffragiatum*, et post *secunda classis* dictionem *vocatur*, ut ita totus locus legatur: *Prima classis vocatur: renuntiatur. deinde ita ut adsolet, suffragatum secunda classis vocatur.* et post non multa legendum, *cum augur iis verbis nuntiat, quibus tu nuntiasti.* FAERNVS. *Prima classis vocatur renuntiatur deinde (ut assolet) suffragia: tum se-*

gatum secunda classis vocatur; quae omnia citius sunt facta, quam dixi. Confecto negotio bonus augur

cunda classis vocatur] Ita est in Victorii editionibus, et Manutii, qui tamen non habet ultimum *vocatur*. Faërnus ex Ant. Augustini coniectura legit *suffragatum:* quam lectionem Ciceronis consuetudo incommodam facit, qui nunquam otiosis verbis utitur. hic vero testatur, se cito dixisse, cum ait, *Citius sunt facta, quam dixi:* nam hic singula fere verba ponit pro singulis sententiis: atqui *suffragatum* otiosissimum verbum fuisset: quanam enim alia de causa classes vocarentur in ovile (modo in hoc vocabulo non errem, cum duo essent loca in campo Martio iuncta; alter, in quo omnes cives promiscue convenirent; alter, in quem ex eo vocatae singillatim classes aut Tribus suffragatum se conferrent) nisi suffragii causa? illud mihi persuadere non possum, quin alterum *renuntiatur* luxatum non sit. Quare ita Pantagathus legendum hunc locum existimabat: *Sortitio praerogativae: quiescit. renuntiatur: tacet. prima classis vocatur: deinde suffragia. renuntiatur: item silet. tum secunda classis vocatur.* haec lectio cur quaedam transferat, intelligi facile potest. sed praeterea duo requirit: primum, aliud esse renuntiari praerogativam, aliud renuntiari eventum suffragiorum: alterum, praerogativam non prius ferre suffragium, quam vocetur prima classis: tum, ea vocata, prius praerogativam, deinde classem ferre suffragium: omnino illa duo, *quiescit, tacet,* desiderant hoc, *item silet*, quod etiam ex illis verbis, *confecto negotio,* elicitur. quid enim opus est illis verbis, *ut assolet*, quum post vocationem et introitum nihil aliud quam suffragium feratur? Fvlv. Vrsinvs. *Renuntiatur: deinde*] Placet emendatio Nicolai Grucchii: *Prima classis vocatur: deinde, ut assolet, suffragia: renuntiatur.* Prius enim est suffragia ferri, quam Consulem renuntiari. Lambinus, *Deinde, ut assolet, suffragatum secunda classis vocatur.* Abram. F. Vrsini argumenta non tanti sunt momenti, ut convellere possint auctoritatem codicis Vaticano, in quo corrupte tantum *suffragiatum* pro *suffragatum* legitur. nec haec vox tam otiosa est, ut videtur Vrsino. Non recedo a Vaticano. Graevivs.

Secunda classis vocatur] *Vocatur* a 1. v. abest. Ferrarivs. Verbum *vocatur*, quod in multis desideratur, abesse, et ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repeti potest. Hevsing. *Suffragatum secunda classis vocatur*] Ita Victor. et Manut. e Vaticano, in quo tamen vitiose scribitur *suffragiatum* pro *suffragatum.* Regii codices cum vulgatis, *suffragia: tum secunda classis*, sine verbo *vocatur.* Lallem. Nondum sanatus mihi videtur locus, quamvis *suffraga-*

(Laelium diceres) ALIO. DIE. inquit. O impudentiam singularem! quid videras? quid senseras?

tum adversus omnes libros admittamus. Quod si admittitur, deleri nolim *vocatur*. At hoc abest a MSis Ferrarii, et ab utroque Barb. item ab edd. P. Man. Car. Steph. Grut. ac Verb. quae retinent *suffragia*. Absurde: nisi tollas etiam repetitum illud *renunciatur*, quod aeque, ac *vocatur*, addi potuit ab iis, quibus erat ea supplendi cura, quae reticentur. Sic enim recte se habebit locus: *prima classis vocatur*, *deinde*, *ut adsolet*, *suffragia*; *tum secunda classis*: *quae omnia etc.* GARATON. Ern. retinuit vulg. lectionem *deinde*, *ut assolet*, *suffragia*. *tum secunda classis*. Schütz. recepit lect. Vatic. qua textus restituitur.

Laelium diceres] Ironia; quia C. Laelius, cognomento Sapiens, in primis augurioruum peritia excelluit. III. de Nat. Deor. 2. *Habeo C. Laelium Augurem*, *eumdemque sapientem*, *quem potius audiam de religione dicentem*. CELLAR. In Vatic. est, *C. Laelium diceres*, suumque inde praenomen Muretus iam Laelio reddiderat. GAR.

Quid videras] Multa auspicia comitia, priusquam haberentur, impedire potuerunt, at vero ea sola, quae de coelo petebantur, poterant vitiare. his autem verbis videndi, sentiendi, audiendi, omnia coelestium auspiciorum genera complectitur, nam audiuntur tonitrua, videntur fulgura, fulmina sentiuntur. Festus: *Quinque genera signorum observant Augures*, *ex coelo*, *ex avibus*, *ex tripudiis*, *ex quadrupedibus*, *ex diris*. de quibus singulis dictum nonnihil pro Milone. Hic de caeteris generibus dicendum non est, quod comitiis iam incoeptis non officerent. vide Ioannem Saraberiensem libro primo Policratici, cap. 13. ubi propemodum omnia congessit: hic autem Orator intelligendus de solis illis auspiciis, quae de coelo petebantur, quod ea duntaxat vel iam incoepta comitia dirimebant. Porro quaedam oculis usurpantur, ut fulgura, et quae rarius contingunt, cometae, faces, lampades, trabes, bolides, chasmata, coeli ardores, coronae, areae, parelia, paraselenae, et alia eiusmodi prodigia, de quibus Aristoteles in Meteoris, Seneca quaestionibus naturalibus, Plinius libro secundo, Livius passim, caeterique historiae Romanae Scriptores, Iulius Obsequens, e recentioribus, ut alios omittam, Conradus Lycosthenes omnia prodigia collegit, quae ab orbe condito ad annum reparatae salutis MDLVII. contigerunt. ABRAM.

Quid senseras?] Terrae motus et fulminum afflatus sentiuntur. Eo ipso anno

— *insolitis tremuerunt motibus Alpes*.

Sed auspicia de coelo quaeruntur. Eodem anno fulmina permulta deciderunt, quibusdamque cella Iovis Capitolini, quae erat

quid audieras? nec enim te de coelo servasse dixisti,

in templo Victoriae, tacta fuit, ut auctor est Dio. Idem.

Quid audieras?] De auditis eodem anno prodigiis Orator quinta Philippica: *Quam legem igitur se Augur dicit tulisse, non modo tonante Iove, sed prope coelesti clamore prohibento, hanc dubitabit contra auspicia latam confiteri?* Item: *En caussam, cur lex tam egregia, tamque praeclara, maximo imbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina et tonitrua ferretur.* Imo, ut scribit Virgilius:

Armorum sonitum toto Germania coelo
Audiit.

Tibullus lib. 2, eleg. 5:

Atque tubas atque arma ferunt strepitantia coelo
Audita, etc.

Vt omittantur boves locutae:

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes.

Sed haec aliaque prodigia, quanquam hoc anno contigerunt, facta sunt tamen post comitia Dolabellae, et Caesaris necem, nam Suetonius, Dio, caeteri, qui magno studio prodigia, quae Caesari necem portendere videri poterant, collegerunt, nullam ullius prodigii coelestis faciunt mentionem. nisi quod Plutarchus ait: *Coelestes fulgores et figuras hac illac noctu circumlatas* ait fuisse conspectas, sed ea, quod noctu contigissent, si comitiis Dolabellae visa fuissent, debebant ante comitia nuntiari, nec potuerunt iam incoepta prohibere. Addit: *Strabo Philosophus narrat, multos homines igneos apparuisse quasi impressionem facientes.* Sed non omisisset Plutarchus, si tam insigne spectrum Dolabellae comitiis evenisset. De quibus comitiis ita loquitur in Antonio: *Progressus ad renuntiandum Dolabellam, Antonio obnuntianti cessit et prodiait dolentem candidatum.* Idem.

Nec enim] Quia, quibus diebus habentur comitia, per leges de coelo servare prohibetur. Idem. Dixerat Kal. Ian. Antonius, se auguratus iure comitia Dolabellae sublaturum: ipso autem comitiorum die, confecto negotio, vitium nuntiavit. Hac in re duo hactenus a Tullio reprehenduntur. Primo dicit, facilius Antonio fuisse, id magistratus iure perficere, si nimirum de coelo servasset. Varro apud Non. p. 92. *quod de coelo auspicari ius nemini sit praeter magistratum.* Cicero pro Domo 15. *negant* (Augures) *fas esse agi cum populo, cum de coelo servatum sit.* Deinde hominis impudentiam coarguit: qui praedixerat, se comitia haec vitiaturum, quasi vitium obortum iri divinare posset; tum in ipsis comitiis dixit tantum, *alio die*, non exprimens, quale vitium obvenerit, ut fidem faceret, nec videretur auspicia ementitus. Nihil scilicet veri proferre poterat, cum nihil vidisset, sensisset, audisset. Poterat autem ea vox,

alio die, sic explicari, ut se de coelo servasse Antonius diceret; in quo falsi redargueretur a nemine. Sed ne hoc quidem sibi perfugium reliquerat. Nam et Kal. Ian. se auguratus iure, non Consulatus usurum praedixerat; et post comitia non dixerat, se de coelo servasse, quia id ante comitia, non iis coeptis, aut demum habitis, nuntiari oportebat. Itaque, ne Dolabellae comitia sua ipse confessione firmaret, defendebat potius, vera se auspicia, ut Augurem, nuntiasse, quibus etiam falsis obtemperari consueverat, ut supra monuit Ferratius. Hinc c. 35. *audiebam quidem, te paratum venisse, quod me de ementitis auspiciis, quibus tamen parere necesse erat, putares esse dicturum.* Quod autem hic additur, *neque hodie dicis*, valet, ne nunc quidem id dicis, postquam cum Dolabella in gratiam redisti, eumque vitio creatum Consulem existimare desiisti: nam ipse intelligis, hoc tibi fore turpissimum. Sed, quoniam viri docti legis Aeliae iussa partim divinant ignota, partim obscurant aperta, statuamus oportet, permissum ea lege fuisse magistratibus, ut, quo die populi comitia fierent, antequam essent haberi coepta, de coelo servarent, et obnuntiarent; qua re comitia impediri necesse esset. Quod ait Tullius c. 32. per leges non licere, *comitiis* servare de coelo, dum peragebantur comitia, significat: sic dicimus, *ludis*, *gladiatoribus*, *etc.* Tum autem generalis est ea vox, neque ullum comitiorum genus, quibus cum populo, plebeve ageretur, excludit. Atque ut id non licebat, coeptis omnium generum comitiis, aeque *γενικῶς* licebat ante omnia comitia: qua de re sunt generales item auctorum loci, et alii singulares, de quibus supra Ferratius. Quod statuimus, omni ex parte praestat cum Tullio etiam Dion Cassius XXXVIII. 13. quem tamen Leunclavius emendando, atque, prout emendaverat, convertendo corrupit. Confer Cl. Reisk. T. 1. Anim. ad Auct. Gr. p. 45. in Dion. Cass. Ego locum, quem ope aliqua egere fatendum est, non tam emendandi, quam sensus indicandi causa, ita lego. *Τοῦτό τε οὖν ἰδιώτατον ἐν αὐτῷ* (scilicet *οἰωνίσματι ἐκ τοῦ οὐρανοῦ*) *ἦν, ὅτι* (sic Reiskius; MSi *καὶ ὅτι*) *ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων ἁπάντων . . . τὰς δὲ δὴ τοῦ δήμου διαψηφίσεις πάντως ἐπέσχε* (ita Reimar. *ἐπισχεῖν* MSi, Reisk. fuisse putat *εἰώθει*, ut *οἷόν τε ἦν ἐπισχεῖν*), (*καὶ ἦν πρὸς αὐτὰς ἀεὶ διοσημεῖα*), *εἴτε ἐναίσιον, εἴτε ἐξαίσιον ἐγένετο.* *Hoc igitur ei auspicio* (servandi de coelo) *maxime proprium erat, ut in ceteris quidem rebus omnibus etc. populi autem comitia omnino prohiberet* (*eratque, cum de coelo servabatur, id semper ante comitia faciendum*) *sive secundum, sive adversum eveniret.* Perabsurdum erit *ἀεὶ*, nisi ad voluntatem de coelo servantis referatur. Cavendum est item, ne secus, ac postulat c. 32. ipse Cicero, eius verba interpretemur de Prov. Cons. 19. *cum lex feratur, de coelo servari, obnun-*

neque hodie dicis. Id igitur obvenit vitium, quod tu iam Kalendis Ianuariis futurum esse provideras, et tanto ante praedixeras. Ergo, hercule, magna, ut spero, tua potius, quam reipublicae calamitate

tiari, *intercedi licere.* Porro *servare de coelo* Varro explicat *auspicari de coelo.* Tamen celeb. Ernestus in Ind. Leg. hoc ad fulmen solum, et tonitru existimat pertinere. Notum est ex II. de Divin. 18. *Iove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas.* Atqui etiam Augures id vitium nuntiare poterant, quod haud minus habenda, quam haberi iam coepta comitia tollebat, ut vel ex uno Plutarcho patet Cat. Min. cap. XLII. Sed confer inprimis V. Phil. 3. Ferratii opinio, servare de coelo idem esse, ac feriam indicere, percommoda est: praecipue ad explicandum, cur actus ipse servandi de coelo per se comitia impediret. Quod ita esse, cum fateri omnes oporteat, causae adferuntur parum idoneae. Sed, quamvis constet, feriis indicendis comitiales dies eximi, tamen demonstrari nequit, coeli spectionem ad eam rem fuisse adhibitam: neque video, ut alia mittam, quomodo ex Dione Ferratius id possit efficere. Quin imo sic ille l. c. *Καὶ τὸ μὲν αἴτιον τῆς νομίσεως ταύτης οὐκ ἔχω φράσαι. Huius equidem instituti causam non habeo dicere.* Me profecto idem fateri non pudet. Porro in Vatic. est: *neque enim, nec hodie.* Huc facit locus Livii VIII. 23. *nec quemquam mortalium exstare, qui se vidisse, aut audisse quid dicat, quod auspicium dirimeret.* Garatonius.

Id igitur obvenit vitium] Nullum igitur revera vitium comitiis intervenit, sed tu ipse finxisti, ut facere decreveras, cum Kalendis Ianuariis eo te praeditum esse sacerdotio dixisti, ut auspiciis vel impedire comitia, vel vitiare posses. Quo tempore divinare non poteras, quid vitii in auspiciis futurum esset, nisi iam tum ementiri auspicia statuisses. Abram.

Futurum esse praevideras] *Provideras*, v. l. v. sequor impressos. Ferrarius.

Tua potius, quam reip. calamitate ementitus es auspicia] Huius rei insigne exemplum est apud Livium lib. 10: *Tertia vigilia noctis iam relatis litteris a collega Papyrius silentio surgit, et pullarium in auspicium mittit. Nullum erat genus hominum in castris intactum cupiditate pugnae: summi infimique aeque intenti erant: dux militum, miles ducis ardorem spectabat. Is ardor omnium etiam ad eos, qui auspicio intererant, pervenit. Nam cum pulli non pascerentur, pullarius auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum Consuli nuntiavit. Consul laetus auspicium egregium esse, et Diis auctoribus rem gesturos pronuntiat,*

ementitus es auspicia: obstrinxisti religione populum romanum: augur auguri, consul consuli obnun-

signumque pugnae proponit, etc. *Altercatio inter pullarios orta de auspicio eius diei, exauditaque ab equitibus Romanis.* Id Spurius Papyrius *ad Consulem detulit. Cui ille: Tu quidem macte virtute, diligentiaque esto: caeterum qui auspicio adest, si quid falsi nuntiat, in semetipsum religionem recipit: mihi quidem tripudium nuntiatum, populo Romano exercituique egregium signum est. Centurionibus deinde imperavit, ut pullarios inter prima signa constituerent. Promovent et Samnites signa, insequitur acies ornata, armataque, ut hostium quoque magnificum spectaculum esset. Priusquam clamor tolleretur, concurreretur que, emisso temere pilo, pullarius ante signa cecidit; quod ubi Consuli nuntiatum est, Dii in praelio sunt, inquit, habet poenam noxium caput.* Abram.

Obstrinxisti religione populum] Alias *obstrinxit*, sed corrupte, ut videtur. Obstrinxisse vero dicitur Antonius populum Romanum religione, dum obnuntiaret comitiis, quia religio quaedam et scrupulus in animis hominum residere poterat, quasi populus Romanus contra auspicia Consulem fecerit Dolabellam, et sic auspicia religionesque Deorum violaret, qui scrupulus eo vehementius stimulat et pungit animos, quod tu et Consul et Augur eras, tantamque iure tum magistratus, tum sacerdotii potestatem habebas, quantam ipse Caesar, qui praefuit illis comitiis, et non habita obnuntiationis tuae ratione, Dolabellam Consulem declaravit. unde metuendum est, ne Dii violatarum religionum poenas exigant a populo Romano, et aliquam ei calamitatem importent: sed in tuum caput, ut spero, qui ementitus es auspicia, calamitas illa redundabit, et a te uno supplicium violatae religionis exigetur. Abram.

Augur Auguri] Antonius, qui et Consul erat et Augur, Caesari Consuli et Auguri obnuntiavit. Abram.

Consul Consuli obnuntiavisti] *Nuntiavisti*, o. l. s. et certe omnibus in locis, quibus huiusce rei mentionem facit (facit autem plurimis (semper *nuntiare*, nunquam *obnuntiare* dicit, probo. Ferrarivs. *Consul Consuli*] Valerius Messala citatus a Gellio: *Censores inter se, rursus Praetores Consulesque inter se, et vitiant, et retinent auspicia.* Item: *Consul ab omnibus magistratibus et comitiatum et concionem avocare potest. Praetor et comitiatum et concionem usquequaque avocare potest, nisi a Consule. Minores magistratus nusquam nec comitiatum nec concionem avocare possunt.* Haec lib. 13. Noct. Attic. cap. 14. e quibus vides, cur Consul Consuli obnuntians reli-

tiasti. Nolo plura, ne acta Dolabellae videar convelle-

gione populum Romanum obstrinxerit, quod non fecisset, si Praetor, vel alius magistratus Consuli obnuntiasset. Abram. Ald. Nauger. Camer. Gryph. repet. Lamb. Grut. Verb. Oliv. et Lallem. *obnuntiavisti:* Lamb. Graev. et Heusing. *obnuntiasti.* Sed cum optimo Colotiano, et aliis Ferrarii etiam codices Coloniens: et Graev. item Rom. Ven. P. Man. et Car. Steph. *nuntiavisti,* quod praeferunt Ferrar. et Barbador. firmantque ambo Barb. in quibus, *nuntiasti.* Eadem permutatio apud Liv. XXII. 42. Viri docti iam observarunt, proprium esse Augurum *nuntiare,* magistratuum *obnuntiare.* Neque dubitandum est, quin eadem illa *nuntiatio* Augurum, si a magistratu fieret, *obnuntiatio* diceretur. Constat etiam, ad omne auspiciorum genus obnuntiationem pertinuisse. Postremo magistratibus obnuntiatur, ut passim videmus: res ipsae ab obnuntiantibus etiam *nuntiari* dicuntur, ut supra c. 32. *si quis servavit, non etc. debet nuntiare,* et infra 38. *an quia Tribunus pl. sinistrum fulmen nuntiabat?* Sed tamen qui de coelo servavit, praecipue, et quasi κατ᾽ ἐξοχὴν obnuntiat. Asconius de lege Clodii ad c. 4. in Pison. *ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de coelo servaret: propter quam rogationem ait legem Fufiam, et Aeliam etc. eversam esse: obnuntiatio enim, qua perniciosis legibus obsistebatur, quam Aelia lex confirmaverat, erat sublata.* Clodium autem nullum aliud genus auspicii sustulisse docent Asconii verba, tum Dion l. c. Hinc Cicero de Prov. 19. ex ea lege, *de coelo servari, obnuntiari;* neque id sine causa, ut patet ex c. 36. pro Sext. *si obnuntiasset Fabricio is Praetor, qui se servasse de coelo dixerat:* tamen locis similibus post red. in Sen. 5. et pro Sext. 15. solam obnuntiationem commemorat. Iam vero solet quidem Cicero verbum *obnuntio* refugere, ne Consulare ius intelligatur de coelo servandi, quo non erat usus Antonius. Sed hic ambiguitatem superiora tollebant, et verba ipsa *Consul Consuli* subiiciebant *obnuntiasti.* Aliis locis solius ratio Auguratus habetur, ut mox, *cum Augur iis verbis nuntiat, quibus tu nuntiasti,* et I. 13. *te ipso Augure populi Romani nuntiante,* et V. 3. *quid? quod cum eo collega tulit, quem ipse fecit sua nuntiatione vitiosum, nihilne ad auspicia bonus Augur arbitratus est pertinere?* Est itaque ἀκριβέστατον *nuntiasti* et facile *vitium* subauditur: sed videndum, ne diligentia sit nimia: et altera lectio fortasse praestat, quam certe possessione non moveo, confirmatam praesertim a Vaticano. Garaton.

Nolo plura] Nolo pluribus demonstrare, quantum scrupulum et religionem populo Romano inieceris: ne infirmare videar acta

re: quae necesse est aliquando ad nostrum collegium deferantur. Sed arrogantiam hominis, insolentiamque cognoscite. Quamdiu tu voles, vitiosus consul Dolabella; rursus, cum voles, salvis auspiciis creatus. Si nihil est, cum augur iis verbis nuntiat, quibus tu nuntiasti, confitere te, cum ALIO. DIE. dixeris, sobrium non fuisse: sin est aliqua vis in istis verbis, ea quae sit, augur a collega requiro.

Dolabellae: si enim obnuntiatio tua vim habuit, Dolabella Consul fuit vitio creatus; si vitio creatus, non fuit vere Consul; si non Consul, nihil iure egit et legitima potestate; si nihil iure egit in Consulatu, eius acta omnia convelluntur, nihilque auctoritatis habere debent in republica. ABRAM.

Quae necesse est] Cum respublica istud, quo nunc opprimitur, tuae dominationis iugum excusserit, emerseritque e fluctibus servitutis, necesse est, ut Dolabellae Consulis acta ad Augurum consilium deferantur, ut nos, qui sumus Augures, eane rata esse debeant, an infirma, iudicemus. tunc enim considerabimus, quid de tua obnuntiatione statuendum sit, ut, si valeat, Dolabella iudicetur Consul vitiosus, si non valeat, tu ob ementita auspicia damneris. IDEM.

Sed arrogantiam] Tantum sibi Antonius arrogabat, ut vellet auspicia a sua unius voluntate pendere, Dolabellamque suo arbitrio vel vitiosum Consulem, vel salvis auspiciis creatum esse vellet. Nam cum ante Caesaris necem eum contenderet esse vitiosum, eum occiso Caesare, tamquam salvis auspiciis creatum, sibi consularis potestatis collegam adscivit. Philippica superiore: *Collegam tuum depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum a te ipso Augure populo Romano nuntiatorum, illo primum die collegam tibi esse voluisti.* ABRAM.

Si nihil est] Alio argumento Antonii demonstrat impudentiam inscitia implicatam. quia iis verbis obnuntiavit, quae nullam vim obtinerent: dixit enim ALIO. DIE. quae verba impedire possunt comitia, priusquam resolvantur, habita autem et absoluta vitiare non possunt. IDEM.

Cum ALIO. DIE. *dixeris*] Secundo de legibus 50: *Maximum autem et praestantissimum in republica ius est augurum, cum est auctoritati coniunctum*, etc. *Quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperiis, et summis potestatibus comitia tollere? concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? quid gravius, quam rem susceptam dirimi, si unus Augur* ALIO. DIE. *dixerit? quid magnificentius quam posse decernere, ut magistratu se abdicent Consules? quid religiosius, quam cum populo, cum*

XXXIV. Sed, ne forte ex multis rebus gestis M. An-

plebe agendi ius aut dare, aut non dare? quid legem, si non iure rogata est, tollere? Quomodo igitur nihil est, cum Augur iis verbis nuntiat, quibus Antonius nuntiavit? Quia, opinor, ea verborum formula vim habebat, ut posset Augur rem susceptam dirimere, et comitia instituta dimittere, non, cum volebat, iam habita et absoluta rescindere.. Idem. Errant profecto, qui cum Ferratio putant, vitio, quod post habita, et dimissa comitia obvenerit, ea potuisse rescindi. Nihil minus credibile audivi. Cum vitio creati magistratus abdicare cogebantur; cum leges adversus auspicia latae refigebantur; vitium in ipsis comitiis, aut paullo ante, intervenisse iudicabatur. Neque tamen recte hunc locum explicavit Abramius. Sive paruit Caesar nuntiationi collegae, ut tradit Plutarch. in Ant. c. xi., sive non paruit, ut ex Velleio lviii. 3. lib. ii. Appiano p. 821. 828. ed. Toll. et Dione xliv. 22. et 53. colligitur, quidquid denique sit de Dolabellae subfectione sentiendum, quod est mehercule perobscurum; certe Antonius ante dimissa comitia dixit, *alio die*, etiam fortasse ante, quam postrema vox praeconis accederet: neque usquam Tullius adfirmat, nuntiationis tempus non fuisse legitimum: omnia imo, quae dicit, legitimum fuisse persuadent. Huius autem loci sensus est hic. Si Augur, cum dicit *alio die*, nihil dicit, eaque verba nullam plane vim habent, quod tu nunc iudicas, cum Dolabellam pro collega sic habes, quasi salvis auspiciis creatum Consulem, sequitur, ut ebrius dixeris *alio die. Sin est aliqua vis in istis verbis, ea quae sit, Augur a collega requiro:* quae nempe alia esse potest, nisi ut vitiet comitia? Hic locus, et apertius ille II. de Leg. 12. quem profert Abram. refellit celeb. Ernestum existimantem in Ind. Leg. v. *Aelia*, Augures dicere non potuisse *alio die*, quod sit proprium obnuntiantis, cum tamen a nuntiante quoque dicatur. Denique locus est II. de Div. 18. *comitiorum solum vitium est fulmen*, quem si capias, ut idem vir summus cepit in Ind. Lat. v. *Servare*, multorum sane verborum hic potuit, aut etiam debuit Tullius compendium facere. Praeterea est etiam tonitru: sed hoc dices in fulmine contineri. Esto: sed alia procul dubio sunt, et plura Tullius certe complectitur, cum ait modo, *quid videras? quid senseras? quid audieras?* Itaque nihil aliud ibi arbitror significari, quam quod sequitur ibid. 35. *Fulmen sinistrum, auspicium optimum habemus ad omnes res, praeterquam ad comitia.* Vide totum illum locum c. 18. Garatonius.

Sed ne forte multis rebus gestis M. Antonii rem unam pulcherrimam, c.] *Ex multis rebus*, o. Mss. aperte rectum. Ferrar.

tonii rem unam pulcherrimam transiliat oratio, ad Lu-

Sed ne forte etc.] Transitio: qua ironice scelus Antonii *rem pulcherrimam* appellat. ABRAM. Pessime deerat *ex* in editis ante P. MAN. quod cum melioribus uterque Barb. agnoscit. Vatic. ita exhibet, *Sed ne forte ex multis rebus gestis Antoni rem unam pulcherrimam forte transiliat oratio.* GAR.

Ad Lupercalia] Ad rem gestam Lupercalibus, id est decimo quinto Kalendas Martii, quo die iuvenes Lycaeum Pana venerantes nudi per luxum atque lasciviam currebant. Ovidius 2. Fastorum:

Tertia post Idus nudos aurora Lupercos
Adspicit, et Fauni sacra bicornis erunt.

Nomen vel a lupa, quae Remum et Romulum nutrivit, vel a Pane Lycaeo, de quo 8. Æneidos:

— gelida monstrat sub rupe Lupercal
Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.

Quem Romani deinde vocarunt Iunum, ut scribit Livius libro 1. Faunum Ovidius appellat. Quamvis, ut ait Fabius lib. 1. Instit. orat. cap. 9: *Inveniuntur, qui Lupercalia tres partes orationis esse contendant, quasi luere per caprum.* id est februare, sive purgare capro immolato. De sacrificii ritibus Plutarchus in Caesare, et in Antonio, sed in Romulo expressius: *Iugulant enim capras, deinde duobus adolescentibus ad victimas admotis, alii quidem gladiis cruentis frontem attingunt, alii vero lana lacte madefacta detergunt. abstersos autem adolescentes ridere oportet. deinde incisis in corrigias caprarum pellibus, nudi cum subligaculis discurrunt, corrigiis obvium quemque verberantes. Adultae autem mulieres non refugiunt vapulare, ratae ad foecunditatem facilitatemque partus id profuturum. Proprium autem est illius festi, ut etiam canis a Lupercis immoletur.* In Antonio vero dicuntur Luperci *unguento delibuti* discurrere. Idem etiam insinuat Cicero Philipp. 13: *Lupercorum mentionem facere audet? neque illius diei memoriam perhorrescit, quo ausus est obrutus vino, unguentis oblitus, nudus, gementem populum Romanum ad servitutem cohortari.* et apud Dionem lib. 45. de eodem: *Vnctamque tuam impuram vocem gravibus istis in verbis audiremus*, et clarius paulo ante: *Consul, P. C., nudus unguentisque delibutus in forum venit specie Lupercaliorum peragendorum.* Sed, ut ad Pluchum redeamus, lanam hanc lacte madefactam februa dixerunt, unde et Lupercalia dies februatus. Ovidius 2 Fastorum initio:

Pontifices ab Rege petunt et Flamine lanas,
Queis veteri in lingua februa nomen erat.

Corrigias illas *Iunonis amiculum* nominabant. Festus mensem

percalia veniamus. Non dissimulat, P. C. apparet esse commotum: sudat, pallet. Quidlibet, modo ne nauseet, faciat, quod in porticu Minutia fecit.

Februarium dici putat *a Iunone februata, quam alii februalem, Romani februlim vocant: quod ipsi eo mense sacra fiebant, eiusque feriae erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur a Lupercis amiculo Iunonis, id est pelle caprina.* Pellem autem caprinam dicebant Iunonis amiculum, quod Iuno Sospita Lanuvii, ut inquit Cicero 3. de Natura Deorum, *Cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis* fingeretur. At, ut ait Naso 2 Fastorum:

Principio mensis Phrygiae contermina matri
Sospita delubris dicitur aucta novis.

Probabilius tamen non a Iunone Sospita, sed a Iunone Lucina nomen acceptum, siquidem, cum steriles essent Romanae matronae, redditum Lucinae oraculum:

Italides matres, inquit, sacer hircus inito.

et Augur:

Ille caprum mactat, iussae sua terga puellae
Pellibus exectis percutienda dabant.

E quibus et illud e Sat. 2. Iuvenalis intelligas:

— steriles moriuntur, et illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas praebere Luperco.

Abram.

Non dissimulat] Commodum insultat adversario, quod sceleris admissi conscientia pressus interiorem animi aestum dissimulare non possit, audita Lupercaliorum mentione. Abram.

Sudat, pallet] Haec duo malae conscientiae indicia. Iuvenalis Sat. 1:

— rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus: tacita sudant praecordia culpa.

Horatius Epod. 7:

Tacent, et ora pallor albus inficit
Mentesque perculsae stupent.

Persius Sat. 3:

Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor.

Non igitur tantum rubor, sed etiam pallor malae conscientiae est effectus. De sudore ex metu proveniente Plautus Casina, actu 1, scen. 7:

— stimulus ego nunc sum tibi,
Ego, quod corculum assudassit iam ex metu. Idem.

Faciat] Hoc verbum abesse posset, si libri praeirent. Sic enim *nihil aliud*, ut hic *quidlibet*, omisso verbo saepe legas. Vide Buneman. ad Lactant. I. 8. 6. Heusing.

In porticu Numitia] Lang. *Minuntia:* nonnulli *Minusia:* ego *Minutia*, auctoritate Victoris adductus. *Regio* (inquit) *nona circum Flaminium continet, et stabula quatuor factio-*

Quae potest esse turpitudinis tantae defensio? cupio audire, ut videam, ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat. Sedebat in Rostris col-

num sex, porticum Philippi, Minutiam veterem et frumentariam. Aliter haec verba se habent in libris impressis: nos ea subscripsimus, ut erant in libro litteris Lang. conscripto. FERRARIVS. Videtur fuisse ista porticus in campo Martio, quae et Frumentaria dicta est. Vide Famiani Nardini Romam veterem lib. VI. cap. 10. in tomo IV. thesauri antiquitatum Romanarum Graevii p. 311. GRAEV. Barb. prim. diserte *Minucia*, ut Vatic. Eodem conspirat Barb. sec. et plerique, habentes *Numicia*: sunt enim litterarum ductus iidem. GAR.

Quae potest esse turpitudinis tanta defensio?] *Tantae*, nonnulli v. l. quod summopere placet. FERRARIVS. *Quae potest*] Tam flagitiose libertatem populi Romani prodidisti, ut nullum colorem, nullam excusationem invenire possis, qua tuum factum defendas. ABRAM.

Cupio audire] Cupio tuam defensionem audire, ut sciam, quantum in Sexti Clodii Siculi Rhetoris schola profeceris: cui duo millia campi Leontini assignasti, et quidem immunia, ut pro tanta mercede nihil sapere disceres. ABRAM.

Vbi rhetoris] Vatic. *ubi rhetoris sit tanta merces, idest, ubi campus Leontinus appareat:* quod protuli, ut pestem illam glossematum a tam praestanti codice vitari non potuisse ostenderem. GAR.

Sedebat in Rostris] Priusquam Antonii factum narrat, insolentiam et fastum Caesaris describit, ut eo scelus Antonii magis exaggeret, quod regem adeo superbum voluerat Romanis imponere. ABRAM.

In Rostris] In suggestu, qui in medio foro Romano fuit, unde habebantur conciones, qui e rostris navium Antiatium primum extructus fuerat, et inde Rostrorum nomen acceperat. Ibi autem sedebat Caesar, ut praetereuntes Lupercos sibi a Senatu per adulationem tanquam Deo decretos e superiore loco spectaret. Rostra in foro, ut dixi, Romano, nec longe a Rostris Lupercal, inter Capitolinum et Palatinum montes, iuxta ficus Ruminalis, ubi expositi Romulus et Remus, ut Varro, Festus, omnes alii tradiderunt. Hinc Luperci suae lustrationis initium faciebant. Plutarchus in Romulo: *Lupercos videmus inde suam circumcursationem auspicari, ubi Romulum depositum fuisse narrant.* Vnde et locus a germanis Remo et Romulo Germalum. Lupercalibus autem *februatur* populus, inquit idem Varro libro 5 de lingua, *id est, Lupercis ludis lustratur antiquum oppidum Palatium.* In hac lustratione per sacram viam adscendebant et de-

lega tuus, amictus toga purpurea, in sella aurea,

scendebant. Augustinus lib. 18 de Civitate cap. 12: *Nam et Lupercorum per sacram viam adscensum atque descensum sic interpretantur, ut ab eis significari dicant homines, qui propter aquae inundationem summa montium petiverunt, et rursum eadem residente ad ima redierunt.* De sacra via idem Varro libro 4: *Oritur caput sacrae viae ab Streniae sacello, quae pertinet in arcem, qua sacra quot mensibus feruntur in arcem, et per quam augures ex arce profecti solent inaugurare. Huius sacrae viae pars haec sola vulgo nota, quae est a foro eunti proximo clivo.* Festus: *Ne eatenus quidem, ut vulgus opinatur, sacra via appellanda est a Regia ad domum Regis sacrificuli, sed etiam a Regis domo ad sacellum Streniae, et rursus a Regia usque in arcem.* Arx autem, ut supra diximus, fuit in eodem monte Tarpeio, ubi Capitolium. Quare cum Luperci e foro cursum inciperent, et palatium lustrarent, perque sacram viam, quae ad arcem pertinebat, discurrerent, ac proinde ter saltem in foro se spectandos exhiberent, commodiorem Rostris locum Caesar eligere non poterat, unde Lupercos spectaret. Abram.

Collega tuus] Caesar, qui tum cum Antonio Consulatum gerebat. Vide, praeter Plutarch. Appian. Dionem, e Latinis Sueton. Caes. LXXIX. Cicer. l. de Divin. 52. II. 16. Florum IV. 2. extr. Liv. Epit. CXVI. Heusing.

Amictus toga purpurea] Indutus veste triumphali, ut ait Plutarchus, aut etiam regia, ut Dio. Cicero 1. de divinatione: *Maximo argumento est, quod paulo ante interitum Caesaris contigit: qui cum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit, et cum purpurea veste processit, in extis bovis opimi cor non fuit.* Et lib. 2: *Tu vero quid habes, quare putes, si paulo ante cor fuerit in tauro opimo, subito id in ipsa immolatione interisse? an, quod adspexit vestitu purpureo excordem Caesarem, ipse corde privatus est?* Mirum autem non est, Caesarem purpuram divinam admisisse, cum alios etiam divinos honores, ut thensam, ferculum, pulvinar, flaminem, lupercos admiserit. De sella aurea Tranquillus, Dio, Plutarchus, et alii. Abram. Non dissentiunt Dio, et Plutarchus. Veste triumphali usi quoque olim sunt Reges, ut propterea dici possit Regia, et Iupiter Capitolinus illa erat exornatus, unde vestes triumphales dicuntur *exuviae Iovis* a Suetonio, et tunica palmata *Iovis tunica* a Iuvenale. Vide Alberti Rubenii de lato clavo lib. 1, cap. 21. in tomo v. Thesauri antiquitatum Graevii p. 996. Graev.

In sella aurea] Sibi pariter a Senatu decreta. Abram. Vide de hac sella Sueton. in Iul. cap.

coronatus: escendis, accedis ad sellam (ita eras Lupercus, ut te consulem esse meminisse deberes)

76. et quae ibi notant viri docti. Graev.

Coronatus] Duplex corona Caesari concessa a Senatu. Decretum enim, ut corona laurea perpetuo uti posset, et ut ludis coronam gemmis auroque praesignem gestaret. Hanc posteriorem Lupercalibus videtur habuisse: is enim fuit habitus triumphantium. Abram. Non fuit gemmis ornata, sed distincta radiis corona aurea, ut Floro dicitur lib. iv, c. 2. Vide Schegkium ad Velleii Paterculi ii, 59. Graev.

Adscendis] Ad Rostra succollantibus caeteris lupercis sublevatus. Plutarchus in Antonio. Abram. Vatic. *escendis*, quomodo de his ipsis rostris habemus in Tullii fragmento apud Gell. xviii. 7. *escendi in concionem*: ita ibi cum optimis Carrionis codicibus, et ed. Brix. ambo codices Barberini. De iisdem rostris pro L. Man. 18. *et his temporibus nonpudebat magistratus populi Romani in hunc ipsum locum escendere, cum eum vobis maiores vestri exuviis nauticis, et classium spoliis ornatum reliquissent:* quam lectionem protulit Gulielm. III. Verisim. 16. quem citavit Graev. ad IV. in Verr. 23. ubi etiam ex cod. Regio, qui Vaticani praestantiam aequat, restitutum fuit *escendit.* Tertium addo huic nostro simillimum Tullii locum III. de Offic. 20. *ut omnes simul in rostra post meridiem escenderent.* Hos tres locos cum aliis attulit, hoc verbum illustrans, Pareus in Lex. Crit. p. 423. Livius quoque xxi. 23. xxx. 15. et alibi, *in rostra escendit.* Aliis locis Cicero usus hoc verbo est veluti v. Tusc. 9. probante Heinsio ad Virg. ix. Aen. 37. et Parad. i. restituente Oudendorpio ad Suet. Caes. lxi. Sed in ore omnium ista sunt; et aliquando etiam nimis cupide obtrusa, ut idem Oudend. l. c. et cel. Ruhnken. ad Rutil. Lup. I. 13. et Staveren. ad Corn. Nep. Themist. viii. 6. iudicarunt. Me cupiditatis nota liberat, opinor, Vaticani praestantia, quem lectiones optimas solum tam saepe servantem in hac quoque audiendum censeo. Muretum nihil adnotasse miror, qui l. c. de Offic. hoc verbum optime restituebat xiv. Var. Lect. 3. Garaton. Nullus recentiorum editorum habet *escendis,* neque ullus Codd. a nobis inspectorum; at ita imprimendum curavimus.

Accedis ad sellam] In quo Caesar sedebat. adverte, quemadmodum singulis immoretur, ut rem clarius oculis subiiciat, et gravius exaggeret. Abram.

Te esse Consulem] *Consulem esse,* o. l. v. Ferrar. *Ita eras Lupercus, ut te Consulem* Haec quidem levitas huc usque tibi concedi potuit tanquam Luperco, ut caeteris sodalibus Lupercis cur-

diadema ostendis. Gemitus toto foro. Vnde diadema? Non enim abiectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum, et cogitatum scelus. Tu diadema

vices supponentibus per eorum humeros ad Rostra sellamque Caesaris adscenderes, id tamen facere Consulem populi Romani non decebat, qui si Lupercus fuerit, ita debet currere per urbem, ut interim meminerit suae dignitatis. Hoc est, quod praeter caetera Noster exaggerat apud Dionem. parco Graecis: *Nimirum Lupercalia debita sua cerimonia caruissent, nisi tu totam urbem eo gestu, ne quid dicam de oratione, dedecorasses. Quis enim ignorat, Consulatum totius populi publicum esse, cuius maiestatem ubique conservare, nullo modo autem denudare turpitudineve afficere oporteat?* et alia plura, quibus innuit, unum et eundem, et Consulem, et Lupercum fieri non debuisse. At contra Plutarchus in Antonio: *Discurrunt autem et ex nobilibus, et ex magistratibus iuvenes multi.* Imo in Caesare: *Antonius autem unus eorum erat, qui sacrum cursum peragebant; gerebat enim Consulatum.* Quibus verbis privatos ab eo cursu videtur excludere, quasi solis magistratibus conveniret. Abram.

Diadema ostendis] Nondum Antonius capiti Caesaris imposuerat diadema, sed tantum ostenderat, cum plebs ingemuit toto foro: quae vim longe maiorem habent, quam si imposito iam diademate gemuisse diceretur. *Διάδημα στεφάνῳ δάφνης περιπεπλεγμένον*, *diadema coronae laureae circumplicatum*, inquit Plutarchus. Quid autem sit diadema, ostendimus ad Sextianam. Appianus 2 civil. *ἐστεφάνωσε δάφναις ἀναπεπλεγμένης ταινίας λευκῆς. Lauro coronavit, candida fascia implexa.* Adverte, candidum fuisse diadema, quod etiam Casaubonus advertit ad illa Tranquilli verba lib. 1, cap. 7: *Coronam lauream candida fascia praeligatam.* Noster lib. 3. ad Atticum: *Epicratem* (sic Pompeium appellat) *suspicor, ut scribis, lascivum fuisse: etenim mihi caligae eius et fasciae cretatae non placebant.* Valerius lib. 6: *Pompeio candida fascia crus alligatum habenti, non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema.* quibus verbis notat Casaubonus obiici aperte regni suspicionem, non propter fasciam, sed propter talem fasciam, hoc est, candidam. Candidae enim regum fasciae, quas diademata vocabant. Idem.

Vnde diadema?] Ex alio capite scelus amplificat, quod videlicet consilium illud, non, ut dicitur, in arena sumpserit, sed ex certa inductione animi scelus illud susceperit. Non enim diadema illud casu per vicos abiectum invenerat, sed attulerat domo coronam lauream diademate implexam, ut eam capiti Caesaris imponeret. Idem.

imponebas cum plangore populi; ille cum plausu reiiciebat. Tu ergo unus, scelerate, inventus es, qui, quum auctor regni esses, eum, quem collegam habebas, dominum habere velles: et idem tentares,

Imponebas] Non ait *imposuisti*, sed *imponebas*, ut ostendat, id iterum et saepius esse factum. IDEM. Confer Plutarch. Ant. c. XII. GAR.

Cum plangore populi] Lamentantis, imponi sibi Regem, et opprimi servitute rempublicam. ABRAM.

Ille cum plausu reiiciebat] Caesar reiiciebat illud diadema plaudente populo, quod Caesar oblatum sibi regnum nollet admittere. Epitome Liviana: *M. Antonio consule collega suo inter Lupercos currente diadema capiti suo impositum in sella reposuit.* Imo in Capitolium Iovi Optimo Maximo misit, aiens, solum Iovem Regem esse populi Romani, ut Suetonius, Dio, Plutarchus, et alii litteris prodiderunt. ABRAM.

Tu ergo unus] Gravi epiphonemate rem concludit, et exaggerat, quod unus inventus fuerit Antonius, qui id auderet, quod omnium fugisset et formidasset audacia. Auctorem eum dicit fuisse regni, quia Caesarem contra patriam armaverat, et intercessione illa sua nefaria facem bello civili subiecerat, quo bello civitatis oppressa libertas. Nondum tamen solus regnabat Caesar, sed aliquot regni collegas habebat, et imprimis ipsum Antonium; sed Antonius servire maluit, quam regnare cum Caesare, et Caesari monarchiam deferre voluit coram populo Romano, ut experiretur, utrum populus ad servitutem esset paratus. IDEM.

Auctor regni inventus] Al. Col. et aliis nonnullis *inventus* abest: et certe supervacaneum est, nec dignum Ciceronis elegantia. FERRAR. *Auctor regni esses*] Eieci verbum *inventus* auctoritate item Pal. sec. Maur. et librorum, quos consuluit Ferrarius. GRVT. Huius omissionem vocis firmat Lamb. suorum codicum testimonio, item in sequentibus *collegam habebas*, ubi cod. Barbador. *collegam regni haberes.* GAR.

Eum, quem collegam regni habebas] Dictio *regni* abest ab antiquo libro, quam et sensus respuit. loquitur enim de collegio consulatus, non regni. FAERNVS. Cum hanc Vaticani codicis scripturam iam amplexi sint praeter Faërnum et Muretum Lambinus et Manutius, mirum eam repudiasse Gruterum. GRAEV. *Collegam regni*] Ien. *regni collegam.* Sed molesta est vox *regni*, quocumque loco ponatur, quam aspernatur Vaticanus. HEVSING. Cum Faërno et Muretus, et Lambinus faciunt: quare nolim hic typographos nostros ab exemplari Gruteriano

quid populus romanus ferre, et pati posset. At etiam misericordiam captabas, supplex te ad pedes abiiciebas: quid petens? ut servires? tibi uni peteres, qui ita a puero vixeras, ut omnia paterere, ut facile

deceptos fuisse. Olivet. *Quem collegam*] Vulgati addunt *regni*, quam vocem Vaticanus codex, et sensus respuit, et ignorat unus e Regiis. Lallem. *regni* et Ern. et Schütz. deleverunt. Paullo ante habet Gud. *cum auctor regni inventus esses.* Teeg. *quum auctor regni esses.*

At etiam misericordiam captabas] Non tibi satis fuit capiti Caesaris diadema imponere, nisi etiam supplicasses, ut Caesar misereretur populi Romani, et regnum admitteret, miseriasque reipublicae hoc pacto sublevaret. Abram.

Supplex te ad pedes] Vide Sextianam: *Gener et Piso gener a Pisonis Consulis pedibus supplex reiiciebatur.* et: *Socer ad pedes abiectus.* Idem. Vatic. *ad pedes eiciebas:* an fuit, *deiiciebas?* sed nihil vulgata praestantius. Gar.

Tibi uni peteres] Petere debebas, ut tibi soli servire liceret, tu enim, qui ab ineunte pueritia impurorum hominum aetatulae tuae insultantium libidinem pertulisti, facile servire potuisti. Abram.

A puero] Hoc Latini variis modis extulerunt. Cicero passim, *a pueritia.* Virgilius:

— adeo a teneris assuescere multum est.

Catullus de coma Berenices:

Cognoram a parva virgine magnanimam.

Horatius:

A tenero meditetur ungui.

Quod putavit Cicero leniendum lib. 1, epist. 6: *Praesta te eum, qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis es cognitus.* Quem in locum adfert eruditus Manutius Plutarchum de liberorum educatione: *Ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων ἀγαπῶσι τὰ τέκνα. A teneris unguiculis liberos amant.* Sed usitatissimus loquendi modus *a puero.* putidum sit exempla corradere. ne Graecis quidem ignotus. Theocritus eidyllio 15:

Ἵππον καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα
Ἐκ παιδός. —
Me gelidus serpens et equus ante omnia terret
A puero. — Idem.

Omnia paterere] Obiicit impudicitiam Antonio. Vulgare scortum, etc. Hinc *perpeti turpiter,* pro Milone. Hinc *Syrorum patientissimum genus,* apud Plautum. Hinc *pathicus Otho* apud Iuvenalem, id est, impudicus. Hinc apud Stratonem 2 anthologiae cap. 2. *πάσχοντες καὶ δρῶντες.* Hinc eodem cap. ignoti scriptoris nobile epigramma:

Ἀνέρας ἠρνήσαντο, καὶ οὐκ ἐγένοντο γυναῖκες.
Οὔτ᾽ ἄνδρες γεγάασιν, ἐπεὶ πάθον ἔργα γυναικῶν,
Οὐδὲ γυναῖκες ἔασιν, ἐπεὶ φύσιν ἔλλαχον ἀνδρῶν.

servires: a nobis, populoque Romano mandatum id certe non habebas. O praeclaram illam eloquentiam tuam, quum es nudus concionatus! Quid hoc turpius? quid foedius? quid suppliciis omnibus dignius? num exspectas, dum te stimulis fodiam?

' Ἀνέρες εἰσὶ γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσιν εἰσὶ γυναῖκες.
Abram.

A nobis certe populoque R.] A Senatu populoque Romano tibi mandatum non fuerat, ut a Caesare peteres servitutem. Idem. Vide Dionem lib. 45. Graev.

Illam eloquentiam] In Ien. deest *illam*. Heysing.

Cum es nudus concionatus] Non crimini vertit, quod nudus fuerit: solebant enim Luperci nudi procedere: sed quod nudus fuerit concionatus; concionans enim non Luperci, sed Consulis personam sustinere debebat. caetera sunt perspicua; tantum adverte, quam acriter insultet, et nactus occasionem e manibus elabi non patiatur. 8. Æneidos:

Hinc exultantes Salios nudosque Lupercos,

2 Fastorum:

Cur igitur currant, et, cum sic currere mos est,
Nuda ferant posita corpora veste, rogas?
Ipse Deus velox discurrere gaudet in altis
Montibus, et subitas concipit ille fugas.
Ipse Deus nudus nudos iubet esse Lupercos.
Nec satis ad cursus commoda vestis erat.

Idem alii passim testantur. Non tamen omnino nudi fuerunt, sed subligacula quaedam habuerunt, quibus verenda tegerentur. Plutarchus in Romulo: Διαθέουσιν ἐν περιζώματι γυμνοί. *Nudi cum subligaculo discurrunt.* Et clarius Dionysius Halicarn. lib. 1. Antiq. Rom. *Mos erat incolas Palatini montis peracto sacro nudos circum vicum discurrere, succinctos tantum pudenda recens mactatarum pecudum exuviis: id erat lustrationis genus quoddam, vicanis receptum usu patrio, quod nunc quoque fieri solet.* Hinc, ut Turnebus advertit, *cinctutos* Ovidius, *succinctos* Papinius appellat. Hic,

Verbera succincti formidavere Luperci.

Ille 5 Fast.

Semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis,
Cum lustrant celebres verbera secta vias. Idem.

Dum te stimulis fodiam] Servile supplicium. Plautus Asinaria actu 2, sc. 4:

Vtinam nunc stimulus in manu mihi sit,
Qui latera conteram tua, quae occalluere plagis.

Curculione actu 1, sc. 2:

Etiam mihi quoque stimulo fodere lubet te.

haec te, si ullam partem sensus habes, lacerat, haec cruentat oratio. Vereor, ne imminuam summorum virorum gloriam. Dicam tamen dolore commotus. Indignissimum est vivere eum, qui imposuerit diadema, quum omnes fateantur iure interfectum esse,

Menaechmis actu 5, scen. 5:

At ego te pendentem fodiam stimulis triginta dies.

Hinc *supplicium stimuleum*, Milite glorioso actu 2, sc. 6. Hinc servus quidam Casina actu 1, scen. 9: *Stimulorum loculi.* et Staphyla anus *stimulorum seges*, actu primo Aulnlariae, scen. prima. Abram. Vatic. *fodiamus?* et ita Muretus. Gar.

Partem habes sensus] *Sensus habes*, iidem libri. Ferrarius.

Cruentat oratio] *Cruciat*, Lang. et nonnulli alii: quod reiicio. Idem. Ien. *haec te cruentat oratio.* Heusing. Male *cruciat* etiam Barb. prim. Gar.

Virorum summorum gloriam] *Summorum virorum gloriam*, o. l. s. et aures probant. Ferrar. *Virorum summorum*] Brutorum, Cassii, et caeterorum, qui Caesari necem intulerunt. Abram. Cum Ferrarii libris consentit Ien. aliique, et Barb. prim. neque aliter P. Man. Car. Steph. et Lamb. et Vatican. In Barb. sec. *gloriam summorum virorum.* Gar.

Quid indignius, quam vivere eum?] Sic o. l. v. *Nonne indignus tu tueri? Nonne indignumst vivere eum*, fortasse corrigendum est. Ferrarius. *Dicam tamen, dolore commotus. Nonne indignum est hunc vivere, etc.*] Sic esse legendum, et veteres codices Philippicarum pervincunt, et ipse M. Tullius in epistolarum ad Attic. lib. xvi, epistola xii docet. sic enim ille, hunc locum spectans: *Illud etiam malo, indignissimum esse hunc vivere, quam, quid indignius?* In eadem epistola paullo ante, verba illa, *Attamen est iste loco bella, ut mihi videtur, el- ...., quod cum contra civeis in acie*, etc. referenda sunt ad illud, quod est supra eadem Philipp. circiter quattuor abhinc paginas, *Ter depugnavit Caesar cum civibus*, etc. sequitur: *Omnibus his pugnis affuit Dolabella*, etc. Lambinus. *Quid indignius, quam vivere eum, qui etc.*] Ita ipse Cicero primum scripsit lib. xvi. ad Atticum epist. 11. quod et in Pal. prim. nam sec. *Nonne indignus tu tueri;* quomodo et in suis reperit Ferrarius; coniecit autem, *Nonne indignum est vivere eum*, quod recepit Lambinus: at si Tullio obsequemur, rescribendum fuerat: *commotus, indignissimum esse, vivere hunc, qui imposuerit* etc. Grut. Ita scripserat Cicero: *Dicam tamen dolore commotus. Quid indignius, quam vivere eum.* Postea tamen ab Attico suo monitus ita mutavit: *Dicam tamen dolore commotus, indignissimum esse hunc vivere, qui imposuerit diadema*, etc.

qui abiecerit? At etiam adscribi iussit in fastis ad Lupercalia, C. CAESARI. DICTATORI. PERPETVO. M. ANTONIVM. CONSVLEM. POPVLI. IVSSV. REGNVM. DE-

Sic enim epistola undecima lib. 16. ad Attic. *Libenter ea corrigam, quae a te animaduersa sunt, eodem iure, quo Rubriana potius, quam quo Scipionis,* etc. *Illud etiam malo, indignissimum esse hunc vivere, quam quid indignius.* Ita Lambinus enim epistolae locum emendat, cum prius loco *indignissimum* legeretur *indignius.* ABRAM. Emendationem auctoris exemplar aliquod subterfugit, aut etiam plura, unde manarunt sane permulta: quod etiam pro Lig. II. vidimus contigisse. Quis autem, quaeso, dubitet, nos voluntatem Tullii sequi oportere? Ad eam proxime accedit coniectura Ferrarii, ex vestigiis codicum praestantium perite confecta: quibus MSis accedunt Colon. et Graev. sive Ienens. Ferrarium itaque secuti sunt P. Man. Car. Steph. et Lamb. quibus non modo utriusque Barb. accedit non mediocre auxilium habentis, *nonne indignum tueri eum*, sed etiam diserta unius cod. auctoritas, quem Bosius ad XVI. ad Att. 11. *nonne indignum est* hic exhibere testatus est. Quid autem aliud a MSis Philippicarum suis pervinci dixerat Lambinus? Sed ipse, ac Bosius in adnot. ad cit. epist. rectius indicarunt, legendum esse, *nonne indignissimum est, hunc vivere,* quomodo in ea epistola iam editur ex optimis libris: nisi quod abest inde vox *nonne*, quam hinc etiam detractam volo, non modo quia Tullius ibi non addidit, sed etiam quia minus recte, ut mihi videtur, adesset, ac proinde in ipsa oratione emendanda eum non arbitror mutasse sententiam. Sic enim sine interrogatione rectissime. *Vereor, ne imminuam summorum virorum gloriam: dicam tamen dolore commotus. Indignissimum est, hunc vivere, qui imposuerit diadema, cum omnes fateantur iure interfectum esse, qui abiecerit.* Cod. Barbadorii, *qui abverterit.* De Vaticani lectione dubius relinquebar; sed a Graeviana nihil differre perspexi. GARATON. Ern. vulg. lect. Schütz. *indignissimum est* recepit. Tegg. *nonne indignum est.* Gud. 2. *Quid indignius est* etc.

At etiam ascribi iussit in fastis, ad Lupercalia C. Caesari, c.] *Ascribi*, o. l. v. optime. Hoc amplius ego: quod intervalli notam non post *fastis*, sed post *Lupercalia* appono sic, *At etiam ascribi iussit in fastis ad Lupercalia, C. Caesari.* Indicat locus ep. ad Brut. *Ego enim D. Bruto liberato, cum laetissimus ille civitati dies illuxisset, idemque casu Bruti natalis esset: decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen ascriberetur.* Ascribebatur autem quid in fastis ad aliquem diem sic, *Hac die* (exempli gratia)

TVLISSE. CAESAREM. VTI. NOLVISSE. Iam iam minime miror, te otium perturbare; non modo urbem odisse, sed etiam lucem; cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem vivere.

Brutus erupit Mutina: Antonius Caesari regnum detulit, Caesar uti noluit. Hoc in fastis antiquis apparet. FERRARIVS. *At etiam*] Quae in acta publica referebant, ea inscribi iubebant in fastis ad illum diem, quo res evenerat. Antonius igitur non contentus, Caesari regnum obtulisse, rem a se gestam, quasi memoria dignum facinus, publicis consignari monumentis voluit, posterisque mandari. Dio tamen lib. 43. scribit, id Caesaris ipsius iussu factum fuisse, ideoque fortasse Noster ambigue loquutus est, iisque verbis rem expressit, quae possent non minus Caesari, quam Antonio convenire. ABRAM. Etiam Barb. ambo, *adscribi*, item cod. Barbadorii, et Vatic. GAR.

Iam iam minime miror, te otium perturbare] Quoniam, ut ait pro Sextio, homines improbi *propter metum poenae peccatorum suorum consilii novos motus conversionesque reipublicae quaerunt*, ideo commode insistit Orator, mirum non esse, quod Antonius novis rebus studeat, et susque deque omnia miscere et perturbare moliatur, quod Lupercalibus tantum scelus susceperit, ut stante republica stare non possit. Cum autem finis, quem intueri reipublicae administratores debent, sit *cum dignitate otium*, hinc patet, idem esse *perturbare otium*, atque reipublicae statum convellere. unde pro domo sua: *Tu procella patriae, turbo ac tempestas pacis atque otii, quod in naufragio reipublicae tenebris offusis, demerso populo Romano, atque eiecto Senatu*, etc. Otium enim est pax et tranquillitas. Secunda Agraria: *Pacem, tranquillitatem, otium.* Mox: *Non modo vos eritis in otio, qui semper esse volueritis*, etc. vide. Eadem orat. *Quid tam populare quam pax? Quid tam populare quam libertas?* etc. *Quid tam populare quam otium? quod ita iucundum est, ut et vos et maiores vestri, et fortissimus quisque vir, maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in otio possit esse, praesertim in imperio et dignitate.* ABRAM.

Cum perditissimis latronibus] Fratribus Caio et Lucio, cum Censorino, Caesare, Vopisco, Saxa, Caphone, Nucula, Lentone, Appulo Domitio, P. Decio, Trebellio, L. Planco, Caninio Cimbro, de quibus Philipp. undecima, Lacone, Mustella, Licinio Lenticula, Tirone Numisio, et aliis eiusmodi. vide Philipp. 13. IDEM.

Non solum de die, sed etiam in diem vivere] *De die* et *in diem vivere* dicuntur ii, qui in assidua supplicii expectatione versantur, quasi sibi iam iam esset

Vbi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in legibus, et in iudiciis esse potest, quae tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? Ideone

pereundum: atque adeo quemcumque diem transegerint, videntur lucro apponere, tantumque diei praesentis habent rationem, nihil de crastino cogitantes: quasi putent, se crastinum diem non esse visuros. aut *de die*, luce palam omnibus videntibus: *in diem*, rapto, singulis diebus, ut Manutius exponit. Idem. *De die vivere* est quotidie genio indulgere et epulari. *De die* enim convivia sunt, quae ante statam coenae horam, quae erat nona, inibantur, quod erat hominum perditorum. Illa convivia dicuntur tempestiva. *In diem vivere* est, ut recte exponitur, omnia susque deque facere, nihil divini humanique pensi habere, nec de futuro sollicitum esse, nec de hominum de te iudicio. Illud est hominum asotorum, hoc hominum ἀπονενοημένων. τοῦ *vivere* hic est duplex notio. In ista locutione, *de die vivere*, notat *vivere* voluptatibus indulgere, ut in illo Catulli, *Vivamus, mea Lesbia:* sed in hac, *in diem vivere*, *vivere* est vitam instituere. Graev. *De die vivit*, qui totum fere diem, labori debitum, voluptatibus impendit, ante legitimum tempus convivia init, quotidie epulatur: *in diem* vero, qui de crastino die, de futuro tempore non est sollicitus, more avium, pecorum, et barbarorum, qui nec *componere opes* solent, nec *parcere parto*, ut Virgilius ait VIII. Aen. 317. vel qui *rapiunt, consumuntque, quod natum est, ut qui iam putent se non sibi parcere*, ut loquitur Plinius IX. Epist. 35. Vide Bentleium ad Horat. III. Od. 29. 43. Ergo *de die in diem vivit*, qui quotidie, futuri immemor, totus est in voluptatibus: quod hominis est desperati, nec longiorem vitam destinantis. Male vero ex hoc loco *de die in diem* probatur, cum *magis*, *magisque* intelligitur: de quo vide Supplem. meum ad Cellar. Cur. Poster. p. 408. Cellar. ib. p. 294. Heusing.

Vbi enim in pace consistes?]. Ratio, cur assidue timere debeat Antonius. Abr.

In legibus, et iudicibus] *Et in iudiciis*, o. l. v. Ferrarius. Nullibi conspexi pessimum illud *iudicibus*. Vulgata apud ipsum Ferr. est *iudiciis*, ut in Collect. Oporin. vidi. Praepositionem ei voci addiderunt P. Man. Car. Steph. Lamb. Graev. Heusing. et Lallem. quam firmat cod. Barbadorii, ambo Barberini, et optimi omnes. Gar.

Dominatu regio sustulisti?] Volens instituere Caesarem Regem, qui leges et iudicia pro sua voluntate et libidine sustulisset. Pulchre Plato, ubi de sex reipublicae formis disseruit, regno, tyrannide, aristocratia, oligarchia, democratia, sive statu populari, et ochlocratia disseruit

L. Tarquinius exactus, Sp. Cassius, Melius, M. Manlius, necati, ut multis post saeculis a M. Antonio, quod fas non est, rex Romae constitueretur?

dialogo, qui Politicus inscribitur: *Monarchia coniuncta bonis litteris, quas leges vocamus, optima est omnium sex reipublicae formarum: exlex vero difficilis et gravissima.* Et apud Dionem Chrysostomum oratione prima de regno Mercurius Herculi Βασιλείαν regali solio sublimem ostendit, quam hinc inde circumsistunt: *quae nos acri et miti vultu adspicit a dextris, sedetque, Iustitia est, maxima sane clarissimaque splendens pulchritudine. Circa eam autem est Eunomia, prorsus illi similis, nec admodum inferior pulchritudine. Porro in altera parte quae sedet mulier oppido speciosa, et delicate vestita, et laete subridens, eam vocant Pacem. Ille autem, qui prope Basileam consistit, ante ipsum sceptrum, vir fortis et canus et magnanimus, appellatur* Νόμος, *id est, lex, idem Logos Orthos, id est, recta ratio locatur, a consiliis et assessor, sine quo nihil illis fas est facere, neque cogitare.* Philo lib. 2. legis allegoriarum: *Rex adversatur tyranno, quod ille legum, hic iniquitatis sit introductor.* Nomen aliud non occurrit, quo ἀνομίαν interpreter. Synesius de regno: *Regi pro moribus leges sunt, tyranno pro legibus mores.* Quare cum dicitur Antonius leges et iudicia dominatu regio sustulisse, verius diceretur id fecisse tyrannico dominatu: nam legi et regi, ut litterarum, ita et potestatis mira consensio. Philo initio libri 3. de vita Mosis: *Regis officium est iubere, quae oportet fieri, et vetare, a quibus abstineri decet. Caeterum iussio faciendorum, et interdictio cavendorum proprie ad legem pertinet, atque ita consequitur, ut rex animata lex sit, lex vero sit rex iustissimus.* Quamvis interdum Regi convenit, ut alicubi notavimus ex Themistio oratione de humanitate Theodosii: *Leges etiam ipsas moderari, et earum asperitatem severitatemque mitigare, quippe qui lex sit animata, non in litteris posita, quae nec transferri, nec transmutari possint.* Ideoque Regem νόμον ἔμπνουν καὶ ζῶντα, *legem spirantem et viventem*, ibidem appellat. Abram.

L. Tarquinius regno exactus] Lang. cum eo multi alii, *L. Tarquinius regno pulsus exactus.* quo animadverso, pro certo putavi, *regno pulsus* esse glossema: siquidem *regibus exactis, exactor regum*, recte sine adiunctione dicitur. Sententiam meam Col. liber approbavit. sic igitur emendandum, *Tarquinius exactus.* Ferrarius. *L. Tarquinius*] Superbus, septimus et ultimus Rex Romanorum, qui ob stuprum a Sexto Tarquinio filio Lucretiae oblatum a L. Bruto

Roma exactus est. Abram. Cum Langiano consentiunt ambo etiam Barb. Graevianus, et Barbador. Sed Colotianum a glossa purum omnes iam inde a P. Manmerito secuti sunt, accedente Vaticano. Gar.

Sp. Cassius, Sp. Melius] Vtrimum praenomen a l. v. abest: et certe supervacaneum est: ambobus enim idem praenomen erat. Ferrarius. *Sp. Cassius, Melius*] Is post Consulatus tres ac duos triumphos, ob suspicionem affectatae tyrannidis damnatus, necatusque est. *Sunt*, inquit Livius, *qui patrem auctorem eius supplicii ferant: eum, cognita domi causa, verberasse ac necasse, peculiumque filii Cereri consecravisse*, etc. De Melio epitome Liviana: *Cum fame populus Romanus laboraret, Sp. Melius Eques Romanus frumentum populo sua impensa largitus est: et ob id factum conciliata sibi plebe regnum affectans a C. Servilio Hala iussu Quintii Cincinnati Dictatoris, vel potius quod a Quintio vocatus ire recusaret, occisus est.* Abram. Lege, *Spurii, Cassius, Melius.* Vtrique commune hoc erat praenomen. Vide c. 44. extr. Heusing. Verissime: atque ita plane iampridem Lamb. ediderat, MSorum addito testimonio. Cum Ferrarii libris consentiunt ambo Barb. Praeterea scribendum est tam hic, quam c. 44. *Maelius*, de qua scriptura inter omnes constat. Porro in Vatic. diserte, *Spurius Cassius, Maelius*, idemque c. 44. *Sp. Cassius, Sp. Maelius*; contra quam Graevius existimavit: quo fit lectio Lambini aliquanto infirmior. Gar. Ern. habet *Sp. Cassius.* Schütz. *Spurii, Cassius* etc.

M. Manlius] Eadem epitome lib. 6: *M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat, cum obstrictos aere alieno liberaret, nexos exolveret, crimine affectati regni damnatus, de saxo Tarpeio deiectus est. in cuius notam S. C. factum, ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset.* Abram.

Vt multis post seculis] Tarquinius eiectus anno ab Vrbe condita ccxlv. vi. Kalend. Martii. Spurius Cassius necatus anno V. C. cclxx. Spurius Melius anno cccxv. Manlius anno ccclxx. Antonius autem Caesari diadema anno dccx. quamvis alii, ut et nos fecimus huius Orationis initio, unum annum chronologiae detraxerint. Idem.

Quod fas non est] Livius initio libri 2. Brutus eiectis Tarquiniis: *Omnium primum avidum novae libertatis populum, ne postmodum flecti precibus, aut donis regiis posset, iureiurando adegit, neminem Romae passuros regnare.* Atque haec, caesis victimis, super eis stantes non solum pro se, sed etiam pro suis posteris iuraverunt, ut omnem posteritatem hac religione adstringerent, ut scribit Dionysius initio libri 5, et eam ob caussam fas non erat Regem Romae constituere. Idem.

XXXV. Sed ad auspicia redeamus. De quibus rebus idibus Martiis fuit in Senatu Caesar acturus; quaero, tum tu quid egisses. Audiebam quidem te paratum venisse, quod me de ementitis auspiciis, quibus tamen parere necesse erat, putares esse dictu-

Sed ad auspicia] Quae superius dixeram te fuisse ementitum, cum, quasi fulgur vidisses, aut tonitru audiisses, ALIO DIE dixisti, et Augur Auguri, Consul Consuli obnuntiasti. IDEM.

De quibus rebus] Caesar, ut scribit Appianus, quarto post Idus Martias profecturus erat ad bellum Parthicum: et antequam urbe excederet, Consulem suo loco substituere decreverat. Ideoque relaturus erat ad Senatum de auspiciis ab Antonio nuntiatis: utrum videlicet obnuntiatio Antonii vim obtineret, et Consul vitiosus esset Dolabella. Quaerit igitur Orator ab Antonio, quid egisset: Caesarine, cui regnum deferre voluerat, repugnare ausus fuisset, an probaturus Consulem Dolabellam, quasi salvis auspiciis creatum. Hic est, opinor, sensus, quamquam alia etiam de re agendum fuerat Idibus Martiis in Senatu. Nam, ut scribit Tranquillus cap. 79: *Proximo Senatu percrebuit fama, L. Cottam Quindecimvirum sententiam dicturum, ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a Rege non posse vinci, Caesar Rex appellaretur.* Quae suspicio Caesari necem maturavit, ut Appianus, Dio, Plutarchus litteris prodiderunt. *Quaero tum tu quid egisses?* Eum sine dubio Regem esse creandum censuisses, cui iam imposueras diadema. Sed prior explanatio magis ad rem. ABRAM. *De quibus rebus*] Immerito Ern. et Schütz. haec a prioribus *Sed ad auspicia redeamus*, disiunxerunt. Coniuncta legenda sunt, ita ut cap. 35. incipiatur a verbis: *Sed ad auspicia redeamus.*

Audiebam quidem te paratum] Dicebaris quidem habere paratam orationem, ut mihi responderes, si dixissem, te ementitum esse auspicia, iisque parendum non esse, neque Dolabellam obnuntiatione tua factum fuisse Consulem vitiosum. IDEM.

De ementitis auspiciis] Supra: *Tua potius quam reipublicae calamitate ementitus es auspicia.* 1. de divinatione Appius: *Censor P. Atteium notavit, quod ementitum auspicia subscripserit.* Philippica 3: *Servabant auspicia Reges, quae hic Consul Augurque neglexit, neque solum legibus contra auspicia ferendis, sed etiam collega una referente eo, quem ipse ementitis auspiciis vitiosum fecerat.* IDEM.

Quibus tamen parere necesse erat] Quia tu obstrinxeras populum Romanum religione, et Augur Auguri, Consul Consuli obnuntiaveras, ut parendum tibi

rum. Sustulit illum diem fortuna populi Romani.

esset, etiamsi ementireris auspicia. Idem. Cicero, ne Antonium arguens inconstantiae, ut facit c. 33. (haec enim ad ibi dicta referuntur) ipse quoque argueretur, quasi nunc improbaret Consulatum Dolabellae, de quo tunc aliter senserat, his verbis, *quibus tamen parere necesse erat*, innuit, sibi eam semper fuisse sententiam, ut ementitis illis auspiciis parendum putaret. Confer, quae diximus ad c. 32. Nam de actis Dolabellae aliquanto ante: *quae necesse est aliquando ad nostrum collegium deferantur*: quippe acta Consulis vitiose, et contra auspicia creati. Postquam et Antonii inconstantiam exposuit, qui probaret iure factum Consulem Dolabellam, quem contra auspicia creatum adfirmaverat, et se ipse purgavit, his tandem verbis concludit. *Sustulit illum diem fortuna reip. Num etiam tuum de auspiciis iudicium interitus Caesaris sustulit?* ut aliter eo mortuo sentire coeperis, ac illo vivo sentiebas? Manut. a mente Ciceronis longe hic aberrat. Ferratius.

Fortuna populi Romani] Antiquus liber *fortuna reipublicae*. Faernus. *Fortuna populi Romani*] Nihil muto, quamvis Faërnus testetur, in antiquo libro scriptum esse, *fortuna reip.* neque tamen illam damno, cum alibi ita loquatur. Lambin. *Sustulit illum diem fortuna reip.*] Ita Faërnus ex libro Vaticano, cum in vulgatis legeretur *populi Romani* pro *reipublicae*, sed ego receptam lectionem retineo. memini enim, Ciceronem in Catilinam, et alibi etiam ita locutum fuisse, et in argenteo *Siciniae* gentis denario FORT. P. R. hoc est, FORTVNA POPVLI ROMANI inscriptum esse. F. Vrsinvs. *Sustulit illum diem fortuna populi Romani*] Liberatus es ab illo aestu et periculo vel repugnandi Caesari, qui Dolabellae comitia rata esse cupiebat, vel confitendi, te auspicia ementitum fuisse, quod accidit non tam tua quam populi Romani felicitate, quae, Caesare interfecto, a servitute rempublicam liberavit. De fortuna populi Romani vide ad illa Milonianae: *Ex quibus si me non mea, sed reipublicae fortuna servasset*. Et rursum: *Sed huius beneficii gratiam, iudices, fortuna populi Romani et vestra felicitas, et Dii immortales sibi deberi putant*. Nota est Plutarchi declamatio *de fortuna Romanorum*. Demosthenes oratione de Corona fortunam populi distinguit a fortuna singulorum: *Equidem fortunam reipublicae vestrae bonam esse iudico: idque video vobis et Dodonaei Iovis, et Pythii Apollinis oraculis declarari: sed fortunam mortalium omnium his temporibus esse gravem et acerbam*. Item: *Iste autem privatam fortunam meam communi fortuna reipublicae valentiorem esse dicit: parvam et vilem bona*

Num etiam tuum de auspiciis iudicium interitus Caesaris sustulit? Sed incidi in id tempus, quod iis rebus, in quas ingressa erat oratio, praevertendum est.

et ampla. vide locum. Atque ita quidem oratorum principes de fortuna philosophati. Latino etiam Poëtae

Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum

videntur res humanas gubernare: at Poëta Graecus omnes rerum eventus adeo divinae providentiae tribuebat, ut ne nomen quidem τῆς τύχης in eius operibus extare iampridem notaverint eruditi. Abram.

Tum etiam tuum de auspiciis iudicium] Pro *tum* Lang. et caeteri fere *num.* quod probo. hoc enim sentit Cicero, fortunam quidem populi Romani illum diem sustulisse, non tamen iudicium M. Antonii sustulisse: qui quidem, interfecto Caesare, statim Dolabellam sibi collegam esse voluisset: quo facto se auspicia ementitum esse iudicavit. Sic igitur scribendum, *Num etiam tuum de auspiciis iudicium interitus Caesaris sustulit?* Ferrar. *Num etiam*] Dolabella statim post necem Caesaris, non expectato Senatus decreto de auspiciis, Consulatum invasit, et paulo post Antonius reconciliatus Dolabellae. Obiter igitur obiicit inconstantiam, quia, quem vivo Caesare vitiosum esse Consulem dixerat, eum post Caesaris necem tanquam salvis auspiciis creatum in consortium Consulatus admisit. Abram.

Quod iis de rebus] *Iis rebus,* Lang. Col. Ferrarius. *Quod iis de rebus*] Detracto *de* legendum, *quod iis rebus.* et paulo post pro *praetereundum non sit,* quae verba nihil omnino significant, reponi debet, *praevertendum est.* ut hic locus ita legatur, *sed incidi in id tempus, quod iis rebus, in quas ingressa erat oratio, praevertendum est.* haec ex antiquo libro, in hunc sensum: incidi in id tempus, de quo prius mihi loquendum est, quam de iis rebus, de quibus coeperam loqui. Faern. Hic etiam maluit glandibus vesci Gruterus, quam frugibus in Vaticano repertis, quas sibi iam ante vindicarant Lambinus et Manutius, praeter illos duumviros, qui vetustissimi libri Vaticani auspiciis Philippicas longe correctiores ceteris editionibus publicarunt. Poterant ferri aliquo modo ceterae editiones, quae scribebant, *quod iis de rebus, in quas ingressa erat oratio, praetereundum non sit.* Sed in Gruteriana et in iis, quae eam postea recoxerunt, quae omissa particula *de* legunt, *quod iis rebus,* etc. *praetereundum non sit,* nulla est sententia. Graevius. Duo Ferr. codices praepositionem ignorantes vestigium retinent verae lectionis a Vatic. uno servatae. Sic I. de Divin. 6. *si vacas animo, neque habes aliquid, quod huic sermoni*

Quae tua fuga? quae formido praeclaro illo die? quae propter conscientiam scelerum desperatio vitae? quum ex illa fuga, beneficio eorum, qui te, si sanus esses, salvum esse voluerunt, clam te domum

praevertendum putes. Cui loco poterant hunc adiungere Pareus in Lex. Crit. p. 980. et I. F. Gronovius ad Liv. IX. 17. quos vide. GARATON. Ern. et Schütz. *praevertendum est.* Teeg. *praetereundum est.*

Quae tua fuga] Antonius a Trebonio sevocatus, dum Caesar occideretur, audita Caesaris nece, veritus, ne ipse quoque ad mortem peteretur, fugit et se occuluit, abiecta veste Consulari, ut scribit Dio, et, ut Plutarchus, servili veste assumpta. ABRAM.

Quae formido illa die?] *Illo die,* Lang. et Col. et recte: si quid ponderis apud nos habet Pedianus. FERRARIVS. *Illo die*] Ante haec verba addenda est vox *praeclaro.* ut sit *praeclaro illo die*, id est idibus Martiis, quo die Caesar occisus est. et post multa, ubi est *M. Annii filium*, ea omnia verba delenda sunt. FAERNVS. *Praeclaro* recepi cum Manutio et Lambino, praeeuntibus Faërno et Mureto. quod nescio cur respuerit Gruterus. GRAEV. *Praeclaro illo die*] Primam vocem addidit Graevius e suis codicibus. Hanc omittunt Regii. LALLEM. Solus Vatic. habet *praeclaro:* sed *illo* cum eodem, et Colot. et Lang. exhibent ambo quoque Barb. Omnes editi ante P. Man. *illa.* GAR. Neque Ern. neque Schütz. recepit *praeclaro.* Male.

Praeclaro illo die] Idibus Martiis, quo primum die civitas est in libertatem vindicata. ABRAM.

Conscientiam scelerum] Duorum maxime, quod et olim intercessione tua nefaria civili bello caussam praebuisses, et nuper imposuisses Caesari diadema. IDEM.

Beneficio eorum] M. Bruti praesertim, qui, deliberantibus aliis, an Antonium pariter occiderent, vetuit interfici, et Trebonii, qui Antonium sevocavit. Phil. 13: *Sceleratum Trebonium? quo scelere? nisi quod te Idibus Martiis a debita tibi peste seduxit?* ABRAM.

Si sanus esses] Si bene de republica sentires. Supra: *Ipsique C. Caesari, si sana mente esse vellet, consulere velletis.* Id est, rempublicam amplecti, recte de republica sentire, sequi partes optimatium. unde pro Sextio eos dicit optimates, *quique integri sunt, et bene de rebus domesticis constituti.* IDEM.

Clam te domum recepisti] Plutarchus in Caesare: *Antonius autem et Lepidus, qui maxime Caesari erant amici, arrepta fuga subrepserunt in domos alienas.* Sed fieri potest, ut primo in alienam domum se abstruserit, deinde, cum percussores adverteret in nullius perni-

recepisti? O mea frustra semper verissima auguria rerum futurarum! Dicebam illis in Capitolio liberatoribus nostris, quum me ad te ire vellent, ut ad defendendam rempublicam te adhortarer: quoad metueres, omnia te promissurum, simul ac timere

ciem imminere, domum suam se receperit. At non ita facile de Lepido Plutarchum excusare possumus, quem alii tradunt in suburbio cum militibus fuisse, cum in Senatu Caesar occisus est. Sed in re, quae ad Ciceronis explanationem necessaria non est, nolim a gravissimo viro dissidere. Idem. *Clàm te domum recepisti*] In Barb. sec. legitur *domu*, de qua veteri ablativi terminatione dictum supra fuit ad c. 18. Quod si adnectas ibi dictis ea, quae de huiusmodi constructione ad c. 14. pro Balbo adnotavimus, rectam, et antiquam ab eo cod. locutionem praeberi fatebere. Sed est auctoritatis exiguae codex, qui mendose potius videatur lineolam omisisse, quam solus ceterorum omnium, et optimorum praesertim lectionem falsi damnare. Garaton.

O mea semper frustra verissima auguria] *O mea frustra semper*, o. l. s. aures probant. Ferrarius. *O mea frustra semper verissima auguria*] Semper vera fuit auguratus: nam et initio belli civilis praedixerat ea, quae exitus comprobavit, et post necem Caesaris ea, quae hic narrantur. Sed frustra semper, quia nec impetrare potuit a Pompeio, caeterisque, qui bellum cupiebant, ut res cum Caesare componerent: nec a Bruto caeterisque Caesaris percussoribus, ut Antonio diffiderent, eumque metu potius, quam beneficiis in officio continerent. De suis auguriis epist. 6, lib. 6. ad famil. *Si te ratio quaedam Etruscae disciplinae, quam a patre nobilissimo, atque optimo viro acceperas, non fefellit: nec nos quidem nostra divinatio fallet, quam tum sapientissimorum virorum monumentis, atque praeceptis, plurimumque, ut tu scis, doctrinae studio, tum magno etiam usu tractandae reipublicae magnaque temporum nostrorum varietate consecuti sumus.* Enumeratisque iis, quae longe ante bellum civile praedixerat, subnectit: *Quare quando, ut augures et astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus praedictis constitui apud te auctoritatem augurii et divinationis meae, debet habere fidem nostra praedictio. Non igitur ex alitis volatu, nec e cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec e tripudiis solistimis aut somniis tibi auguror: sed habeo alia signa, quae observem*, etc. Abram.

Illis in Capitolio liberatoribus] Bruto caeterisque, qui a rei-

desiisses, similem te futurum tui. Itaque quum ceteri consulares irent, redirent, in sententia mansi: neque te illo die, neque postero vidi; neque ullam societatem optimis civibus cum importunissimo hoste foedere ullo confirmari posse credidi. Post diem tertium veni

publicae cervicibus iugum servile deiecerant, quique caede peracta in Capitolium tanquam Deos comprecaturi concesserant, ibique diem illum noctemque exegerunt. ad quos accesserunt cum alii, tum ipse Cicero, ut cum illis agerent de republica. Idem.

Desiisses] Ienens. *desisses*, ut iam alibi Graevius rescripsit. Heusing. Cum hoc MSo faciunt edd. P. Man. et Car. Steph. item a manu prima Barb. sec. et ita restituo. Infra c. 37. dederunt, *debere desisti*, qui Vaticanum sequuntur: cur non hic quoque? nam utrobique vocalis mediae geminationem optimus liber ignorat. Gar.

Similem te futurum tui] Improbum et violentum. Abram.

Ceteri consulares] Luc. Piso, Luc. Caesar avunculus Antonii, P. Sulpitius, Luc. Philippus, et alii consulares. Idem.

Irent, et redirent] *Irent, redirent*, o. l. v. Ferrarius. Copula omittitur etiam in Vatic. qui eam c. 32. solus omiserat in iisdem verbis, *isti*, *redisti*. Gar.

Optimis civibus] Bruto, Cassio, caeteris, qui erant ex eadem factione. Abram.

Importunissimo hoste] Antonio, apud quem nulla securitas, nullus portus, in quo reipublicae navis tot fluctibus iactata conquiescat. Idem. Ex Homerica sententia, *ὡς οὐκ ἔςι λέουσι, καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιςὰ*, hanc efformatam censet Victorius xxvi. Var. Lect. 15. Gar.

Post diem tertium] xv. Kalend. Apriles, tertio die post C. Caesaris necem, *in aedem Telluris convocati sumus*, (inquit initio Philipp. 1.) *in quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis: Atheniensiumque revocavi vetus exemplum: Graecum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui. Praeclara tum oratio M. Antonii, egregia etiam voluntas: pax denique per eum et per liberos eius cum praestantissimis civibus confirmata est.* Sed Plutarchus scribit in Bruto: *Sequenti die in aedem Telluris convocato Senatu, cum Antonius, Plancus, et Cicero de praeteritorum oblivione et concordia orationem habuissent, S. C. factum est, non solum ut Caesaris percussores impunitatem haberent, sed etiam ut Consules de eorum praemiis edictum proponerent.* τῇ ὑςεραίᾳ, inquit, sed aliquanto maior Ciceronis auctoritas. Abram. *Post diem*

in aedem Telluris, et quidem invitus, cum omnis

tertium, a caede Caesaris idibus Martiis confessi, id est, a. d. XVI. cal. April. sive die Martii XVII. Nam dies tertius est, qui proxime sequitur posterum, qui ab idibus commemoratis tertius est. Cicero XIV. ad Att. 10. et 14. (al. 11. et 16.) dicit, hoc factum esse *Liberalibus*, de quibus Ovidius III. Fast. 713. *Tertia post idus lux celeberrima Baccho.* Hinc aliqui colligunt, Liberalia fuisse die XVIII. Martii, quae in veteri calendario Romano ad diem XVI. cal. April. sive d. XVII. Martii adscribuntur. Eos vero Latini sermonis inscientia decepit, quo *tertius* dies est, quem vulgo secundum dicimus. Hevsinc. Adde Robinson. in Diss. de Hesiodo p. LXXI. ed. Lips. Quemadmodum *ante diem tertium idus* valeret *die tertio ante idus*, utroque termino computato; de qua formula nobis infra dicendum erit ad III. 8. ita plane *post diem tertium idus* valet *die tertio post idus*, unusque inter eum diem, atque idus medius est dies. Similiter IX. ad Att. 10. *hoc scribis post diem quartum quam ab urbe discessimus*, h. e. die quarto post eum discessum. Et quoniam Tullius eas Attici litteras X. Kal. Febr. datas iam dixerat, discessus eius ab urbe incidit in diem XIII. Kal. Hunc diem nisi Cicero adnotasset, non modo eum ex Plutarchi Bruto XIX. cuius per se pateret error, sed ne ex Dione quidem XLIV. 22. tuto constituere possemus: multo minus ex Appiano, apud quem p. 824. 842. non levis est dierum, actorumque perturbatio. Garaton.

In aedem Telluris] Hanc aedem ponit P. Victor in quarta Vrbis regione. Marlianus lib. 3. de antiquae Romae topographia: *Telluris aedes*, inquit, *locum alii incertum, alii non longe ab Esquiliis prope clivum, quod ad Divi Petri in vinculis aedem ducit, fuisse putant, ubi nunc S. Pantaleonis templum est.* Pro domo: *Sp. Cassii domus ob eandem caussam eversa, atque in eodem loco aedes posita Telluris.* Idem.

Equidem invitus] *Et quidem invitus*, aperte verum. Ferrarivs. *Et quidem invitus*] Vel quod nossem animi tui levitatem, tibique fidendum non putarem: vel quod inter armatos milites, qui omnes aditus obsidebant, tuto me venire non posse arbitrarer. M. enim Lepidus Magister Equitum, ut scribit Dio, morte Caesaris comperta, noctu forum militibus occuparat, concionemque sub auroram contra percussores Caesaris habuerat. Abram. Ien. *equidem invitus.* Sic idem c. 32. *equidem cum ipso*, pro *et quidem*. Frequens haec est permutatio. Hevsinc. Omnes post P. Man. quos ego viderim, Ferrario sunt obsecuti, excepto Mureto, antea editis, et Barb. ambobus cum Ienensi codice consentientibus. Gar.

aditus armati obsiderent. Qui tibi dies ille, M. Antoni, fuit? quamquam mihi subito inimicus exstitisti, tamen me tui miseret, quod tibi invideris.

XXXVI. Qui tu vir, dii immortales! et quantus fuisses, si illius diei mentem servare potuisses! pacem haberemus, quae erat facta per obsidem, pue-

Qui tibi dies ille] Antonius cum Cicerone auctor fuerat concordiae civium, et ut provinciae Bruto et Cassio decernerentur, ex quo magnam gloriam fuerat consecutus. Sed sibi paulo post invidit hanc gloriam, quia discordias illas paulo post renovavit. Quod dolet Orator, etsi causa quaedam subesse videbatur, laetandi inimici sui infamia et dedecore: eum praesertim Antonius nulla lacessitus iniuria subito inimicus extitisset Ciceroni, eique ex improviso inimicitias denuntiasset. Abram.

Subito inimicus extitisti] Kalendis Septembribus Senatum habuit Antonius, retulitque ad Senatum de supplicationibus mortuo Caesari decernendis. Cicero non adfuit languens de via, misitque ad Antonium qui hanc adferret absentiae suae rationem. Enimvero Antonius, ita subito exarsit, ut minatus fuerit se cum fabris iturum ad domum Ciceronis, eamque disturbaturum, qua iniuria repente Ciceroni extitit inimicus. Vide 1. Phil. Idem. Vat. *inimicus subito exstitisti.* Gar.

Per obsidem puerum nobilem M. Antonii filium, M. Bambalionis nepotem]. Peracto S. C. de oblivione iniuriarum in aede Telluris, invitati sunt Caesaris percussores, ut e Capitolio descenderent. Illi cum etiam tum sibi a Lepido et Antonio metuerent, non ausi vitam suam illis committere, obsides ab eis petierunt. Dedit Antonius filium suum, quem ex Fadii Bambalionis libertini hominis filia susceperat. Abram. Auctor est Faërnus, non legi in Vaticano *M. Antonii filium*, ideoque illas voces delevi, eumque secuti sunt Lambinus et Manutius; retinuit tamen eas Muretus. Glossam esse, quae adscripta fuerit margini, qua magister exposuit, quis esset nobilis puer M. Bambalionis nepos, nemini potest obscurum esse, qui attentius ista legit. Nobilem puerum dixit εἰρωνικῶς, cum eum vocat *Bambalionis nepotem*. Nam Antonii erant sane nobiles, itaque hic parum facit ad Ciceronis mentem, si addatur *Antonii filius*. Nullus autem tum erat, qui salsum illud dictum, *nobilis puer M. Bambalionis nepos*, non intelligeret, esse *M. Antonii filium:* quod si addatur, hebescit acumen, quo vult ferire Antonium. Graevius. Ern. et Schütz. etiam omiserunt *M. Antonii filium.*

rum nobilem M. Bambalionis nepotem. Quamquam te bonum timor faciebat, non diuturnus magister officii: improbum fecit ea, quae, dum timor abest, a te non discedit audacia. Etsi tum, quum optimum te putabant, me quidem dissentiente, funeri tyranni, si illud funus fuit, sceleratissime praefuisti.

M. Bambalionis] Dubium est, quod praenomen habuerit Bambalio. supra Q. Fadium, lib. 16. ad Attic. epist. 11. etiam C. Fadium nominavit: *Tantum, ut sciant παῖδες παίδων, sine vallo Luciliano, eum ex C. Fadii filia liberos habuisse.* De eo 3. Philipp. *Tuae coniugis, bonae foeminae, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter haesitantiam linguae stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit.* Quem locum exponens Petrus Victorius lib. 17. Var. lectionum cap. 14. Adamantius, inquit, vetus Grammaticus, quod sententiae Ciceronis respondet, inquit, Bambalo ψελλιςής. a Graecis autem ψελλιςὰς vocatos balbos; et qui lingua haesitarent, notum est, etc. Graeci Grammatici tradunt, βαμβαλίζειν valere tremere corpore propter frigus, atque horrere: huiusmodique aliquem dentium horrorem ostendere arbitrantur voluisse Homerum, cum in χ. Iliadis de Dolone iam capto cecinit:

— ὁ δ' ἄρ' ἔςη τάρβησέν τε
Βαμβαίνων. —

Tanquam metu ille impeditam linguam haberet, et cum vellet loqui, exprimere verba non posset, sed balbutiret. Abram. Praenomen Bambalionis supra vidimus ad c. 2. hic vero *Marcus* vocatur, qui alias *Caius*, vel *Quintus*. Sed hoc M. superest ex glossa *M. Antonii filium*, cuius duo tantum verba deleverunt critici, *Antonii filium*, tertium, cuius nota est M. reliquerunt. Heusing. Non ita est. Libri fere omnes habent duo M. unumque retinet Vaticanus, et alter, quem notat Lamb. cum Vat. facere. In Barb. sec. a manu prima fuisse videtur, *M. Antonium M. Bambalionis nepotem.* Cave adsentiaris Heusingero. Alius est enim C. vel Q. Fadius, alius M. Fulvius Bambalio, seu Bambalo, ut Carrioni placet, de quo hic agitur. Vide ad III. Phil. 6. Garaton.

Te bonum timor facit] Terentius Adelphis actu 1, scen. 1:

Et errat longe, mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adiungitur.
Mea est sic ratio, et sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:

Si sperat fore clam, rursum
ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adiungas,
ex animo facit, etc.

Noster lib. 2. de Officiis: *Malus enim custos diuturnitatis metus: contraque benevolentia fidelis est, vel ad perpetuitatem.* Horatius epist.

— *Tolle periclum,*
Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.

Abram.

Non diuturni magister officii] *Diuturnus*, o. l. s. impressos tuetur ipse Tullius de offic. cuius verba subscripsi: *Malus enim custos diuturnitatis metus.* Ferrar. *Non diuturnus*] Alii legunt: *non diuturni magister officii.* Idem sensus est. quia, qui sola poenae formidine bene faciunt, sublato metu ad priora studia revolvuntur. Abram. *Non diuturnus magister officii*] Sic Ienensis: quidam, *non diuturni*, ut II. Offic. 7. *malus custos diuturnitatis metus.* Sed aliud est *diuturnitatis custos*, aliud *diuturnus magister.* Hevsing. Primus Muret. et postea Lamb. edidit *diuturnus*, in omnibus MSis sic legi testatus, h. e. praeter Ferrarianos, in suis, et Vatic. quibus merito paretur. Gar.

A te non discessit audacia] O. l. s. *Discedit:* et hoc quidem rectum. Ferr. Recte *discedit* etiam Barb. uterque, et Vatic. Gar.

Me quidem dissentiente] Duplex sensus esse potest, vel enim dissentiebat ab aliis Cicero, quod, aliis Antonium optimum putantibus, ipse ne bonum quidem putaret, sed eum crederet, sublato metu, primo quoque tempore ad suos mores et improbitatem esse rediturum: vel quod, aliis Antonium funeri Caesaris praeficientibus, ipse praeficiendum non putaret. Abram.

Funeri tyranni illius sceleratissime praefuisti] *Sceleratissimi*, o. l. s. recte, meo quidem iudicio. Ferrarivs. *Funeri tyranni illius sceleratissimi praefuisti*] Pro *sceleratissimi*, *sceleratissime* legendum vocativo casu, et pro *illius*, haec verba supponenda, *illud funus fuit*, ut hic totus locus sic habeat, *funeri tyranni, si illud funus fuit, sceleratissime praefuisti.* et paulo post addendo dictionem *inquam* legendum: *tutu inquam.* et duobus interpositis versibus, ubi est, *perditorum hominum*, delenda vox *hominum.* Faernvs. *Funeri tyranni, si illud funus fuit*] Idem significat, quod superiori oratione, cum *insepultam sepulturam* dixit, et paulo infra, cum *semustulatum Caesarem.* Confer autem hunc locum cum aliis editionibus, facile, quid a nobis praestitum sit, intelliges. Mvretvs. *Funeri tyranni illius sceleratissimi praefuisti*] Sic mss. Ferrarii, neque secus nostri. vulgata, *sceleratissime*, ut referatur ad Antonium. at Lambinus amplius habet, *funeri tyranni, si illud funus fuit, sceleratissime*, si e libris Faërni aut Mureti: probo. Grvtervs. Vides autem, hunc locum sic emendatum esse ex veterrimis membranis a Faërno, et Mureto. Graev. *Funeri tyranni*] Habuisti funebrem oratio-

Tua illa pulchra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio.

nem in laudem Caesaris demortui. Abram. Lactantius I. Div. Instit. 15. *Apud Romanos deus Iulius, quia hoc scelerato homini placuit Antonio* (vide infra c. 43.); *deus Quirinus, quia hoc pastoribus visum est: quum alter gemini fratris exstiterit, alter patriae parricida. Quod si Consul non fuisset Antonius, C. Caesar pro suis in remp. meritis etiam defuncti hominis honore caruisset, et quidem consilio Pisonis soceri, et L. Caesaris propinqui, qui vetabant funus fieri, et Dolabellae Consulis, qui columnam in foro, id est, tumulum eius evertit, ac forum expiavit.* Quae de columna Lactantius habet, refer ad I. Philipp. 2. Garaton. Ern. et Schütz. *funeri tyranni, si f. i. fuit, sceleratissime praefuisti.* Eandem lect. exhibet Tegg. et edit. princ. et Huydec. uti Ern. notavit.

Tua illa pulchra laudatio] Ironice pulchram appellat laudationem Antonii, quae revera perniciosa fuit reipublicae. Ea funebri oratione tria praestitit Antonius. 1. Laudavit Caesarem, et cum Alexandro Macedone comparavit, ut scribit Appianus. 2. Interitum Caesaris miserabiliter deflevit. 3. Multitudinem contra percussores Caesaris excitavit. Plebs ita subiectis iracundiae facibus exarsit, ut Caesaris corpus in forum detulerit, deinde structo a septis, subselliis et tribunalibus rogo combusserit, tandem raptis e rogo torribus, ad percussorum reliquorumque Senatorum aedes accurrerit, ut eas incenderet. quo in tumultu L. Bellieni domus deflagravit. Laudationem Caesaris funebrem ab Antonio dictam refert Dio libro 44, et Appianus lib. 2. exeunte de bellis civilibus. Abram.

Tua miseratio] Antonius, auctore Plutarcho, cum in funere Caesaris orationem haberet, cum multitudinem oratione delinitam, et indignatione in percussores sensim accensam videret: *Caesaris tunicam sanguine conspersam manibus acceptam explicuit, ostendens ictus multitudinemque plagarum.* Cuius rei soli antiquorum videntur Appianus, et Plutarchus facere mentionem. Non Tranquillus, non Dio, non ipse Cicero: a quo mirum est rem adeo insignem, quae tantam Antonio notam inussisset, taceri potuisse. Dio lib. 44. Antonium loquentem inducens, enumeratis honoribus Caesari delatis: *Pontifex Maximus Deorum respectu, nostrum Consul, militum Imperator, hostium Dictator est creatus: quamquam,* addit, *haec ipsa cur enumero? cum paulo post eum patrem patriae appellaveritis, ut reliqua cognomenta reticeam. Caeterum is pater, is Pontifex Maximus, is sacrosanctus, is heros, is deus mortem obiit: obiit (pro dolor!) non morbo confectus, non senio absumptus, non foris in bello vulneratus, non coeli-

Tu, tu, inquam, illas faces incendisti, et eas, quibus semustulatus ille est, et eas, quibus incensa

tus immisso aliquo casu abreptus, sed hic intra moenia dolo circumventus periit. Et alia plura in hanc sententiam; in quibus singulis non est operae pretium immorari. Vide Dionem, et Zonaram secundo Annalium, qui hanc orationis clausulam verbatim exscripsit. At Tranquillus cap. 8: *Laudationis,* inquit, *loco Consul Antonius per praeconem pronuntiavit Senatusconsultum, quo omnia ei divina simul atque humana decreverat, Item iusiurandum, quo se cuncti pro salute unius adstrinxerant, quibus perpauca a se verba addidit.* quod enucleate narrat Appianus. Abram. Hinc vides, quid sit *miserabiliter laudare* apud Cic. XIV. ad Att. 10: *At ille etiam in foro combustus, laudatusque miserabiliter:* nimirum id est sic laudare, ut miseratione incendatur populus et indignatione in percussores Caesaris. Hic vocat *miserationem.* Sic *miserabilis oratio,* apud Quintil. et alios, quae miserationem movet. Itaque male non ita pridem vir doctissimus et politissimi ingenii in Gallia illum in epistolis ad Atticum est interpretatus, misere laudare. Graev. Ex Suetonio, Plutarcho, Appiano, et aliis scimus, Antonium, cum Caesari parentaret, lamentabili voce, deploratione, et questu, maxime vero vestibus Caesaris iis, in quibus confossus fuerat, pro concione explicatis, adeo movisse populum, ut mortem eius protinus ulcisci voluerit. *Miseratio* ergo est oratio ad movendam misericordiam composita, et voce ad miserabilem inflexa sonum pronunciata; quam, nescio qua fide, Dio Cassius refert lib. XLIV. sub fin. Hoc est, quod Cicero dixit *miserabiliter laudatum* ab Antonio Caesarem XIV. ad Att. 10. Sueton. Ner. XLVII. *an atratus prodiret in publicum, proque rostris, quanta maxima posset, miseratione precaretur.* Vbi male multi *veneratione,* quod nec Burmannus aspernatur. Heusing.

Tu, tu, inquam] Lect. Vat. *inquam* Ern. non recepit, at Schütz.

Illas faces] Idem Suetonius 85: *Plebs statim a funere ad domum Bruti et Cassii cum facibus tetendit: atque aegre repulsa,* etc. Plutarchus in Caesare: *Congestis ex foro in demortuum subselliis, cancellis, mensisque, succenderunt et cremaverunt cadaver: inde arreptis titionibus ardentibus ad domos percussorum inflammandas cucurrerunt.* Abram.

Eas, quibus semiustum latus illius est] *Semustulatus ille est,* Col. 1. praeclare. Hoc verbo quoque pro Mil. usus est: *Infelicissimis lignis semustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.* *Vstulare* dixit auctor obscoeni carminis: *Ambustulatum* Plautus. Ferra-

L. Bellieni domus deflagravit. Tu illos impetus perditorum hominum, et ex maxima parte servorum, quos

nivs. Cum Colotiano unus consentit Vaticanus. Muretus omisit verbum *est*, et supra dedit, *tu illas faces*, ut ante Faërnum legebatur, nescio qua de causa. GAR.

L. Bellieni domus] Hic fuit non solum Pompeianus, sed etiam partium propugnator acerrimus iam tum ab initio belli civilis. de quo M. Coelius ad Ciceronem epist. 15: *Intemelii in armis sunt, neque de magna causa. Bellienus, verna Demetrii, qui ibi cum praesidio erat, Domitium quendam nobilem illic Caesaris hospitem, a contraria factione nummis acceptis, comprehendit et strangulavit. Civitas ad arma iit*, etc. Vernam appellat, quod esset libertus Demetrii, Demetrius autem etiam ipse libertus Pompeii Magni, apud patronum suum apprime gratiosus. De quo Plutarchus in Pompeio, et Catone Vticensi, et Dio libro 39. Caeterum fueritne Bellienus unus e percussoribus Caesaris, nemini, ut reor, compertum est. Crediderim, non fuisse. Neminem enim, qui Senator non esset, in societatem illius facinoris adsciverant. nec facile crediderim, eum, quamvis praesidio praefectus esset, in Senatum a Pompeio allectum fuisse. (Nullis enim libertinis hominibus Pompeius amplissimum ordinem inquinavit.) Multo minus a Caesare, qui vix ac ne vix quidem in Senatum adscripsit libertum Demetrii. Plutarchus in Pompeio Bellieni cuiusdam Praetoris a piratis cum fascibus et lictoribus capti facit mentionem. AM.

Perditorum] Iudaeos potissimum videtur intelligere, qui maximam erga Caesarem benevolentiam prae se tulerunt. Tranquillus 84: *Praecipueque Iudaei, qui etiam noctibus continuis bustum frequentarunt*. Eos autem et in foro frequentes fuisse, et frequenter seditionum fluctus excitasse, constat ex Orat. pro Flacco: *Sequitur auri illa invidia Iudaici, hoc nimirum est illud, quod non longe a gradibus Aureliis haec causa dicitur. Ob hoc crimen hic locus abs te, Laeli, atque illa turba quaesita est. Scis, quanta sit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus.* et: *Huic autem barbarae superstitioni resistere severitatis, multitudinem Iudaeorum flagrantem nonnunquam in concionibus pro republica contemnere gravitatis summae fuit.* Erant autem infensi partibus Pompeianis, memores templi olim capti a Cn. Pompeio. IDEM. *Perditorum hominum*] Egentium. XIV. ad Att. 10. *servique, et egentes in tecta nostra cum facibus immissi.* Faërnus auctoritate Vaticani delet *hominum*, quod plerique tamen retinent cum Ienensi. HEVSING.

Servorum] *Nam urbana multitudo*, inquit hanc ipsam rem

nos vi, manuque repulimus, in nostras domos immisisti. Idem tamen, quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio praeclara Senatus consulta fecisti, neque

tractans Appianus, *iam mixta est omnigenis exteris; et libertini aequo iure degunt cum aliis civibus, et servus cultu eodem utitur, quo et dominus, exceptaque senatoria veste caeterarum usus est promiscuus.* Abram.

In nostras domos immisisti] Lib. 14. ad Attic. epist. 10: *Meministine, te clamare, causam periisse, si funere elatus esset? At ille etiam in foro combustus, laudatusque miserabiliter: servique et egentes in tecta nostra cum facibus immissi.* Abram.

Idem tamen] Postquam superius fecit incendii mentionem, sumit comparationem a fuligine, quod Antonius labem et infamiam illa funebri laudatione contractam, quasi fuliginem e facibus illis et incendio restantem, posterioribus rebus a se praeclare gestis absterserit. Id.

Quasi fuligine abstersa] Vituperationi laudes nonnullas inseruerit, ut Philo in Flaccum: *Laudo Flaccum, non quia conveniat inimicum laudare, sed ut eius improbitatem manifestius ostendam. Ei enim, qui ex melioris ignoratione peccat, venia conceditur. Is autem, qui ex certa scientia facit iniuste, excusationem non habet suae conscientiae iudicio praedamnatus. Multi siquidem*, inquit Ioannes Saresberiensis lib. 7. Policratici cap. 24, *ut magis noceant, eisque credatur fidelius, laudes praedicant alienas.* Subdit exemplum ex Metam. Ovid.

Felix et nato, felix et coniuge Proteus,
Et cui, si demas iugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant. —

Nunquid tanti parricidii labes omnes non modo fortunae dotes, sed quamvis magnificos virtutis titulos grandes non oblitterat? Tale est illud Oratoris. Iulium fortunatum fateor virum fortem, et quem constat strenue egisse quamplurima: quo tamen pacto iudicium repetundarum apud iudices iustos evaserit, mirarer equidem, si vis eloquii eius mihi esset incognita. Idem.

Praeclare Senatus consulta] Philipp. 1: *Assentiri etiam nos Ser. Sulpicio, clarissimo viro, voluit, ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti Caesaris, aut beneficii figeretur.* Caesar civitatibus aut etiam singulis personis, quae ab ipso steterant bello civili contra Pompeium, aliis immunitatem a vectigalibus, vacationem a militia aliisque publicis oneribus, aliis beneficia concesserat, et immunitatum edicta in tabulas aereas incidi atque in Capitolio figi voluerat ad memoriam futuri temporis sempiternam. Sed Servio Sulpicio principe sententiae S. C. factum est, ne id deinceps fieret,

post idus Martias immunitatis tabula, neve cuius beneficii figeretur. Meministi ipse de exsulibus: scis de immunitate quid dixeris. Optimum vero, quod dictaturae nomen in perpetuum de republica sustulisti. Quo quidem facto tantum te cepisse odium regni videbatur, ut eius omnem propter proximus Dictatorem tolleres metum.

tum ne quid detrimenti ex tot immunitatibus caperet respublica, tum ne Caesaris nomine fraus obreperet, tum ne his Caesaris etiam demortui beneficiis plebs inflammaretur ad exigendam de coniuratis ultionem. IDEM.

Neve cuius beneficii] Ita Lambinus, et firmant duo codices Regii, pro vulgato, *neve cuiusquam beneficii*. LALLEM. His duobus MSis praeiverat Vaticanus, quem Verb. et Olivet. immerito contemserunt. GAR. Ern. et Schütz. habent *neve cuiusquam*, Graevius *neve cuius*.

Tabula figeretur]. Leges et foedera, decreta tabulis aereis incisa, tum in aliis locis publicis, tum vel potissimum in Capitolio clavis ad parietes aut columnas figebant. ABRAM.

Meministi] Phil. 1: *Summa cum dignitate et constantia ad ea, quae quaesita erant, respondebat*, etc. *Num qui exules restituti? unum aiebat, praeterea neminem. Num immunitates datae? Nullae, respondebat.* IDEM.

Optimum vero] Vide Philipp. 2, cap. 1. Dio lib. 44: *Legem etiam tulerunt, ne quis in posterum Dictator crearetur: exsecrationesque addiderunt, ac mortem ei, qui mentionem Dictaturae fecisset, aut eum magistratum in se recepisset.* IDEM.

Vt eius omnem propter proximum, c.] *Vt eius regni*, a. L v. quod tamen opinor esse glossema. Quod autem sequitur, *tolleres metum*, *metum tolleres*, L. Col. quem sequor: hic enim numerus viget, ille alter iacet. FERRAR. *Vt eius omnem propter proximum dictatorem metum tolleres*] Vaticanus liber, *Vt eius omen nomen propter proximum dictatoris metum tolleres*, ex cuius scripturae vestigiis coniici potest legendum esse, *ut eius omne nomen*; etc. F. VRSINVS. *Vt eius omnem*] Alias: *Vt eius omen, propter proximi Dictatoris nomen tolleres.* Alias: *Vt eius omne nomen propter proximum Dictatoris metum tolleres.* Alias etiam aliter, et aliud alio peius, intrusae, credo, lectiones ab iis, quos παρεγγράφους illa delectat, *omen*, *nomen*. Perspicuus autem est sensus illius scriptionis, *Vt eius omnem, propter proximum Dictatorem, tolleres metum.* Videbatur enim Antonius odio Caesaris, qui proxime Dictator fuerat, omnem regni metum sustulisse, sanciens, ne quis in posterum Dictator

XXXVII. Constituta respublica videbatur aliis, mihi vero nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. Num me igitur fefellit? aut num diutius sui potuit esse dissimilis? Inspectantibus vobis, toto Capitolio tabulae figebantur: neque

diceretur. Abram. Probarem Vaticani libri lectionem, ex emendatione F. Vrsini, et Mureti, nisi proxime praecessisset *dictaturae nomen*, quam vocem repeti in tam paucis verbis non est Tullianae ubertatis. Retineo itaque vulgatam lectionem cum Faërno et Manutio, quamvis Muretus scripserit, *ut eius omne nomen*, quod si potuisset ferri, dictum fuisset, ut illud Iustini v, 6: *Vt Atheniensium deletum non imperium tantum, verum etiam nomen videretur.* Graevivs. Vatic. *ut eiusomen. nomen propter proximum Dictatoris metum tolleres.* Duae lectiones pro una, quarum altera ex glossa, neutra vera est. Proxime enim dixerat, *dictaturae nomen.* Ienens. *ut regni eius omnem propter Dictatorem tolleres metum*, omisso *proximum*. Vulgata melior. Hevsing. Etiam in cod. Barbadorii erat *Dictatoris.* Cum autem in Vat. et Colot. sit, *metum tolleres*, proxima ea vox *metum* imperito alicui persuasisse videtur, ut *Dictatoris* rescriberet. Ex *omnem* primo factum *omen*, deinde ab emendatore de proximo arcessita vox *nomen.* Male cum tot aliis ambo Barb. Rom. et Ven. addunt *regni.* Ait Cicero, metum omnem regni Antonium sustulisse, ut I. 2. *non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato.* Quod autem hic additur, *propter proximum Dictatorem*, ibi sic exprimitur, *propter perpetuae dictaturae recentem memoriam.* Garaton. Codd. ab Ern. inspecti habent *ut eius omnem, p. p. d. t. metum.* Gud. *in eius regni omnem p.* etc. Teeg. *in eius omnem, p. p.* etc.

Constituta respublica] Ad quietem et tranquillitatem revocata ex illa iactatione et seditione populari. Abram.

Te gubernante, naufragia metuebam] Te Consulatum gerente et rempublicam administrante, omnes turbas et seditiones metuebam. Idem.

Potuit sui esse dissimilis?] *Sui potuit esse*, o. l. v. multo concinnius. Ferrarivs. *Sui potuit esse dissimilis?*] Contra naturam suam boni Consulis personam sustinere. Abram. *Sui* est in omnibus libris: ordo tantum varius: et ambo etiam Barb. cum Ferrario faciunt, cuius adnotationi per mendum hic praefigebatur *suis*, sed non in Coll. Opor. Itaque id correxi. Gar.

Inspectantibus vobis] Adverte, quibus adiunctis rem exaggeret. Quod luce, palam, in oculis civitatis, inspectante ipso Senatu, qui paucis ante diebus ex Anto-

solum singulis venibant immunitates, sed etiam populis universis. Civitas non iam singillatim, sed provinciis totis dabatur. Itaque si haec manent, quae stante republica manere non possunt, provincias universas, Patres Conscripti, perdidistis: neque vectigalia solum, sed etiam imperium populi Romani huius domesticis nundinis deminutum est. Vbi est septies

nii voluntate S. C. fecerat. ne qua post Idus Martias immunitatis tabula, neve cuius beneficii figeretur. at ille contra S. C. a se factum tabulas fixit, neque quolibet in loco, sed in Capitolio, ut non solum hominibus, sed etiam Iovi suam illam impudentiam ostenderet. Neque in uno vel altero Capitolii pariete, sed *toto Capitolio* fixit: tanta quippe vis erat illarum tabularum, ut vix ipso Capitolio caperentur. Caetera etiam, si quis examinet, suum habent momentum, ut quod non darentur, sed venirent, id est, venderentur immunitates, quod non singulis venirent, sed populis universis. ABRAM.

Veniebant] Vendebantur. IDEM. Omnes, quos vidi, *veniebant*, quod miror, cum non sit a *venio*, sed a *veneo*. Itaque non potui non tam turpe mendum aliquando eximere. Ciceroni certe tribui non potest, qui V. ad Att. 20. scripsit, *mancipia venibant Saturnalibus tertiis*. Cornel. Nepos apud Plin. IX. H. N. 39. *denariis centum venibat*. Quinctil. VI. 3. 51. *post mortem eius bona venibant*. Similiter erratum est in Liv. II. 9. ubi leges Drakenb. adnot. HEUSING.

Vnus ex omnibus, quantum scio, Heusing. edidit *venibant*, ut edere oportet, MSis quantumvis repugnantibus, quos omnes habere *veniebant*, silentium editorum existimare iubet; eoque mendo Barb. utrumque inquinari iam non miror. Sic primus eorum c. 39. *cur veniunt?* mendose pro *veneunt*. GAR.

Immunitates] Vacationes a vectigalibus pendendis, a militia, a publicis oneribus. ABRAM.

Populis universis] Infra: *Nuper fixa tabula est, qua civitates locupletissimae Cretensium vectigalibus liberantur: statuiturque, ne post M. Brutum Proconsulem sit Creta provincia.* IDEM.

Civitas] Lib. 14 ad Attic. epist. 12: *Scis, quam diligam Siculos, et quam illam clientelam honestam ducam. Multa illis Caesar, neque me invito, etsi Latinitas non ferenda. Verumtamen. Ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem a Dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani, cuius rei vivo illo mentio nulla.* Id est, Caesar Siculis multa privilegia concesserat: et inter caetera, ut Latinarum coloniarum iure fruerentur. Antonius autem, ac-

cepta grandi pecunia, dedit illis civitatem, ut civium Romanorum ius obtinerent, et ea de re legem fixit, quam mentiebatur a Caesare vivo latam fuisse comitiis, et populi Romani suffragio receptam. Idem.

Singillatim] *Singulatim*, Lang. utrumque usitatum. recte etiam dicitur *sigillatim:* nisi omnes libri mendosi sunt. Ferrar. *Non tam singillatim*] Antiquus liber, *non iam s.* et paulo post, ubi legitur, *ubi est septies milies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat*, ille habet, *ubi est septiens miliens sestertium, quod est in tabulis, quae sunt ad Opis?* Faernus. Ien. *non tam singillatim*, *sed provinciis dabatur,* omisso *totis,* quod abesse potest. Hevsing. Barb. ambo, Naug. Gryph. et Car. Steph. *sigillatim,* Rom. *singulatim.* Optimum vero est *iam*, unde primum *tam* exstiterat, ut cum Ien. habent Naug. Gryph. et alii pauci: quod alii mendum animadvertentes, mutarunt in *tum*, quomodo cod. Barbador. ambo Barb. Rom. Ven. Ald. Herv. P. Man. Car. Steph. et repet. Lamb. Similiter ante *sed* adhibitum invenies *non iam* locis compluribus apud Schwartz. ad Tursellin. cap. LXXXI. p. 295. ed. Patav. item II. in Verr. 77. III. 73. IV. 27. et pro Marc. 6. ubi male deletum *iam* fuit a Graevio. Adde Tacitum Agric. 44. etc. Garaton.

Si haec manent] Eodem sensu Maro:

Atque immota manet fatis
Lavinia coniux.

De Provinciis Consularibus: *Vobis statuendum est, legem Æliam manere, legem Fusiam non esse abrogatam.* Abram.

Provincias universas] Cretam. Idem.

Domesticis nundinis] Supra: *Cum domi tuae turpissimo mercatu omnia essent venalia.* Idem.

Diminutum est] *Deminutum*, Langus, Scala. Ferrar. Ita etiam recte Lamb. et Grut. firmante Vat. licet ei Muret. non paruerit. Gar.

Vbi est septies millies sestertium] Si decies H-S. viginti quinque millibus aureorum nostratium velis aestimare, septies millies efficient septemdecim milliones, ut Arithmetici loquuntur, et quingenta millia aureorum. Ea vero summa patebat in tabulis, quae erant in Æde Opis et Saturni, ubi aerarium, priusquam Antonius eam pecuniam interverteret, ad seque traduceret. Praeter hanc pecuniam interversam ex aerario *Calpurnia* Caesaris coniux, inquit Plutarchus, *magnam pecuniae partem e domo prolatam apud eum deposuit: cuius summa fuit quatuor millia talentorum,* id est nongenties sexagies H-S. vel nostro modo loquendi quadringenta millia aureorum supra duos milliones. Abram. Delenda vox *sestertium,* quae a Vaticano abest, quamvis adesse videas apud Faërn. neque a Mureto deleta sit. Eam vero Aldus nepos omiserat, ex eoque Schegkius, et Lipsius ad Vellei. II. 60. 4. Si de coniectura, divinavit egregie: sin ab

millies, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat? funestae illius quidem pecuniae, sed tamen, si iis,

alio aliquo; quisnam is fuerit, nescio. Vide porro infra ad V. 4. GARATON. Adest in Graev. Ern. et Schütz. editione.

Quod in tabulis] Quod *sestertium pondus*, quod supplendum esse docet Gronovius de Pec. Vet. II. 2. et 3. Numquam certe in his summis, quae adverbiis exprimuntur, pluralis admittitur. Vide Casaub. ad Plin. VII. Epist. 29. 2. Casus vero variari potest, ut dicatur, *millies sestertii liberalitas*, *imposito millies sestertio*. HEUSING.

Quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat] Ita legendum putabat Budaeus lib. IV de Asse, cum prius publicaretur *petebatur*. neque aliter Pall. nostri. at Lambinus et Manutius edidere, *quod est in tabulis, quae sunt ad Opis?* GRUT. Sed Muretus et Faërnus *patebat* ex Vaticano. GRAEV. *In tabulis patebat*] Explicat Cicero V. Phil. 6. *cuius ratio in aede Opis confecta erat*, quaeque adeo in tabulis acceptorum, et expensorum perscripta erat, quae subductis expensis supererat. Sollemne verbum in rationibus. Vide Parenm Lex. Crit. p. 894. Gronov. de Pec. Vet. III. 17. Voss. ad Catull. Epigr. XXV. p. 68. HEUSING. Vulgata haec incipit in ed. Aldi senioris, qua cum Ferrar. uteretur, et sileat, idem ab eo in suis MSis inventum apparet: idemque servant ambo Barb. et cod. Barbadorii, nisi quod glossemate inquinantur, *ad aedem Opis*, quale vidimus I. 7. Vulgatam tuentur etiam Rom. Ven. et Herv. in quibus mendose *petebat*. Vnus ab his abit Vatic. quod ipse, qui valde heic memoria labitur, Graevius in V. L. agnovit. Sed verbum *patere* Tullius adhibuisse omnino videtur, ut Heusing. ostendit. Mihi vero placet lectio Parei l. c. *quod patet in tabulis, quae sunt ad Opis?* eiusque MSum aliquem auctorem desidero. Eodem loco potuit *est* poni ab interprete, ut vides in Vatic. quo *patet* Cicero posuerit, qui de praesenti tempore loquitur. Neque V. 6. *confecta erat*, sed *est* legitur: neque obstat, quod ait ibid. 4. *septies milies falsis perscriptionibus, donationibusque avertit*, ab Antonio scilicet confictis; Caesarique mortuo adtributis. Sed vulgata contenti simus. GARATONIUS.

Funestae illius quidem pecuniae] Caesaris quidem pecuniae, cum magno luctu provinciallum, iniustis quidem exactionibus extortae fuerant: sed tamen, si ad iustos possessores non redirent, poterant nos a tributis liberare, quae impendent, exhausto bellis civilibus aerario. Philipp. I. *Pecunia utinam ad Opis maneret, cruenta illa quidem, sed*, etc. vide locum. Vide et Tranquillum in Iulio cap. 54. Dio libro 42: *Pecuniis conficiendis intentus erat; quod duas res*

quorum erat, non redderetur, quae nos a tributis pos-

esse praedicaret, quibus et quaereretur, et conservaretur, et augeretur potentia, milites nimirum, ac pecuniam, et alterum ab altero pendere dicebat. Addit: *Mutui nomen, cum pecuniae exigendae alia probabilis ratio non extabat, praetexebat: quanquam alioquin vi eas quoque, non secus atque debitas sibi poscebat, neque redditurus unquam erat. Dicebat, suas se facultates reipublicae impendisse, ideoque nunc nomina facere opus habere,* etc. Hanc igitur ob causam funestae Caesaris pecuniae, quales illae describuntur a Latino Pacato paneg. Theodosii: *Parum ille pretiosum putabat aurum, quod de montium venis aut fluminum glareis quaesitor Bessus, aut scrutator Callaicus eruisset: illud purius splendidiusque credebat, quod dedissent dolentes, quod hominum lacrymae, non amnium aquae abluissent, nec e terrenis specubus egestum, sed e cervicibus iugulisque caesorum esset effossum.* Abram.

Non redderentur] Cod. Ien. *reddetur,* pro *redderetur,* quod verum est, et Graevius etiam in V.L. probavit: qui tamen edidit *redderentur,* etsi praecedit *erat,* pro quo Ant. Gryph. habet *erant.* Erroris causa fuit, quod *funestae pecuniae* primum casum pluralis numeri putarunt, cum sit secundus singularis. Sequitur enim, *quae posset.* Heusing. *Si iis, quorum erat, non redderetur, quae nos etc.*] Vitiose vulgati, *redderentur.* Sequimur codices Regios. Lallem. Gryphiana illa editio Ferretti, qui sui codicis praestantiam praedicat, duplex mendum invexit, *erant, redderentur,* quorum posterius Lambiniani repetitores revocarunt, Grut. Verb. et Olivet. per summam negligentiam retinuerunt; tollendumque censui, cum etiam huc adversus Graevii voluntatem irrepserit. In Barb. quidem primo reperi, *erant, redderentur, possent:* sed, si haec probamus, quid fiet voce *illius?* quae quidem singularem numerum maxime heic postulat, confirmante loco simili I. 7. *pecunia utinam ad Opis maneret! cruenta illa quidem, sed his temporibus, cum iis, quorum est, non redditur, necessaria.* Adde V. 4. et 6. VII. 5. Itaque unice vera est lectio Vaticani, et meliorum omnium codicum, Barb. sec. Ald. Naug. Seb. Gryph. MDXXXIX. Cam. P. Man. Car. Steph. Muret. Lamb. *erat, redderetur, posset:* a qua non discedunt Rom. ac Ven. nisi quod habent cum Ien. *reddetur.* Fortasse autem alicui videatur apertius, *funestae illis quidem pecuniae,* h. e. tabulis: et sane *illis,* atque *illius* permutari solent, ut contigit c. 26. pro Sulla. Sed mihi probatur, *septies millies funestae pecuniae,* ut infra XII. 5. *sestertium septies millies pecuniae publicae.* Cum Mureto Lambinus verba *quae nos* retraxit, et post *sed tamen* col-

set vindicare. Tu autem quadringenties H-S, quod idibus Martiis debuisti, quonam modo ante Kalendas Aprilis debere desisti? Sunt ea quidem innumerabi-

locavit, auctore Vaticano. GARATON.

Tu autem] Antonii rapinas a consequenti, et tanquam e vestigio demonstrat, quod videlicet paucis diebus immane aes alienum persolverit. ABRAM.

Quadringenties H-S] Vnum auri Gallici millionem, quadringenta Hispanicarum pistollarum, ut vocant, millia, totidem aureos Romanos antiquos. Nam, ut alibi diximus, sestertium valuit mille sestertios nummos, sive decem aureos Romanos. IDEM.

Idibus Martiis] Foeneratores Idibus et Kalendis subducebant expensi et accepti rationes: et eam ab rem Orator ex iis diebus computat aes alienum Antonii. Foeneratores Idibus et Kalendis subducebant rationes, et pecuniam a suis creditoribus exigebant. 1. in Catilinam: *Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties.* Libro 14 ad Attic. epist. 21: *Kalendis Ianuarii debuit, adhuc non solvit, praesertim cum se maximo aere alieno Faberii manu liberarit.* Loquitur de Dolabella, de quo rursum epist. 22: *Luc. Antonii horribilis concio: Dolabellae praeclara: iam vel sibi habeat nummos, modo numeret Idibus.* Horatius Epod. 2:

Haec ubi locutus foenerator
Alphius,
Iam iam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam,
Quaerit Kalendis ponere.

S. Ambrosius de Tobia cap. 4: *Kalendis, inquit, usuras debis: foenus interim, si non habueris unde restituas, non requiro.* Plutarchus de non accipiendo foenori: *Mensam elegans Aulis aut Tenedus fictilibus ornabit, quae sunt argento puriora: non redolent gravem et fastidiosum foenoris odorem, rubiginis instar in dies singulos luxum maculantis: neque in memoriam reducunt Kalendas, et novilunia, quos dierum optimos foenerator infaustos reddit et odiosos:* quia nimirum Romani Kalendis et Idibus, Graeci noviluniis subducebant rationes, et nomina exigebant. Vnde Strepsiades ille obaeratus apud Aristophanem in Nubibus dies computat:

Πέμπτη, τετρὰς, τρίτη, μετὰ
ταύτην δευτέρα,
Εἶθ' ἣν ἐγὼ μάλιστα πασῶν
ἡμερῶν
Δέδοικα, καὶ πέφρικα, καὶ βδε-
λύττομαι,
Εὐθὺς μετὰ ταύτην ἔσθ' ἔνη
τε καὶ νέα.

Lux quinta, quarta, tertia,
deinde altera,
Deinde lux, quam prae diebus caeteris
Tremisco, vereor, horreo, et
fastidio,

Pridie Kalendas illa confestim venit. Idem.

Quonam modo] Nisi quia intervertisti pecuniam publicam, et ad privatos usus solutionemque aeris alieni eam transtulisti. Abram.

Desiisti? Sunt ea etc.] Vulgata lectio, *desiisti? Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? Sunt ea* etc. Verum ea huc non faciunt, neque comparent in multis mss. interiecta vero sunt ex capite infra 38. ipso principio. Grvter. *Sunt ea*] Vulgatae passim editiones inter verba *desiisti*, et *Sunt ea quidem* non pauca inferebant, hoc pacto: *Ante Kalendas Aprileis debere desiisti. Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? Sunt ea quidem innumerabilia*, etc. Quae oblitteranda censui, tum quod non faciant ad hunc locum, tum quod, ut scribit Gruterus, in multis manuscriptis non compareant, tum quod infra §. 8. contra morem et ubertatem Ciceronis eadem plane verba repetantur, unde huc irrepserunt, tum denique quod non pauci viri eruditi ea iampridem induxerint. Sensus autem est: Sunt ea quidem innumerabilia, quae diversi emebant vel a te ipso, vel saltem a tuis necessariis, non insciente te, praesertim a Fulvia, coniuge tua. Abram.

Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar?] Haec ipsa verba repetita habes in ea pagina, quae proxime sequitur. Neque dubitassem ea hinc tollere atque expungere, si iudicio meo potius uti, quam veteris libri auctoritati parere voluissem. Nam mihi quidem hoc loco plane otiosa et supervacanea videntur: eo magis, quod plerique omnes veteres libri hac in parte mutili et depravati reperiuntur. quod et Ferrarius testatum reliquit. Mvret. Ab his verbis ad c. 38. princ. silent codices, quos Ferrar. et Graev. viderunt, atque ita et Ienensis. Hevsing. Eadem lacuna est in utroque Barb. in Pal. sec. etc. cuius vix certe alia potuit esse causa, nisi repetitio eorumdem verborum, qua saepissime factum est, ut media omitterentur. Vellem itaque nomirari codices, qui h. l. non habeant, quae infra leguntur. Barbadorius hic ea in suo cod. habuit, ex quo notat, *de commentariis Caesaris infinitis:* contra eadem c. 38. a MSo abesse monet. Sed eo loco abesse omnino nequeunt: hic deleri possunt, ut primus fecit Lambinus summa omnium adprobatione, siquidem repeti a Tullio non potuisse indicabimus. Forte ad scripta fuerant margini ad hunc ex inferiore locum illustrandum. Garaton. Eandem lacunam ab istis verbis habent codd. ab Ern. collati, Guelf. H. et L. item Gud. 2. Teeg. autem exhibet totum caput, ita tamen, ut supra illa verba in c. 37. *quid ego de commentariis infinitis? quid de innumerabilibus chirographis loquar?* omittat. Vt meum iudicium de ista verborum omissio-

lia, quae a diversis emebantur, non insciente te: sed unum egregium de Rege Deiotaro, populo Romano amicissimo, decretum in Capitolio fixum. Quo proposito nemo erat, qui in ipso dolore risum posset continere. Quis enim cuiquam inimicior, quam Deiotaro Caesar? aeque atque huic ordini, ut equestri, ut Mas-

ne: *quid ego de commentariis infinitis, quid* etc., quae ab initio c. 38. repetuntur, adiiciam, mihi ex eo, quod fere in omnibus, adeoque antiquioribus codicibus praeter Vat., quae inter verba illa interiecta sunt, desiderantur, apparere videtur, ὁμοιοτέλευτον iamdudum deprehensum fuisse in codicibus, neque a recentiore manu verba illa illic adscribi potuisse. Deinde si contextum accuratius perpenderis, verbis istis c. 37., ubi interpretes ea ab aliquo glossatore adscripta et supervacanea esse contendunt, insertis, tota oratio magis congruere videtur, iisdem omissis, quodammodo hiscere. Ab initio capitis tantum attigerat *immunitates*, deinde *rapinae* mentionem facit, sive furti in templo Opis, adeo ut, quum hoc nomine eum urgere desiisset verbis: *debere desisti?* hiscere mihi videatur sermo, si continuo orator pergat: *Sunt quidem innumerabilia*, nec potius viam quasi ad sequentia sibi muniat verbis illis, quae eiicere volunt interpretes.

Quae a diversis emebantur] Nos pro *a diversis* auxilio antiquae scripturae, in qua est, *quae ad vis*, emendamus *a tuis*. quod idcirco etiam fidentius facimus, quia solet aliquando hic liber *d* pro *t* habere. FAERNVS. Secutus est hanc emendationem P. Manutius, sed illam respuit suo iure Muretus et Lambinus. GRAEV.

De rege Deiotaro, populo Romano amicissimo] Sic l. scripti, *Po. Ro.* quod interpretor *populi Ro.* FERRARIVS. *De Rege Deiotaro*] Libro 14 ad Attic. epist. 12: *Ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem a Dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani: cuius rei vivo illo mentio nulla. Quid? Deiotari nostri causa non similis? dignus ille quidem omni regno, sed non per Fulviam.* ABRAM. Soli P. Man. et Car. Steph. *populi Rom.* In veteri Ven. *Po. Ro.* in Romana, P. R. Est usitatum utrumque, ut notabamus ad c. 15. extr. pro Coelio. GAR.

Qui in ipso dolore] Dolebant, tam oppressam esse rempublicam, ut tu tuique eam haberetis ludibrio, et immunitates et regna palam venderetis: ridebant impudentiam vestram stultitia implicatam. ABRAM.

Vt Massiliensibus] Non immerito post Senatum et Equestrem ordinem facit Massiliae mentionem, quae et benevolentia populi Romani, et morum

siliensibus, ut omnibus, quibus rempublicam populi Romani caram esse sentiebat. Igitur a quo

gravitate florebat. unde et eos Valerius lib. 2. *Prisci moris observantia, caritate populi Romani praecipue conspicuos* appellat. Noster pro Fonteio: *Vrbs Massilia fortissimorum fidelissimorumque sociorum, qui Gallicorum bellorum pericula a populo Romano copiis armisque propulsarunt.* Et: *Ea conditione atque eo fato se in his terris collocatam esse arbitratur, ne quid nostris hominibus illae gentes nocere possint.* Pro Luc. Flacco: *Neque vero te, Massilia, praetereo quae Luc. Flaccum militem, Quaestoremque cognosti: cuius ego civitatis disciplinam atque gravitatem, non solum Graeciae, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam iure dicam. Quae tam procul a Graecorum omnium regionibus, disciplinis linguaque divisa, cum in ultimis terris cincta Gallorum gentibus, barbariae fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernatur, ut omnes eius instituta laudare facilius possint, quam imitari.* Quid? quod, ut scribit Iustinus lib. 43., urbem Romanam a Gallis captam lacrimamque *publico funere Massilienses prosecuti sunt: aurumque et argentum publicum et privatum contulerunt ad explendum pondus Gallis, a quibus redemptam pacem cognoverant. Ob quod meritum et immunitas illis decreta, et locus spectaculorum in Senatu datus, et foedus aequo iure percussum.* ut merito Noster lib. 2. de Officiis de Caesaris in eos odio conqueratur: *Vexatis et perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massiliam vidimus, et ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam nostri Imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt. Multa commemorarem nefaria in socios, si hoc uno sol quicquam vidisset indignius.* Idem.

Is igitur] *Is* delendum: sed post, *nec absens*, addendum, *Rex Deiotarus.* haec ex antiquo libro. Faernvs. *Is igitur, a quo vivo*] Sic habet codex ille Vaticanus, ut testantur Faërnus, et Muretus. verumtamen lectionem vulgatam malim tueri: nam verba illa, *Rex Deiotarus,* nata sunt, meo quidem iudicio, ex annotatione, quae respondebat voculae *Is.* atque hac vocula omissa, verba illa in contextum verborum a librario coniecta sunt. Supra autem paucis ante versibus verba aliquot, quae alieno loco erant posita, cum infra xxx. circiter post versibus suo loco legantur, delenda curavi, ut inania et supervacanea. Lambinvs. Codici Vaticano parui cum Faërno, Lambino, et Manutio. Graevivs. Particula *igitur* Cicero uti solet finita parenthesi: vide supra ad c. 32. Cort. ad Sallust. Catil. Liv. 1. Drak. ad Liv. II. 48. pr. Bengel. ad Cic. I. Epist. 9. n. 74.

vivo nec praesens, nec absens Rex Deiotarus quidquam aequi boni impetravit, apud mortuum fa-

Faërnus, adsentiente Graevio, delet pronomen *is*, etsi ita Cicero XIII. Ep. 1. *is igitur Patron*, nec facile ille quidem *igitur*, ut ceteri, praeponit. Rectius cum Lamb. verba, *Rex Deiotarus*, quae post *absens* Graevius inculcat, omisimus, quae aliena manu adscripta sunt. Heusing. Codicem Vaticanum Faërnus, posteriores Manutianae, Graev. Verb. et Olivet. secuti sunt. Apertior quidem illius est lectio, sed Mureto, Lambino, Heusing. merito suspecta. Nihil tamen adfirmare ausim. Lallem. quoque ad vulgatam rediit, quam tamen a Vatic. esse putavit, et contra unius Vat. lectionem pro communi ceterorum habuit. Melius fecisset, si, cui parti faveant Regii, monuisset: nam codicum inopia hic laboramus. Rom. et Ven. *Sed igitur, a quo* etc. Naug. Cam. Gryph. *aequi, bonive*, contra formulam. Gar. *Igitur, a quo vivo*] Ern. coniecit: *is igitur, qui a vivo*, et recepit in textum: *is igitur, a quo vivo*. Teeg. et Gud. referunt eandem lectionem. Praeferendam esse duxi lect. Vatic. *igitur, a quo*, quam Schütz. etiam recepit, quippe planiorem, quae locum minus ancipitem reddat.

Nec praesens] Bis post civile bellum incohoatum Caesar in Gallograecia Deiotari tetrarchia fuit, cum proficisceretur in Asiam contra Pharnaeem, et cum inde rediret, parta victoria. Bis etiam absens per patronos videtur aliquid a Caesare petiisse. Eius enim caussam egit Nicaeae M. Brutus, Romae Cicero. Abram.

Apud mortuum factus est gratus] Assentior Vbaldino, homini omni liberali doctrina politissimo, atque acerrimo huiusce generis existimatori, qui pro *gratus* reposuit *gratiosus*, nam ab impressis non discrepant libri scripti, qui quidem integri sunt. hoc autem dixi propter Lang. et caeteros l. v. et multos alios non illos antiquos quidem, sed tamen scriptos: quibus in omnibus deest (*sic enim sentio*) totus hic locus ab iis verbis, *Quid de commentariis infinitis*, ad eadem ipsa verba. Ferrarius. *Factus est gratiosus*] Pal. pr. *gnatus* secundus hic mutilus est, olim cusi *gratus*, nam illud *gratiosus* est a coniectura Vbaldini. Grut. Omnium librorum lectionem *gratus* retinent. Faërnus, et Muretus, sed Lambinus, et Manutius, ceterique, hos secuti ediderunt, *gratiosus*, quo iure? vide notas ad orat. pro Milon. cap. 35. Graev. Cur ergo Vbaldini coniecturam retinuit? Sed ea tamen, ut mea quoque fert opinio, multo est MSorum lectione praestantior, et ab usitata permutatione non mediocriter adiuvatur. Vide ad c. 11. pro Lig. Praeter Graev. ad c. 35. pro Mil. consule Pareum in Lex. Crit. p. 5 5. qui iam antea MSos adversus Vbaldinum defenderat.

ctus est gratiosus. Compellarat hospitem praesens, computarat, pecuniam imperarat, in eius tetrarchia unum ex Graecis comitibus suis collocarat; Armeniam abstulerat a Senatu datam. Haec vivus eripuit, reddidit mortuus. At quibus verbis? Modo *aequum sibi videri*, modo *non iniquum*. Mira verborum complexio. At ille numquam, (semper enim absenti affui Deiotaro,) quicquam sibi, quod nos pro illo postularemus, aequum dixit videri. Syngrapha H - S. centies per legatos, viros bonos, sed timidos, et im-

Adfertur ab utroque locus I. ad Div. 3. qui ab ipso Graevio non sine inconstantiae nota sic editur. *Is cum antea semper etc. gratiosissimus in provincia fuit; tum hoc tempore etc. confidit, his meis litteris se apud te gratiosum fore.* Cur Graevius non edidit cum libris plerisque *gratissimus?* duo enim soli codices ibi habent *gratiosissimus*, quod Manut. egregie coniecerat, et invexit Lambinus, ac propagavit, qui porro utrique consentaneam ei iudicio lectionem hic maluerunt. Sed ibi hos optime iudicasse monebat Graevium vox *gratiosum*, quae sequebatur: ita enim omnes codices, si geminos tantum excipias, quos mendum illud superius tam late diffusum fecit etiam mendosiores. Neque enim fert locus *gratiorem*, quod ii duo soli praebent. Vterque Barb. cum plerisque *gratissimus*, et *gratiosum*. Quod autem Pareus adfert ex rescripto Antonini Pii xxII. Pandect. I. 17. *ut gratior apud eum (videlicet esset;* ita quidem legitur in Taurelliana Florentini codicis editione, sed vide, an ibi quoque *gratiosior* legendum sit. De v. *gratus* notanda sunt, quae habet celeb. Burmannus ad Sueton. Tib. XLVI. Verumtamen coniecturae recipiendae auctor nemini fiam, cum ferri codicum lectio possit, et *gratus* in ipso Vaticano conspexerim. GARATON.

Compellarat] Appellarat de pecunia Caesar Deiotarum, cum in eius domum hospitio exceptus est. ABRAM.

Computarat] Supputarat, subductisque rationibus omnibus summam fecerat eius pecuniae, quae ex tota Deiotari Tetrarchia corradi potuit, ut eam omnem imperaret. IDEM.

Pecuniam imperarat] Pro Deiotaro: *Ille Ephesum ad eum, quem tu ex tuis fidelissimum, et probatissimum omnibus delegisti, pecuniam misit, ille iterum, ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit.* Lib. 2. de Divinatione: *Fugit ex proelio cum Pompeio: grave tempus. Discessit ab eo: luctuosa res. Caesarem eodem tempore et hostem, et hospitem vidit: quid hoc tristius? Is cum ei Trocmorum tetrarchiam eripuisset,*

et assectae suo Pergameno nescio cui dedisset, eidemque detraxisset Armeniam a Senatu datam, cumque ab eo magnificentissimo hospitio acceptus esset, spoliatum reliquit, et hospitem et Regem. Pergamenus autem ille fuit Mithridates, de quo Hirtius commentario belli Alexandrini exeunte: *Mithridatem Pergamenum, a quo rem feliciter celeriterque gestam in Ægypto supra scripsimus, regio genere ortum, disciplinis etiam regiis educatum (nam eum Mithridates Rex Asiae totius propter nobilitatem Pergamo secum parvulum absportaverat in castra, multosque tenuerat annos) Regem Bospori constituit,* etc. *Eidem tetrarchium legibus Gallograecorum iure gentis et cognationis adiudicavit, occupatam et possessam paucis ante annis a Deiotaro.* Suspicatur autem Victorius lib. 3. Var. lect. cap. 23. id a multis reprehensum fuisse, indignumque Mithridatem tanto honore vulgo habitum: eoque pertinet tam accurata purgatio. Hanc suspicionem eo confirmat, quod Strabo loquens de beneficiis ad eum a Caesare collatis quasi miratur, eum ad tantam dignitatem fuisse provectum. Idem.

In eius tetrarchiam] Antiquus liber, *in eius tetrarchianum*: nos, *in eius tetrarchia unum*: et sequenti versu, pro *reddidit*; *reddit*. Faernus. *In eius tetrarchia unum*] Vox *unum* aberat ab aliis libris: et in eisdem male scriptum erat, *tetrarchiam*. Hunc autem locum explicat Victorius cap. 23. libri tertii variarum lectionum. Muretus. *In eius tetrarchiam etc.*] Prima editio, *Mediae tetrarchiam*. Gruterus. Hic etiam Vaticano subscripserunt Faernus, Muretus, Lambinus, P. Manutius, quibus et ipse suffragor. Graevius.

Unum ex Graecis comitibus] Mithridatem Pergamenum, cui partem Gallograeciae concesserat. Abram.

Armeniam abstulerat] Oratoria auxesis, ut videtur, partem enim tantum Armeniae abstulit, ut eam Ariobarzani Cappadociae Regi daret, ut scribit Dio lib. 42. Deiotarus autem Rex Armeniae fuerat appellatus a Senatu. Idem.

Haec vivus eripuit, reddidit mortuus] Partem Gallograeciae et Armeniam Caesar vivus eripuit Deiotaro: ergo ridiculum est dicere, ea Caesarem mortuum reddidisse. Idem. Nihil hic ridiculi video. Reddita ei erat Armeniae pars post mortem Caesaris, quam is Deiotaro vivus eripuerat. Graev. Non Cicero dicit, Deiotaro ereptam Armeniae partem a Caesare redditam: sed Antonius videri volebat ex decreto Caesaris eam Deiotaro reddidisse: quod utique ridiculum erat. Heusing. Vatic. *reddit mortuus*: atque ita Muretus. Gar.

At quibus verbis?] Edictum illud de Gallograeciae et Armeniae restitutione perscriptum est. Abram.

Mira verborum complexio] Verborum implicationem, et confusionem interpretatur Nizolius. Reprehendere id fortasse voluit, quod verba diversae significatio-

nis commiscuit, et commiscuit, *aequum*, et *non iniquum*. Reddenda erant Deiotaro, quae erepta erant, non ideo, quod id *non iniquum*, sed quod *aequum* erat. Heusing. Miram loquendi rationem Ernestus intelligit. Gar.

Ille] Caesar. Abram.

Semper enim absenti affui Deiotaro] Vel ut patronus, vel ut advocatus. Adfuit autem Romae, non Niceae in Bithynia, cum Brutus causam egit Regis Deiotari: non enim Cicero post pugnam Pharsalicam ad Caesarem se contulit, sed in Italiam navigavit. Idem.

Syngrapha sestertii centies] H-S. *centies*, vel *sestertium centies*: etsi o. libri contra faciunt. Ferrarius. *Syngrapha*] Schedula obligationis, qua nomine Regis Deiotari promittebatur *centies* H-S. id est centum Romanorum veterum aureorum millia, sive ducenta quinquaginta millia scutatorum Gallicorum, *per legatos* Regis Deiotari Hieram, Blesamium, Antigonum, et Dorylaum, *viros bonos* et fideles Regi suo, *sed timidos*, qui sine voluntate Fulviae et Antonii Regem sua bona recuperaturum esse non putabant, *et imperitos*, qui nesciebant, ius semper hoc fuisse, ut, quae tyranni eripuissent, ea, tyrannis interfectis, ii, quibus erepta essent, recuperarent, haec inquam schedula obligationis *facta est in gynaeceo*, sive in cubiculo Fulviae, me inconsulto reliquisque Regis hospitibus. Legunt multi, *sine Sexti*, *sine reliquorum hospitum Regis sententia*. Sed monet Gruterus, eam lectionem non esse a manuscriptis, sed a Ferrario, cui in mentem erat locus Tullii 16. ad Attic. epist. 3: *Ecquid amas Deiotarum, et non amas Hieram? qui, ut Blesamius venit ad me, ne quid sine Sexti nostri sententia ageret, neque ad illum, neque ad quemquam nostrum retulit*. Vbi, ni fallor, Sextum Pompeium Cn. filium intelligit, qui post Caesaris necem sperabatur in Vrbem esse rediturus. Porro sive *nostra*, sive *Sexti* legamus, quae sequuntur *reliquorum hospitum* belle quadrabunt. Nam et Deiotarus hospes Ciceronum fuit, et Pompeiorum. 1. de Divinatione: *Iam quid ego hospitem nostrum clarissimum, atque optimum virum Deiotarum Regem commemorem?* et pro Deiotaro venisse dicitur ad Pompeium, *quocum erat non hospitio solum, sed etiam familiaritate coniunctus*. Syngrapha est scriptura, sive cautio debitoris manu subscripta, qua cavetur creditori. Ambrosius lib. de Tobia cap. 12: *Vna pecunia a foeneratoribus datur, et quam multa a debitoribus exiguntur? Quanta ibi fecerunt vocabula? nummus datur et foenus appellatur. Sors dicitur, caput vocatur, aes alienum scribitur, multorum hoc capitum immane prodigium numerosam exactionem efficit. Syngrapham nuncupat, chirographum nominat, hypothecas flagitat, pignus usurpat, fiducias vocat, obligationem asserit*, etc. Seneca de beneficiis lib. 7, cap. 10: *Vide istic diplomata et syngra-*

peritos, sine nostra, sine reliquorum hospitum regis

phas, et cautiones, vacua habendi simulacra, umbras quasdam avaritiae laborantis, per quas decipiant animum inanium opinione gaudentem, etc. Idem etiam frequenter chirographum. Ambrosius de Sacramentis lib. 1, cap. 2: *Memor esto sermonis tui, et nunquam tibi excidat tuae series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniam eius accipias, teneris adstrictus, et reluctantem te foenerator adstringit, atque illic tua cautione convinceris.* Paulo post: *Chirographum tuum tenetur non in terra, sed in coelo.* Item: *Qui pecuniam debet, semper cautionem suam considerat.* E quibus vides, idem pene esse syngrapham, chirographum, cautionem. Glossae: *συγγραφὴ, conscriptio.* Ita etiam: *Cautum ἀσφαλὲς, χειρόγραφον. Cautio ἀσφάλεια. Cavisti ἠσφαλίσω, ἐχειρογράφησας.* Asconius tamen in Verrinam de Praetura Vrbana: *Inter syngraphas et caetera chirographa hoc interest, quod in caeteris tantum quae gesta sunt scribi solent, in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit, et, non numerata quoque pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solent more institutoque Graecorum: et caeterae tabulae ab una parte servari solent, syngraphae signatae utriusque manu utrique parti servandae traduntur.* Abram. Non modo qui Ferrarii coniecturas sequebantur, sed etiam Nauger. Gryph. et Lamb. notam H-S. expresserunt. At verius omnino Rom. Ven. Ald. et Hervag. qui soli iamdudum relinquuntur, *Syngrapha sestertii centies*, ut Gronovii L. de Pec. Vet. II. disputatio doctissima, et celeberrima ostendit, quae viris doctis locorum plurium edendorum norma, ut ita dicam, fuit. Heusing. tantum admonuit, sic esse legendum, eorum memor, quae modo ad initium cap. dixerat, sed notam illam non est ausus eiicere. Cum haec orationis particula desit permultis in MSis, mihi veteres illi editi abunde sufficiunt, et Ferrarii codices. Imo sic etiam in Vatic. *syngrafa sestertii centiens.* Garaton.

Sine reliquorum hospitum regis sententia] Hoc amplius o. l. s. *Sine su[illegible], sine reliquorum*, c. Ego sic, *Sine Sex. sine reliquorum*, c. Vt autem in hanc opinionem discederem, fecit ipse Tullius, cuius locum hoc idem referentem ex XVI. ep. ad Attic. huc rei dilucidandae caussa transtulimus: *Ecquid amas Deiotarum, et non amas Hieram? qui, ut Blesamius venit ad me, cum ei praescriptum esset, nequid sine Sexti sententia ageret, neque ad illum, neque ad quemquam nostrum retulit.* Ferrar. *Sine nostra*] Ita aperte scriptum est in optimo libro: ut inanem esse coniecturam Ferrarii appareat. Muretus. *Sine Sexti, sine*

sententia facta in gynaeceo: quo in loco plurimae

reliquorum] Omnes mss. *sine sua, sine reliquorum* etc. illud *Sexti* natum est a Ferrario, cui in mentem erat locus Tullii lib. XVI. ad Atticum epist. GRVT. Cum in Vaticano clare habeatur *nostra*, quid est, quod dubitemus de hac lectione reponenda? In Victorii editione plane deleta et omissa sunt haec verba, *sine sua*, aut, *sine Sexti*. Sic enim scripsit, *sed timidos et imperitos, sine reliquorum hospitum regis sententia*, invitis libris omnibus. GRAEVIVS. Vatic. *sine nostra*, quod Graev. restituit. Alii, *sine sua*, unde Ferr. *sine Sexti* ex XVI. ad Att. 3. quem Sex. Pompeium interpretatur Abram. Sed praenominibus in oratione non utitur Cicero, nec Sex. Pompeius in urbe fuit. HEVSING. Quae de Victorio ait Graev. primum Naugerio adscribito, deinde scito, ea omisisse antea seniorem Aldum, et postea Cam. Gryph. et Lambinianas, ad quarum marg. est, al. *sine nostra*, et ita q. v. c. P. Man. Car. Steph. Grut. et Verb. temere coniecturam Ferrarii receperant. Cod. Barbadorii, Rom. et Ven. *sine tua*. GAR. Ern. et Schütz. receperunt *sine nostra*. Teeg. *sine nostra*. Gud. 2. *sine sua*.

In gynaeceo] Gynaeceum locus mulieribus destinatus, a virorum conspectu remotus. ut nomen, ita et res Graecanica. Vide Vitruvium lib. 6, cap. 10. agentem de Graecorum aedificiorum ratione, et C. Nepotem prooemio vitarum. Plutarchus de non irascendo: Ἐμοὶ μὲν θυμὸν ἐκ τῆς γυναικωνίτιδος εἰς τὴν ἀνδρωνῖτιν οὐκ εὖ μετοικίζουσιν. *Nonnulli iram ex gynaeconitide in andronitidem non recte transcribunt.* Dionysius Longinus, καὶ τὴν μὲν τῶν ἐπιθυμιῶν οἴκησιν προσεῖπεν ὡς γυναικωνῖτιν, τὴν τοῦ θυμοῦ δὲ ὡς ἀνδρωνῖτιν. *Et cupiditatum sedem vocabat ut gynaeconitidem, irae vero ut andronitidem.* Plutarchus apophth. Lacon. de Pantheda, qui arcem muris et propugnaculis egregie munitam videns, fertur dixisse: νὴ τοὺς Σιοὺς, ὦ ξένοι, καλὴ γυναικωνῖτις. *Mediusfidius, o hospites, egregium gynaeceum.* Sic Diogenes apud Laërtium, Lacedaemone revertens Athenas, rogatusque, unde et quo iter haberet: ἐκ τῆς ἀνδρωνίτιδος, inquit, ἐς τὴν γυναικωνῖτιν. Latini gynaeceum quam gynaeconitidem libentius usurpant. ut Cod. ad legem Iul. repet. l. 5: *Vnusquisque procurator praepositus gynaecio.* Item Cod. de murilegulis et gynaeciariis: *Qui aliquem ex familiis gynaecii in latebris habere comperti sunt, quinque librarum auri damno subiiciantur*, et aliquoties eodem titulo. Quaeres, cur, si res Graecanica fuit, et a Romanorum moribus aliena, Orator gynaecei faciat mentionem? Respondeo: nihil aliud significari, quam inter colos et calathos a Fulvia venditas fuisse pop. Rom.

res venierunt, et veneunt. Qua ex syngrapha quid sis acturus, meditere censeo. Rex enim ipse sua sponte, nullis commentariis Caesaris, simulatque audivit eius interitum, suo Marte res suas recuperavit. Sciebat homo sapiens, ius semper hoc fuisse, ut, quae tyranni eripuissent, ea tyrannis interfectis ii, quibus erepta essent, recuperarent. Nemo igitur iureconsultus, ne iste quidem, qui tibi uni est iure-

provincias, aliasque syngraphas inter mulierculas scriptas fuisse. nam Polluci γυναικωνῖτις est θάλαμος ἱςῶν, *conclave lanificio destinatum.* Polluci οἶκος γυναικῶν, *domus foeminarum.* Abram.

Venierunt] Sic Vaticanus, et cod. a Barbadorio consultus. Insuaviter alii omnes, *veniere.* Mox Lamb. ex MSis *reciperavit*, ad eamque rationem infra, nullo cod. citato, *reciperarent*, *reciperatae.* Sed hic locis omnibus Vaticanum habet auctorem. Vide supra Muret. ad c. 11. et nos ad c. 48. pro Amer. Sic etiam c. 44. boni codices, *reciperavit:* vide ibi V. L. Sic Vatic. III. Phil. 13. *ad libertatem reciperandam*, et paullo post, *ad spem reciperandae libertatis;* ex eoque item Mur. et Lamb. IV. 1. et 5. V. 1. 4. VII. 8. XI. 2. Garaton.

Qua ex syngrapha] Auctor tibi sum, ut diligenter cogites, quid sis acturus de illa syngrapha: nulli enim usui erit ad pecuniam exigendam, quia Deiotarus non edicto tuo nomine Caesaris publicato recuperavit Galatiam et Armeniam, propter quod edictum legati eius tibi pecuniam promiserant, sed suo Marte et armis Mithridatem e Troginorum tetrarchia, Ariobarzanem ex Armenia deturbavit. Idem.

Nemo igitur iureconsultus] *Iureis consultus*, liber Vaticanus: sed antiqua inscriptio C. AQVILLIVS FLORVS IVRECONSVLTVS. F. Ursinus. Neminem vidi, qui Vaticanum hic a ceteris omnibus abeuntem sequatur. Confer autem, quae diximus ad c. 11. pro Murena: tum observa, *iureis* dedisse optimum librum, ut duplicem lectionem indicaret, *iure*, *iuris*, quarum tamen primam eum sequi prior locus illi datus ostendit, et quod ipse statim habeat, *qui tibi uni est iureconsultus.* Veruntamen duo sunt apud ipsum Tullium loci, qui genitivum tueri maxime videantur. Alter infra IX. 5. *neque enim ille magis iuris consultus, quam iustitiae fuit:* alter I. de Orat. 55. *qui esset orator, iuris eundem esse consultum.* Sed me non poenitet iudicii mei, qui, formam utramque probans, singulares locorum rationes criticas expendere soleo. Gar.

Ne iste quidem] Suspicatur Manutius, insinuari Sextum Clodium scribam, quem Antonius

consultus, per quem haec agis, ex ista syngrapha deberi dicit pro iis rebus, quae erant ante syngrapham recuperatae. Non enim a te emit: sed prius, quam tu suum sibi venderes, ipse possedit. Ille vir fuit: nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus.

XXXVIII. Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? quorum

ab exilio revocarat: ut hac ipsa oratione superius cap. 4. diximus, qui fortasse Antonium et Fulviam scribendis illis legibus et immunitatum tabulis adiuvabat, ut olim P. Clodio praesto fuerat legibus scribundis, ut dicitur pro domo. Abram.

Ille vir fuit] Deiotarus fortiter et generose, ut virum decebat, se gessit: nos vero pusillanimes sumus, qui, cum oderimus Caesarem auctorem, eiusdam acta et leges defendimus, timentes eorum offensionem, quibus Caesar vivus aliqua beneficia promiserat. Idem.

Quid ego de commentariis] Senatus pacis et concordiae causa Caesaris acta servanda esse decreverat, id est, statuerat, ut nihil de actis Caesaris mutaretur, sed singulis magistratus, beneficia, provinciae darentur, quos Caesar vivus singulis contulisset. Necato Caesare, Calpurnia coniux quatuor talentorum millia, et mariti libellos sive commentarios diurnos ab ipso memoriae causa conscriptos ad Antonium detulit. Is arrepta occasione beneficia, magistratus, provincias, immunitates vendidit, adulteratis Caesaris commentariis ad libidinem, quasi, quae faceret, e Caesaris memoriali peterentur. ad haec nunc Orator delabitur. Idem. Vnde in Gruterianam pro *ego* irrepserit *ergo* contra omnes libros tam scriptos quam editos, quod secure sequentes editiones retinuerunt, ignoro. Graev. Ego autem reperi *ergo* in Rom. et Ven. quod ex horum repetitione verborum, de qua supra, natum existimo. Qui enim eadem praecessisse animadverterant, quasi longa parenthesi interposita, *ergo* emendarunt. Vide supra Heusing. de simili usu v. *igitur*. Gar.

Quorum etiam imitatores sunt] *Licitatores*, Ant. Augustinus. F. Vrsinvs. *Quorum etiam imitatores sunt*] Tanta subiiciendorum adulterandorumque licentia per te inducta est, ut non tu solum, sed alii quoque exscribant, vel potius imitentur, quae deinde publice venditent, ut vendi solent ii libelli, quibus futura proximorum gladiatorum pugna, et singulorum parium compositio describitur. Tranquillus in Tito cap. 3: *E pluribus comperi, notis quoque excipere velocissime solitum, cum amanuensibus suis per ludum iocumque certantem*

etiam imitatores sunt, qui ea, tamquam gladiatorum libellos, palam venditent. Itaque tanti acervi nummorum apud istum construuntur, ut iam appendantur, non numerentur pecuniae. At quam caeca ava-

imitari chirographa, quaecunque vidisset, ac profiteri saepe, se maximum falsarium esse potuisse. Anton. Augustinus legebat *licitatores*, ut dicat, Antonium quasi publice auctionantem eos commentarios vendidisse, ad quam auctionem licitatores accurrerent, qui certatim pretium augerent, ut ei addicerentur commentarii nomine Caesaris scripti, qui maius pretium obtulisset, qui commentarii deinde per partes a senatoribus venderentur. Abram.

Tanquam gladiatorum libellos] Iustus Lipsius Saturn. lib. 2, cap. 18: *Ante pugnam*, inquit, *moris erat, ut editor libellos proponeret, in quibus dies futuri muneris, item nomina et paria gladiatorum: scilicet alliciendae plebi, et expectationi commovendae.* Probat tum ex aliis, tum ex Seneca epist. 119: *Nemo, qui parturienti filiae obstetricem arcessit, edictum et ludorum ordinem perlegit.* Deinde hoc ipso M. Tullii loco in medium prolato, haec verba subnectit: *Nec placet referri ad libellos, in quibus lanistarum dictata. Potius ad libellos indices ludorum, quos vendebant, describebantque palam, ut in provincias mitterent ad amicos absentes.* Id colligit ex illo Ciceronis loco epist. ad M. Coelium, quae est 8. libri 2. ad familiares: *Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones, ut vadimonia dilata, et Chresti compilationem mitteres, et ea, quae nobis, cum Romae sumus, narrare nemo audeat?* Libellum munerarium apposite vocat Pollio in Claudio: *At ego scio, saepius inter gladiatores bonis pugnatoribus Aureoli nomen appositum habuit proxime tuus libellus munerarius hoc nomen in indice librorum.* Allusit Seneca lib. 4. Controvers. *Quod munerarii solent facere ad expectationem populi detinendam, qui nova paria per omnes dies dispensant, ut sit, quod populum et delectet, et revocet, hoc ego facio: non omnes simul produco. aliquid novi semper habeat libellus.* Huc referri possent et tabulae pictae gladiatorum exponi solitae, de quibus idem ex Plinio lib. 35, cap. 7. Horatio lib. 2, Sat. 7. Trebellio in vita Carini. Idem.

Itaque tanti acervi] Ex hac igitur chirographorum auctione tantas pecunias coacervat Antonius, ut ponderentur, cum prae multitudine non possint facile numerari. Idem.

Construuntur] Verbum de acervandis divitiis dici solitum. Horatius II. Sat. 3. 95.

Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris

Patent divitiis: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus.

Idem II. Od. 3. 19. *exstructis in altum divitiis.* Vide ibi Lamb. et Cerdam ad Virgil. IX. Aen. 326. Parei Lex. Crit. p. 1187. in primis Buneman. ad Lactant. I. 1. 1. Hevsing.

Vt iam appendantur, non numerentur] Eodem sensu Horatius Sat. 1, lib. 1:

Vmidius quidam, non longa est fabula, dives,
Vt metiretur nummos —

Petronius Satyrico: *Vxor Trimalcionis fortunata appellatur, quae nummos modio metitur.* Sic apud Plutarchum in Artaxerxe Cyrus Iunior, Lacedaemonios ad opem sibi ferendam invitans: *Dicebat, se, si pedites accederent, equos daturum: si equites, currus: si agros haberent, vicos: si vicos, urbes: stipendii vero militibus erogandi non fore numerum, sed mensuram.* Et, ut proverbium fuisse videas, Xenophon libro tertio de rebus Graecanicis: *Volens Xenias medimno, ut aiunt, argentum a patre emetiri.* Noster a proverbio paululum deflexit, et ponderis quam mensurae maluit habere rationem, ex veteri more: nam, ut auctor est Plinius lib. 33, cap. 3: *Libralis, unde etiam nunc libella dicitur, et dipondius appendebatur assis. Quare aeris gravis poena dicta. Et adhuc expensa in rationibus dicuntur: item impendia et dependere. Quin et militum (militarium) stipendiorum, hoc est stipis ponderandae pensatores, libripendes dicuntur: qua consuetudine in his emptionibus, quae mancipii sunt, etiam nunc libra interponitur.* Abram. Vatic. *ut iam expendantur,* eique Muretus obtemperavit. Ita pro Flacco 28. *ante pedes Praetoris in foro expensum est auri pondo centum, paullo minus.* Festus p. 122. ed. Amst. *Dispensatores dicti, qui aes pensantes expendebant, non adnumerabant.* Sed vulgata quoque recta est, et optio mihi dubia. Confer, quae ad III. 4. infra notantur. Garaton.

At quam caeca avaritia est] Quam imprudentes sunt avari! qui, quasi in media luce caecutiant, ea scelera committunt, quibus nullam excusationem possunt praetexere. Arimaspi, ut scribit Plinius lib. 7, cap. 2. produntur: *Vno oculo in fronte media insignes, quibus assidue bellum esse circa metalla cum griphis, ferarum volucri genere, quale vulgo traditur, eruente ex cuniculis aurum, mira cupiditate et feris custodientibus et Arimaspis rapientibus, multi, sed maxime illustres Herodotus et Aristeas Proconnesius scribunt.* At avaros omnes et cupidos Arimaspis similes esse dicemus, unde et Aristides Rhetor Philippo Macedoni, quod et altero captus oculo, et auri cupidissimus esset, Arimaspos cognatos esse dicebat, ut notavit Dalecampius e Rhodigino cap. 8, lib. 21. Verius tamen dixerimus, coecos esse:

— praedae tam caeca cupido est,

ritia est? Nuper fixa tabula est, qua civitates locupletissimae Cretensium liberantur: statuiturque, ne

inquit Ovidius 3. Metamorph. quod avaritiae *semper hianti* nullus ingenio, nullus cogitationi superait locus, qualis avaritia Verris describitur de Praetura Siciliensi. quemadmodum illa Camilla 11. Æneid.

Caeca sequebatur, totumque incauta per agmen
Foemineo praedae et spoliorum ardebat amore.

Commode Diphilus apud Stobaeum:

Ἀρ' ἐςιν ἀνοητότατον αἰσχροκέρδεια.
Πρὸς τὸ λαβεῖν γὰρ ὢν ὁ νοῦς ἄλλ' οὐχ ὁρᾷ.
Lucri cupido turpis amentissima est.
Nil cernit aliud animus intentus lucro.

vel, ut ait Sophocles Oedipo Tyranno:

— *ἐν τοῖς κέρδεσι*
Μόνον δέδορκε. —
— *in lucro videt*
Duntaxat. —

Sic avari frequenter caeci cupiditate dicuntur, ut pro Quintio: *Concedas necesse est, ita te caecum cupiditate et avaritia fuisse, ut, cum, postea quid futurum esset, ignorares, accidere autem multa possent, spem maleficii praesentis in incerto reliqui temporis eventu collocares.* omitto orat. pro domo sua, et illud 1. Æneidos:

— *auri coecus amore.*

et addo, caecam dici avaritiam Antonii, quod praesentis lucri cupiditate ductus in illud duntaxat inhians non videbat, in quos se contradictionis et repugnantiae laqueos indueret, e quibus se non posset expedire. Sed omnium pulcherrime B. Chrysostomus in epistolam ad Rom. homil. 14. demonstrat avaritiae caecitatem: *Sed tamen adhuc rebus praesentibus inhiamus? neque de diaboli malis artibus cogitamus? qui parvis et frivolis rebus inescatos magnis privat et pretiosis: et lutum largitur, ut eripiat aurum, imo ut coelum eripiat: et umbram ostendit, ut repellat a veritate: et in somniis imaginationem eludit (id enim sunt praesentes divitiae), ut orto die omnium ostendat egentissimos.* Abram.

Nuper fixa] Vatic. *et nuper etc.* Garat.

Civitates locupletissimae] Quae ut locupletissimae erant, et omni copiarum genere abundantes, ita magna vectigalia conferebant.

Centum urbes habitant magnas, uberrima regna,

inquit Maro 3. Æneidos de Cretensibus, et Horat. lib. 3. Carm. ode 27:

Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten. —

Abram.

Civitates locupletissimae Cretensium vectigalibus liberantur] *Vectigalibus* inducendum, non solum omnibus l. s. ita suadentibus, verum etiam ratione cogente: siquidem scriptores, qui-

bus primae sermonis Latini deferantur, non aliter unquam locuti sunt. Cic. in proxima Phil. *Vendiderit immunitates: civitates liberaverit.* et v, *Regna data: populi, provinciaeque liberatae.* et de Provinciis Consularibus, *Vectigales multos, et stipendiarios liberavit.* Sic *Liberare agros, publica, servos,* sine adiunctione dicitur. Ferrar. Legendum, *vectigalibus liberantur.* nec me observationes Ferrarii movent contra auctoritatem tam antiqui libri cum vulgata consentientis. Faernvs. *Cretensium vectigalibus liberantur*] Magis placeret si *vectigales* legeretur. F. Vrsinvs. Quamvis *liberari* simpliciter saepe sic accipiatur, ut Ferrarius docuit, semper tamen subauditur *vectigalibus, aut servitute, aut alio onere,* quae tamen interdum adiiciuntur, ut propterea non sint expungenda, quia in optimo codice reperitur. vide similia exempla apud I. Fr. Gronovium lib. II. Observ. cap. 24. Non tamen possum infitias ire, in quatuor codicibus antiquis, quos inspexi, non inveniri *vectigalibus.* Graev. *Vectigalibus liberantur*] Ita Vaticanus: at Ien. et alii, quos Graevius vidit, *vectigalibus* omittunt, quod iam Ferrario suspectum fuit. Hevsing. *Liberantur,* liberae esse iubentur. Vulgati auctiores, *vectigalibus liberantur.* Sed vocem priorem ignorant Graevii codices, et nostri, nec admittit sensus auctoris. Lallem. Cod. ad marg. Lamb. retinet *vectigalibus,* omittit *Cretensium:* quod mendose relatum puto. Quamquam eo teste carere possimus, cum plurimos habeamus, atque locupletes; tamen quod in aliis omittitur, id in eo quoque omitti, magis est credibile. Adsentior enim Ferrario, Curioni, Manutio, Barbadorio, Lallemando, qui vocem *vectigalibus* expunctam volunt; mirorque Graevium, Faërnum, et Heusingerum, doctissimos homines, a Vaticano discedere noluisse. I. F. Gronov. l. c. nihil aliud agit, nisi ostendit, multa, cum putentur, non esse glossemata. Quis neget? videndum est magnopere, quo iure putentur. Itaque hunc locum ille non attingit. Nam ratio utique glossam prodit. Confer dicta ad II. in Verr. 28. et 31. ubi libertatum genera distinximus. Explicat se ipsum Cicero, dum subiicit, *statuiturque, ne post M. Brutum Procos.* (ex Praetura, ut saepe alibi) *sit Creta provincia:* et mox, *provinciam Cretam perdidistis.* Antonius igitur non vectigalium modo immunitatem Cretensibus vendidit, sed imperium etiam, et iurisdictionem: eam dedit amplissimam libertatem, de qua egimus ad c. 2. pro Coel. per quam, ut in Pandectis XLIX. 15. 7. definitur, *liber populus est is, qui nullius alterius populi potestati subiectus est.* Hoc etiam illa criminum Antonii enumeratio mirifice confirmat, quam infra III. 12. habemus: *vendiderit immunitates? civitates liberaverit? provincias universas ex imperii populi Romani iure sustulerit?* adde supra c.

post M. Brutum proconsulem sit Creta provincia. Tu mentis es compos? Tu non constringendus? An Caesaris decreto Creta post M. Bruti decessum potuit liberari, cum Creta nihil ad Brutum Caesare vivo

56. extr. Quis ergo iam ferat eam vocem, quam omnes Ferr. Graev. et Lall. codices, item ambo Barb. et cod. Car. Steph. rectissime omittunt? Sunt in his boni complures; Vaticano autem, quem ipsum alibi quoque glossis corruptum fato quodam communi vidimus, praestantia proximus Colotianus. Valde peccat infra Manutius in explicanda voce *decessum:* qui tamen a Ferratio VI. Epist. 1. nimis operose refellitur. Ratio etenim ipsa cuique subiicit, ut decessus Bruti, non ab urbe, sed de provincia intelligatur. GARATONIUS. Immerito retinuerunt eam vocem Ern. et Schütz. Iam dudum, antequam notam Garatonii inspexeram, eam expungendam statui. Teeg. Gud. 2. et Ien. etiam omittunt *vectigalibus.* Solemne erat scriptoribus latinis simpliciter dicere *agros liberare, civitates* etc. Verr. 2, 31. Agr. 2, 21. ad Att. 16, 16.

Post M. Brutum] Post necem Caesaris percussoribus datae fuerant variae provinciae, et Creta M. Bruto obvenerat. Antonius cum amicus Bruto videri vellet, veritus eum spoliare provincia, non ausus est statim Cretam ab oneribus provincialibus liberare, sed tabulam fixit, ut Creta provincia non esset, suique iuris esse tum inciperet, cum eam Brutus administrare desiisset, in quo turpiter hallucinatus est, dum Caesaris decretum ementiens non advertit, pugnantia se loqui, et Caesaris decreto post M. Bruti decessum Cretam non potuisse liberari, cum Creta nihil ad Brutum Caesare vivo pertineret. ABRAM.

Tu non constringendus] Vt insanus et furiosus. In Pisonem: *Si familiam tuam dimisisses, quod ad neminem nisi ad te ipsum pertineret, amici tui te constringendum putarent.* IDEM.

Cum Creta nihil ad Brutum Caesare vivo pertineret?] Vere, nam, ut scribit Appianus initio lib. 3. de bellis civilibus: *Electi fuerant a Caesare ad annum sequentem, ut Cassius quidem Syriam, Brutus vero Macedoniam obtineret.* Tamen paulo post mortem Caesaris provinciarum facta mutatio, atque Antonius et Dolabella Consules has provincias ad se transtulerunt. Ibidem: *Consules Bruto et Cassio Syriam et Macedoniam eripuerant, et solatii loco minores provincias, Cyrenen et Cretam, acceperant.* Quamvis, ut aliis videtur, haec utraque Cassio, Bithynia Bruto concessa est. Sed frustra videtur, ut palam est e verbis Ciceronis. Paulo tamen post hanc orationem, ut videtur, iidem Brutus et Cassius *statuerunt in Syriam et Macedoniam, tanquam sibi prius*

pertineret? At huius venditione decreti, ne nihil actum putetis, provinciam Cretam perdidistis. Omnino nemo ullius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor. Et de exsulibus legem, quam fixisti, Caesar tulit? Nullius insector calamitatem: tantum queror, primum eorum reditus inquinatos, quorum causam dissimilem Caesar iudicarit: deinde nescio, cur reliquis non idem tribuas. Neque enim plus quam

quam Antonio et Dolabellae decretas, proficisci, easque per vim occupare. Haec Appianus sparsim lib. 3. quae rursum libro sequenti unum in locum colliguntur, e quibus advertis, cur Antonius Cretam liberans M. Bruti Proconsulatum exceperit, ut tum demum, cum inde decessisset Brutus, Creta non esset provincia, et immunitatis libertatisque iure frueretur, ne iustam causam daret Macedoniae repetendae. Idem.

At huius venditione decreti] De Creta liberanda. parenthesin amaram et indignatione plenam, *ne nihil actum putetis*, interserit. Idem.

Omnino ullius rei nemo fuit emptor] Tres l. v. in queis Col. *Omnino nemo ullius rei fuit emptor.* quos probo. Ferrar.

Hic venditor] M. Antonius. Abram. In Vatic. est, *defuit*. Gar.

Et de exulibus legem] Eone impudentiae devenisti, ut etiam legem de restituendis exulibus a Caesare, dum viveret, latam esse dicas, eamque nomine Caesaris iubeas in aereas tabulas incidi, et ad parietem aut columnam appendi? Abram.

Nullius insector calamitatem] Quae dicturus sum, non in eam partem accipi velim, quasi insecter calamitatem alicuius, et eos omnes indignos restitutione iudicem, qui fuerunt lege tua restituti. Tantum duo queror. Alterum, quod in revocandis exulibus nullum causae discrimen habueris. Sic enim bonorum civium, qui, quod arma contra Caesarem tulissent, vel ob alias honestas causas exules erant, reditus inquinatur, et quasi labe quadam adspergitur, ex aliorum coniunctione, qui alias ob causas exulabant. Sic enim fit, ut omnium causa putetur esse similis, cum Caesar ipse, cuius tu nomine legem fixisti, dissimilem iudicaret. Alterum, quod queror, est personarum acceptatio in revocandis exulibus. nam cum tres tantum aut quatuor supersint exules, eos cum aliis restituere debebas. Abram.

Eorum reditus inquinatos] Camerarius legit *aequatos*. Nam, ut ait Michaël Toxita, *Vt in poenis, ita etiam in praemiis observanda est proportio. Aequari igitur eorum reditus possunt, qui causam habent similem: qui dissimilem, eorum et-*

tres, aut quattuor reliqui sunt. Qui simili in calamitate sunt, cur tua misericordia simili non fruuntur? Cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, quum de reliquis ferres, noluisti: quem etiam ad censuram petendam impulisti, eamque petitionem comparasti, quae et risus hominum, et querelas moveret.

iam reditus dissimiles esse debent. Nihil muto. Idem. Camerarii emendationem ipsam Coelio Secundo Curioni video in mentem venisse. Quam quidem bonam esse arbitror: sed in summo consensu codicum Abramii sum explicatione contentus. Verba porro heic sunt cum Vaticano ita ordinanda: *eorum reditus inquinatos, quorum causam Caesar dissimilem iudicarit: deinde nescio, cur non reliquis idem tribuas.* Garaton. Male recepit Ern. coniecturam Camerarii. Schütz. habet *inquinatos.* Desideratur ea vox in Ien. et Gud. 2.

Qui simili in calamitate fuerint] Lang et alii nonnulli, *simili calamitate.* et certe hic idem similiter locutus est pro Sul. *Pari calamitate qui fuerant.* Ferrarivs. *Qui simili calamitate fuerunt*] Antiquus liber, *qui simili in calamitate. Sat.* nos pro *sat* reponimus *sunt.* quod et exigit sensus, sicut *fuerint* respuit. nam de iis loquitur, qui adhuc in exilio erant. distinguendum autem ante haec verba, et ea distinctio, quae est post illa, tollenda, unicaque sententia enuntiandum: *qui simili in calamitate sunt, cur tua misericordia simili non fruuntur?* Faernvs. *Qui in simili calamitate sint*] Ita legendum ex libri Vaticani corrupta scriptura. F. Vrsinvs. Sic etiam ante Fulvium edidit Muretus. Cum modo praecesserit *sunt*, ista repetitio aures offenderet. In meo MS. est *perfruuntur.* Graev. Etiam Barb. ambo praepositionem omittunt. Rom. et Ven. *fuerunt.* Sed praeteritum tempus pro praesenti erat imperite suppositum etiam loco illo pro Sulla 14. qui nunc ex optimis libris ita est constitutus: *qui vitam hominum, naturamque non nossent ac tantum audissent, eos pari calamitate esse, quaesiverunt, essentne eadem voluntate.* Garaton.

Cur eos habes in loco patrui?] C. Antonius, Marci patruus, olim collega Ciceronis in consulatu, post eum magistratum obtinuerat Macedoniam provinciam: et cum eam expilasset, accusante M. Coelio de maiestate, damnatus est de pecuniis repetundis. qua damnatione perculsus et infamia notatus, prohibitus est gerere magistratus, aut ullam reipublicae partem attingere. Antonius autem cum legibus suis exules revocaret, damnatos et infamia notatos in integrum restitueret, res iudicatas rescinde-

ret, nullam fecit patrui sui mentionem. Sed quasi restitutione non egeret, et pristinum locum dignitatis in civitate retineret, eum ad censuram petendam hortatus est. Quae res et risus hominum et querelas movebat. Ridebant, eum, qui fuisset infamia notatus, necdum esset in integrum restitutus, censuram petere, cuius est de moribus civium iudicare, et improbos notare virgula censoria. Querebantur, tantam esse impietatem M. Antonii, ut patruum suum, quem patris loco colere debebat, omnibus ridendum exponeret. C. Antonius (ut scribit Dio lib. 38.) *multa Macedoniae, quae Romanis parebat, cuique ipse praeerat, multa ei, quae ad Romanos non spectabat, damna intulerat, multa ipse receperat.* de quo Cicero epist. undecima lib. 1. ad Atticum: *Libertum ego habeo sane nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem et clientem tuum. De eo mihi Valerius interpres nuntiat, Chiliusque se audisse scribit haec, esse hominem cum Antonio. Antonium porro in cogendis pecuniis dictitare, partim mihi quaeri, et a me custodem communis quaestus libertum esse missum.* Subdit Dio: *Neque tamen his de caussis in iudicium pertractus, sed cum Catilinariae coniurationis conscius accusaretur, ob praedictas res damnatus est. Et evenit ei, ut, quorum arcessebatur* (maiestatis sive coniurationis cum Catilina), *eorum causa* (repetundarum), *de quibus ei dicta dies non fuerat, plecteretur.* Accusatores fuerunt Q. Fabius Maximus, et M. Coelius, patronus Cicero. de primo in Vatinium, de secundo in Coeliana: *Accusavit C. Antonium collegam meum, cui misero praeclari in rempublicam beneficii memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati.* De tertio pro domo sua: *Cum C. Antonium collegam meum defenderem.* Tranquillus in Iulio cap. 20. Dio lib. 38. Quod autem ait, nocuisse opinionem maleficii cogitati, non certo demonstrat, coniurationis damnatum fuisse Antonium, ut aliqui voluerunt interpretes, sed cohaerere potest cum illis, quae dicebamus ex Dione, non coniurationis quidem, sed expilatae Macedoniae fuisse damnatum: etsi coniurationis opinio, quae alte in animis hominum insederat, plurimum ei nocuerit, iudicesque sic alienarit, ut, cum eum violatae reipublicae damnare non possent, damnarint saltem vexatae compilataeque provinciae. Fieri autem potuisse nonnunquam, ut quis, una lege et uno crimine postulatus, alio plecteretur, constat ex eadem oratione pro Coelio: *Qui quanquam lege de vi certe non tenebantur, eo maleficio tamen erant implicati, ut ex nullius legis laqueis emittendi viderentur.* Qui autem damnatus fuerat iudicio de repetundis, solum exilii caussa vertere non cogebatur, sed pecunia duntaxat multabatur, ut tantum solveret, quanti lis fuisset aestimata. Vide Verrinam de legatione Verris, ubi dicit, quibusdam

nominibus Cn. Dolabellae LLS *ad tricies litem esse aestimatam.* et Plutarchus non caruisse suspicione praevaricationis nostrum Tullium scribit, quod C. Verri ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδων, tricies aestimata lis fuerat, et Noster frumentaria C. Catoni quatuor tantum millibus litem aestimatam fuisse testatur. Exilii insuper irrogati ne tenue quidem vestigium, excepto turbulentissimo illo tempore, quo Equites, iudiciis ad se translatis, Mummium, Cottam, ipsum P. Rutilium, per caussam legis repetundarum, aliosque viros primarios solum vertere coëgerunt. Sed de his quoque intelligendum puto, quod ait Orator pro Caecina: *In colonias Latinas saepe nostri cives profecti sunt. Aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent.* Vide Appianum primo de bellis civilibus. Ita tamen in urbe manere potuerunt, ut honores petere prohiberentur, nec ullam, ut in explanatione monui, reipublicae partem attingerent. Vide Lactantium. Quid? quod ne Senatu quidem movebantur damnati de repetundis, nisi praeteriti fuissent a Censoribus, sed ius veniendi in curiam retinebant, donec Caesar, confectis iam bellis civilibus, (ut narrat Tranquillus cap. 43.) *Repetundarum convictos etiam ordine Senatorio movit.* E dictis eas tenebras, quas doctissimus Manutius hoc loco sibi offusas fatetur, facile sit affulgente perspicuitatis radio dissipare. Eum in fraudem induxerat locus in Vatinium: *At nunc quidem C. Antonius hac una re miseriam suam consolatur, quod imagines patris et fratris sui, fratrisque filiam non in familia, sed in carcere collocatas audire maluit, quam vivere.* Item alter hac ipsa, quam nunc in manibus habemus, oratione: *Restituebat multos calamitosos. In his patrui nulla mentio. Si severus, cur non in omnes? si misericors, cur non in suos?* Et hic cum dixisset: *Et de exulibus legem quam fixisti Caesar tulit?* adiecit: *Cur eos habes loco patrui, de quo ferre, cum de reliquis ferres, noluisti.* E quibus omnibus colligit, C. Antonium adhuc post mortem Caesaris in exilio fuisse. Verum ex loco Vatinianae necessario non efficitur, C. Antonium exilio fuisse multatum: fieri enim potest, ut recentis damnationis pudore se tantisper ex hominum aspectu sponte subduxerit, ut de P. Sulla ambitus damnato scribit Orator pro eodem: *Quis unquam est suspicatus, hunc magis odio, quam pudore hominum, aspectum lucemque vitasse? Qui dum multa haberet invitamenta urbis et fori propter summa studia amicorum, quae tamen ei sola in malis restiterunt, abfuit ab oculis vestris, et cum lege retineretur, ipse se exilio prope multavit.* Quamvis biennio post Sullae damnationem, in ipso Tullii consulatu, *Senatus decrevit, ut decem annorum relegatio, adnitente cum primis Cicerone, reliquis legis*

de ambitu mulctis adderetur. Dio lib. 37. Sed prius, qui ambitus damnati fuerant, ius civitatis adeo non amittebant, ut ne veteres quidem clientelas amitterent. Eadem oratione: *Atque hoc, iudices, ex hac frequentia colonorum honestissimorum hominum intelligere potestis, qui adsunt, laborant: hunc patronum, defensorem, custodem illius coloniae, si in omni fortuna atque omni honore incolumem habere non potuerunt, in hoc tamen casu, quo afflictus iacet, per vos tutari conservareque cupiunt.* Quid? quod illo Vatinianae loco innuitur, utcumlibet fuisse in Antonii potestate, ut vel discederet, quod fecit occasione damnationis, vel in urbe remaneret, dum alterum pro altero dicitur maluisse. Nam quod spectat ad illos calamitosos, qui dicuntur a M. Antonio restituti, non exilium solum, sed etiam quaevis alia multa calamitatis nomine continetur, ut vel ex iis liquet, quae proxime subduntur: *Licinium Lenticulam de alea condemnatum, collusorem suum, restituit: quasi vero ludere cum condemnato non liceret.* Nam si Consul Antonius in Vrbe manens cum damnato ludere potuit, certe non exulabat Licinius de alea damnatus: quem ille restituit in integrum, nullam interim faciens patrui damnati mentionem. Denique hoc loco de tribus aut quatuor exulibus, qui reliqui erant, loquens: *Cur tua misericordia simili non fruuntur? cur eos habes loco patrui?* Nihil de exilio C. Antonii, sed tantum indicat, eum fuisse damnatum, quaecunque tandem ea fuerit damnatio, nec in integrum a M. Antonio restitutum. Certe quae proxime sequuntur indicant, tum Romae fuisse C. Antonium: quomodo enim et exul, et non restitutus ad censuram petendam impelli potuisset? Quanquam video, nos frustra laborare: revera enim exulavit C. Antonius. Strabo lib. 10: *Nostra aetate C. Antonius, M. Antonii patruus, aliam urbem ibi extruxit, cum post gestum Cicerone collega consulatum exul in Cephallenia degeret, totamque sub se insulam tanquam suam possessionem haberet, non absolvit tamen eam, sed reditu impetrato, maiores agitans res vitam cum morte commutavit.* Quaeres, quando reditum impetravit? Res est suspicionibus odoranda. Caesar primo belli civilis anno reversus ex Hispania, dictus a M. Lepido Dictator: *Exulibus omnibus, Milone excepto, reditum liberum fecit.* Quod ait exceptum Milonem, alios etiam exceptos intellige, qui cum Milone damnati fuerant, ut Sext. Clodium ob incendium curiae. Quo tempore C. Antonius videtur postliminio rediisse, non tamen penitus restitutus fuisse pristino statui et dignitati, quod nunc obiicit Orator M. Antonio. Abram.

In loco patrui] Eodem loco, quo patruum tuum C. Antonium olim habuisti, cum Tribunus fuisti. Illo enim anno, cum plures exules reduxisset, solum patruum non revocaverat: vide c. 23. Qui tamen non multo post

Cur autem ea comitia non habuisti? an quia Tribunus plebis sinistrum fulmen nuntiabat? quum

Caesaris beneficio est restitutus. Is enim ex Hispania primo belli civilis anno rediens omnibus exsulibus, solo Milone excepto, liberum reditum concessit. Dio lib. XLI. p. 170. Falluntur ergo, qui C. Antonium post mortem Caesaris demum restitutum credunt: in quibus fuit Manutius. Vide Abram. ad h. l. et P. Baile Diction. Hist. Crit. v. *Fulvia* p. 1298. Hevsinger. Confer Ferratii epist. I. 11. quam dedimus ad calcem Tomi VI. Sed mihi etiam quaedam ibi adnotanti accidit, ut tempora non distinguerem. Nunc demum intelligo, Tullium heic loqui de lege ab Antonio in Tribunatu lata, qua exules quidam reducebantur. Iussu autem Caesaris tum fuisse *nonnullos ambitus lege Pompeia damnatos*, nec alios praeterea, restitutos, *Praetoribus*, *Tribunisque plebis rogationes ad populum ferentibus*, testis est ipse Caesar III. B. C. 1. Quae res et Antonium de patruo purgat, et Dionis fidem in dubium revocat, item Appiani, qui omnes exsules, uno excepto Milone, tum reductos a Caesare cum Dione tradit p. 751. Itaque C. Antonium, quem ante Caesaris necem ab exilio redisse constat, post id tempus oportet reditum impetrasse, nulla lege, ut videtur, sed decreto Caesaris. Cautior fuit Appiano, et Dione Plutarchus, qui tantum ait, φυγάδας κατήγαγε, *exules reduxit*, in Caes. cap. XXXVII. dum eius brevem illam Dictaturam primo belli civilis anno recenset. Garaton. Ern. et Schütz. recte scripserunt, *Qui simili in calamitate sunt*, sequuti Cod. Vat.

Cur autem ea comitia] Antonius, ut videtur, censoria comitia indixerat, sed illucescente die vel non accessit omnino, vel, cum accessisset, repente comitia dimisit, quod Tribunus plebis nescio quis fulmen sinistrum nuntiabat. Abram.

Sinistrum fulmen] Noster 2. de Divinat. *In nostris commentariis scriptum habemus: Iove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. Hoc fortasse reipublicae caussa constitutum est. Comitiorum enim non habendorum caussas esse voluerunt. Itaque comitiorum solum vitium est fulmen: quod idem omnibus rebus optimum auspicium habemus, si sinistrum fuerit.* De sinistro vide Festum et Plutarchum. Idem. Non dubito, quin ita legendum sit: *an quia Tribunus plebis sinistrum fulmen nuntiabit? intervenit enim: cum tua quid interest*, etc. ut intervenisse dicatur sinistrum fulmen, quod ille ad impediendum Censorum comitia nuntiaverit. Sed quo id iure nuntiavit? ut Augur, inquit Manutius, non ut magistratus; ex his c. 32. verbis: *nos enim* (Augu-

res) *nuntiationem solum habemus, Consules, et reliqui magistratus etiam spectionem.* Si tamen haec verba vim aliquam habere debent, non denegatur magistratibus nuntiatio: at ii dicuntur et de caelo servare, et nuntiare potuisse, cum Augures tantummodo nuntiarent. Grucbius, Ant. Augustinus, Manutius, aliique passim interpretes, rerumque Romanarum scriptores idem putant esse *nuntiare*, quod erat Augurum, et *servare de caelo*, quod solis magistratibus licebat. At *servare de caelo* non erat observare, an aliquod adversum augurium contingeret, sed, ut ad c. 32. diximus, declarare, diem illum esse festum, et die festo agere cum populo non licere. Magistratus omnes de caelo servare poterant, et, cum impedire comitia volebant, se de caelo servasse nuntiabant; non autem aut vidisse fulmen, aut tonitru audisse; eoque utebantur verbo, *obnuntio.* Consules, habituri comitia centuriata, cavebant edicto, ne minores magistratus de caelo servarent, teste Gellio XIII. 15. et Plinius XXVIII. H. N. 2. quaestionem definit his verbis. *In Augurum certe disciplina constat, neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes observare se ea negaverint.* Si enim auspicia non pertinent ad eos, qui se illa servaturos negant, obnuntiatio minorum magistratuum non pertinebat ad Consules, qui proposito edicto id fieri vetabant. Hoc de centuriatis intelligendum est, inquit Gruchius: ego ad tributa etiam comitia spectare arbitror, quae a Consulibus habebantur. At P. Sextius Tribunus pl. ut pro eo 36. Metello Cos. habituro comitia Aedilitia obnuntiavit, item alius Tribunus Milo, ex IV. ad Att. 3. ut alia mittam exempla, quae adferre possent. Audio: non tamen inter minores magistratus Tribuni pl. sunt recensendi. Aedilibus, et Quaestoribus edicebant Consules, ne sibi obnuntiarent, non autem Tribunis pl. qui neque minores magistratus dicebantur, sed plebeii magistratus, neque eam potestatem obtinebant, quae impediri posset a Consulibus. Augures contra non servabant de caelo, sed observabant, an aliquod accideret sinistrum augurium: et ubi viderant cecidisse fulmen, verbi causa, aut tonitru audiverant, tum habenti comitia magistratui nuntiabant, ne pergeret cum populo agere, iis sollemnibus verbis, *alio die.* Scilicet magistratus, cum de caelo servaverat, obnuntiando adfirmabat, die festo haberi comitia non posse: Augur idem nuntiando negabat, posse fieri die nefasto. *Nuntiatio* deinde, si proprie loqui velimus, erat Augurum, *obnuntiatio* magistratuum. Quamobrem Tribunus pl. qui dissolvit comitia Censoria, nuntiavit sinistrum fulmen, ut Augur: nam obnuntiantes magistratus nullam vel fulminis, vel tonitru, vel huiusmodi rerum mentionem faciebant. Neque Cicero negat talia nuntianti parendum fuisse: *cum tua quid interest, nulla auspi-*

tua quid interest, nulla auspicia sunt; quum tuorum,

pia sunt; cum tuorum, tum sis religiosus. Ferratius.

Tua quid interest? nulla auspicia sunt tuorum cum sis religiosus?] Obscuritas horum clarissima lectionis antiquae luce discutitur, quae si habet, *cum tua quid interest, nulla auspicia sunt: cum tuorum tum sis religiosus.* quae si quis forte non intelligat, hunc sensum habent. Cum de re tua agitur, nihil curas auspicia, cum vero de re aliqua tuorum, quos inhumanissime odisti, tunc incipis observare religionem auspiciorum: ut per ea honores eorum et commoda impedias, quemadmodum fecisti in patruum tuum. Faern. *Cum tua quid interest*] Non libenter facio, ut operam meam venditem: sed idem facere non possum, quin lectorem admoneam his et talibus locis, ut hanc editionem cum aliis conferat: quo magis intelligant omnes, non frustra a me librum illum, quo usus sum, tam saepe laudari. Muretus. *Cum tua quid interest, nulla etc.*] Habent istud Manutius et Lambinus, puto a Faërni aut Mureti libris. nam nostri non recedunt a vulgatis: *tua quid interest? nulla auspicia sunt tuorum, cum sis religiosus.* inepte. Grut. *Cum tua quid interest*] Cum aliquid tua interest, cum fers legem de provinciis tibi et collegae tuo Dolabellae dandis, cum fers legem iudiciariam, ut milites manipulares e legione Alaudarum in iudicum numerum allegantur, ad alliciendos animos: cum fers alias leges, quae in tuum commodum redundent, eas maximo imbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina et tonitrua ferre non dubitas, et sic auspicia contemnis, quasi nulla omnino sint auspicia: cum autem tuorum aliquid interest, cum agitur honos et dignitas patrui tui, tumne ita es religiosus, ut auspiciis et obnuntiationi Tribunorum plebis obtemperes? Atque hic est sensus horum verborum, prout cum Lambino, Manutio, et Grutero edidimus. Nam vulgata lectio, *nuntiabat. Tua quid interest? nulla auspicia sunt tuorum, cum sis religiosus*, inepta est, inquit Gruterus, licet eam in suis omnibus manuscriptis extare fateatur. De legibus ab Antonio, et plerisque earum contra auspicia latis, vide Philipp. 1, Philipp. 5, et alibi passim. Maturantius retinet vulgatam lectionem, et sic interpretatur: *Quoniam augur tu es et religiosus tuos auspiciis subesse non existimas, et te ac tuos extra omnia auspicia positos esse tibi persuades.* ironice autem loquitur. Abram.

Auspicia tuorum sunt] *Sunt tuorum*, o. l. v. Ferrarius. Sane omnes libri habent *sunt*, etiam Faërnus, Muret. Lamb. et ipse Graev. in V. L. Quid ergo hic edidit cum Grut. *sint*, et cum utroque omnes postea recentiores? In ed. Mureti, et meis

tum fis religiosus. Quid? eundem in septemviratu

Lambinianis est etiam *fis* pro *sis*, ut citat Ferrat. prorsusque censeo cum Vaticano legendum: *cum tua quid interest, nulla auspicia sunt; cum tuorum, tum fis religiosus.* Garatoni.

Religiosus] Festus: *Religiosi dicuntur, qui faciendarum praetermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis delectum habent, nec se superstitionibus implicant.* Masurius Sabinus apud Gellium a *relinquendo* deducit, Tullius 2. de natura Deorum a *relegendo*, optime omnium Augustinus a *religando*, quod hac virtute homo, qui per peccatum a principio suo defluxerat, eidem religetur. Abram.

Quid? eundem] Turnebus Adversariorum lib. 4, cap. undecimo: *Sententiam horum verborum hanc esse puto. Cum Septemvir esses creatus agris assignandis, pecuniamque patruo deberes, nonne flagitantem destituisti? tum enim intervenit et pecuniam petivit: sed tu veritus, ne salvo capite negare non posses, hominem iurgio excepisti, et pro pecunia probra, et contumelias turpissimas ei persolvisti. Destituere enim dicitur, qui quod promisit non praestat, ut qui promissam pecuniam non solvit.* Addit: *Verius sit, Septemviratum petiisse Antonii patruum, eumque in petitione ab Antonio non solum destitutum fuisse, nec adiutum, verum etiam contumeliis multis affectum.* Idem.

In Septemviratu] Noster 3. de Oratore: *Pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros Epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti.* De his Livius lib. 33. ad annum ab Vrbe Condita DLVIII: *Eo primum anno triumviri epulones facti*, etc. *His triumviris item ut Pontifici lege datum togae praetextae ius.* Postea tamen e Triumviris facti Septemviri. unde Gellius lib. 1. Noct. Atticarum cap. 12. et Plinius Iunior lib. 2, epist. 11. quae est ad Arrianum: *Septemvir Epulonum.* Lucanus lib. 1:

Et doctus volucres Augur spectare sinistras,
Septemvirque epulis festis, Titiique Sodales.

Festus: *Epolonos dicebant antiqui, quos nunc Epulones dicimus. Datum autem est his nomen, quod epulas indicendi Iovi caeterisque Diis potestatem habebant.* His autem Iovis epulis adhibebantur Senatores, ut notat Clarus Sylvius vir eruditus lib. singulari in leges Regias, et XII. tabul. cap. 15. Idque ex Dione: *Quoniam in publica Romanorum celebritate nullus Senatorum in Capitolio epulis accubuerat, ut moris est, id quoque prodigii loco habitum.* Atque hunc Septemviratum, in quo C. Antonius a M. fratris filio destitutus fuerit, intelligunt. Alii septemviratum agris Campano et Leontino assignandis post necem

nonne destituisti? Intervenit enim, quum metuisti, credo, ne salvo capite negare non posses. Omnibus

Caesaris institutum. de quo Philipp. 6: *Campus Martius restabat, nisi prius cum fratre fugisset. Sed haec agrorum assignatio paulo ante, Quirites, Luc. Caesaris clarissimi viri, et praestantissimi Senatoris sententia dissoluta est. huic enim assensi Septemvirum acta sustulimus.* Item Philippica 8: *Ne fraudi sit Septemviris, quod egissent.* Abram. Rectius intelliges septemviratum agro Campano, et Leontino militibus dividendo. Vide VI. Phil. 5. VIII. 9. XV. ad Att. 19. Hevsing.

Destituisti] Destituit debitor creditorem, cum pecuniam, quam promiserat, non exolvit. Pro Quintio: *Destitutione illa perculsus Quintius, a Scapulis paucos dies aufert.* Destituit etiam, qui candidato, ut promiserat, non adest ad honores consequendos. Lib. ad Attic. epist. *Quid Arrius narret, quo animo se destitutum ferat.* Eodem etiam ut videtur, sensu pro P. Sulla: *Etsi nihil aliud Sullae, nisi consulatum, abstulissetis, tamen eo vos contentos esse oportebat*, etc. *Sed cum huic omnia cum honore detracta sint, cum in hac fortuna misera ac luctuosissima destitutus sit, quid est quod expetas amplius?* Abram.

Intervenit enim] Manutius hoc verbum e superiore sectione putat in hanc esse detrusum, et quasi postliminio revocandum, addendumque post verbum nuntiabat, ut sit ordo, *Intervenit sinistrum fulmen, quod Tribunus plebis ad impedienda comitia nuntiavit.* Sed vix persuaserit iis, qui abhorrent a novitate. quare sequamur Turnebi sententiam. Idem.

* *Quid metuisti? credo, ne salvo capite negare non posses*] Sic omnes fere lib. vet. *Quem metuisti credo ne salvo capite negare non posses.* Omnino hic locus mendo non vocat. Quid enim frigidius hac sententia? *Credo ne salvo capite negare non posses.* Quid dico frigidius? imo vero cum superiori non constat: nam si ita dixisset, Non enim intervenire voluisti: aliquo modo inter se fortasse convenirent: cum autem *intervenerit:* pugnantia sine dubio loquitur. Quid, si *necare* pro *negare* reponatur? Scribit enim lib. III. Livius, *L. Valerium, et M. Horatium Coss. lege sanxisse, ut, qui Tribunis plebis, Aedilibus, Iudicibus, Decemviris nocuisset, eius caput Iovi sacrum esset.* ut haec sit horum verborum sententia, Cur non passus es, eum fieri VII virum dividundis agris? nullam ob aliam causam credo, nisi ut, quem omnibus contumeliis, ac probris affecisti, hunc etiam salvo capite necare posses. id quod facere non potuisset, si factus esset VII vir: siquidem sacrosancti sunt. Sic enim et haberet

nescio quid submorosi, atque stomachosi sententia: et eidem subesset aliud dicentis ac sentientis dissimulatio, ea quam Graeci εἰρωνείαν vocant: nam cum aliud dicere videatur, hoc tamen sentit, Antonium eas opes per vim, eam potentiam sibi parasse, ut quemvis occidere possit impune: esse porro tanta importunitate, impotentia, immanitate praeditum, nihil ut ei inviolatum, nihil sanctum, nihil augustum esse videatur. Sed non liquere pronunciemus: praesertim cum et omnes libri contra me faciant: et dubitem, utrum Livius de Decemviris litibus iudicandis, an coloniis deducendis loquatur. Quid autem sibi velit, *salvo capite*, apparet in oratione pro Caecin. *Caecinae placuit, et amicis, quoad salvo capite fieri posset, experiri.* et pro Cluent. *Si id praetermittere salvo capite suo potuisset.* FERRARIVS. *Quid? metuisti, credo, ne salvo*] Hic locus, meo iudicio, corruptus ac depravatus est. secutus autem sum olim Faërni et Mureti emendationem, quae talis est, *cum metuisti, credo, ne salvo capite negare non posses*, ex antiquo illo codice Vatican. Nam Hieron. Ferrarius testatur, sic legi in aliquot aliis manuscriptis, *quem metuisti, credo, ne salvo capite negare non posses.* quam scripturam non probat: ex ea tamen suspicatur legendum, *necare non posses.* quae coniectura non videtur esse reiicienda: et fortasse emendatus locus esset, et perpurgatus, si ita legeretur: *intervenit enim, quod metuisti, ne salvo capite eum necare non posses.* vel sic: *intervenit enim, quid? metuisti, credo, ne salvo capite eum necare non posses.* vel sic: *intervenit enim. quid? eum metuisti, credo, ne salvo capite necare non posses.* LAMBIN. *Quid? metuisti*] *Cum metuisti* liber Vaticanus: fortasse legendum *commetuisti*, etc. F. VRSINVS. *Ne salvo capite negare non posses*] Coniecit Ferrarius, sed timide, *necare.* id statim recepit Lambinus, addito de suo, *eum.* GRVTERVS. *Cum metuisti, credo*] Videtur reddere rationem, cur patruum suum destituerit Antonius. quia, si eum Septemvirum creare voluisset, prius de restituendo patruo legem ferre debuisset. (neque enim, qui integri capitis et existimationis non erat ob damnationem, is poterat fieri Septemvir, aut ad ullum vel magistratum, vel sacerdotium promoveri.) At metuebat Antonius, ne salvo patrui capite, id est, patruo in integrum restituto, debitam ei pecuniam negare non posset. Coniicit Ferrarius, asserit Lambinus legendum *necare*, sed vellem interpretationem suam addidissent, ut et ii omnes, qui ironiam esse contendunt. ABRAM. *Nonne destituisti? cum metuisti, credo, ne salvo capite negare non posses*] Nonne poteras, inquit, septemviratum dividendo agro Campano, et Leontino petenti patruo negare? nihil enim erat, quod inde metueres. Cur pollicitus te daturum, illum deinde in petitione destituisti? Aut sen-

eum contumeliis onerasti, quem patris loco, si ulla in te pietas esset, colere debebas. Filiam eius, soro-

tentia ironica est hoc sensu: quod eum non metueres, ideo negasti septemviratum. FERRARIVS. Ien. *quid metuebas?* in marg. *metuisti.* Locus utique obscurus, necdum satis explicatus. *Salvo capite* Abram. interpretatur, si patruum in integrum restituisses: quod non intelligo, cum C. Antonius iam restitutus esset. Refero potius ad M. Antonium, et explico, sine deminutione capitis, sine mutatione status tui. Sed in his tenebris nihil adfirmari potest. HEVSINO. Ern. et Schütz. *Intervenit enim. Quid metuisti? credo, ne* etc. Ego sequendum esse putavi Vat. Cod. *Intervenit enim, quum metuisti, credo, ne* etc. Pro contextu totius sermonis rectius haec iunguntur. Caeterum Manut. erravit, qui transpositionem verborum hic tentabat.

Si ulla pietas in te] *Si in te ulla pietas*, Lang. et caeteri: et lenior constructio. FERRARIVS.

Sororem tuam] Immo *uxorem tuam* legendum, Octaviam scilicet: quam exegit Antonius, Fulvia domum intromissa. LAMBINVS. *Filiam eius, sororem tuam eiecisti*] Ita est in Vaticano. Ant. Augustinus ex manuscripto etiam libro pro *sororem* legit *uxorem.* at in *eiecisti* hoc continetur: eiecit igitur, et sororem, et uxorem. F. VRSINVS. *Sororem tuam*] Antoniam patrui tui filiam, ac proinde tuam sororem patruelem. Adverte vero exaggerandae contumeliae rationem: primo rem ipsam suis omnibus circumstantiis vestitam exponit, deinde magis exaggerat. expositio habet incrementum rerum, exaggeratio verborum. Grave erat uxorem repudiare, gravius filiam patrui et sororem suam patruelem: gravius etiam eiicere quam repudiare. eiectio enim semper contumeliam habet, repudium non item. gravissimum autem aliam conditionem, id est alterius coniugis nuptias quaesiisse, et ante perspexisse, ut Fulviae post mortem C. Curionis viduae relictae conditionem et nuptias quaesierat Antonius, antequam Antoniam abs se dimitteret. Iam quid illud? probri insimulare, id est adulterii falso accusare foeminam? quid foeminam castissimam? quid accusare non inter privatos parietes, sed in Senatu, et frequentissimo Senatu, neque id quovis die, sed ipsis Kalendis Ianuariis, quo die laeta verba dicuntur:

Et damus alternas accipimusque preces.

Vt omittam, quod sedente et audiente patruo haec probra in illam evomuit. ABRAM. Factum hoc est, socero C. Antonio iam restituto: is enim in Senatu aderat. Ergo incidere videtur in annum DCCVI. quo Dolabella Tribunus pl. et Antonio violatarum nuptiarum suarum suspectus fuit, auctore Plutarcho in Ant. p. 919.

rem tuam, eiecisti, alia conditione quaesita, et ante

Heusing. Errat vehementer Lambinus, neque tamen, in quo erret, intellexit Abram. ad fin. cap. Octaviam enim duxit Antonius, Fulvia demum mortua, ut est apud Plutarch. in Ant. cap. xxxi. Solus ille Augustini cod. *uxorem*. Cur autem non *sororem*, cum praecedat, *filiam eius*, h. e. patrui, et infra, *sorori et uxori tuae*? Quomodo vero C. Antonii filia dici potuit Octavia? De hac patruelium appellatione agentem vide Perizonium Anim. Hist. c. III. p. 107. et seqq. Garaton.

Alia conditione quaesita]. Rectissime: nec libri scripti ab impressis discrepant: quidam tamen pro *alia*, *falsa* reposuerunt: quasi vero non M. Antonius, eiecta Antonia, Fulviam sibi despondérit. Ferr. *Conditione quaesita*] Cornelius Nepos vita Attici: *Effecit, ut M. Vipsanius Agrippa intima familiaritate coniunctus adolescenti Caesari, cum propter suam gratiam, et Caesaris potentiam nullius conditionis non haberet potestatem, potissimum eius deligeret affinitatem.* Frequenter Suetonius, ut in Iulio cap. 17: *Ad retinendam autem Pompeii necessitudinem ac voluntatem Octaviam sororis suae neptem, quae C. Marcello nupta fuerat, conditione detulit, sibique filiam eius in matrimonium petiit Fausto Sullae destinatam.* In Claudio 26: *Nec durare valuit, quin de conditionibus continuo tractaret.* In Galba 5: *Remansit in coelibatu, neque sollicitari ulla conditione amplius potuit.* Abram. *Conditio* proprie dicebatur matrimonium a tabulis nuptialibus, in quibus conveniebant de futuro coniugio parentes aut necessarii sponsi sponsaeve. Hinc *capere conditionem primarium* apud Plautum est splendide aut ducere, aut nubere. Sed post significat etiam innuptas nuptias, illicitum concubitum, stuprum, adulterium. Et sic accipitur apud Suetonium in Octav. cap. 69. Sed *conditiones perspicere* esse id, quod voluerunt Manutius et Abramius, falsissimum est. Non dicit Suetonius *conditiones esse perspectas*, sed *conditiones quaesitas*, h. e. quaesitas foeminas pulchras, quae cum Octaviano consuescerent, et illas quidem quaesitas per amicos, qui matresfamilias et adultas virgines denudarent et perspicerent. Virgines nudae perspiciebantur, non conditiones. Censeo autem, Ciceronem scripsisse, *alia conditione quaesita, et ante prospecta*, ante repudium uxoris circumspecta alia uxore, quam duceret Antonius, nimirum Fulvia. *Prospicere* uxorem est, quod aliter dicitur circumspicere, diligenter circumferre oculos, et animum, ut invenias, quod desideras. Hinc prospicere et circumspicere Terentio iunguntur tanquam synonyma. Terent. Adelph. *Nunquid circumspexti, aut tute prospexti tibi.* Belgae

perspecta. Non est satis. Probri insimulasti pu-

eodem modo dicunt *eene andere Vrouwe uytsien.* Sin *perspicere* retineas, possis exponere, ante explorata et cognita sive per se ipsum, sive per proxenetas, conditione, hoc est, cum certo ante cognovisset, se, sua dimissa, illa uxore potiturum. GRAEVIUS. *Conditionem perspectam habere*, est, certam uxoris ducendae conditionem habere. Vide Graev. ad h. l. et Baile Dict. Hist. Crit. v. *Fulvia* adnot. K. Graevius mallet *prospecta:* sed ita abundaret *ante*, quod quidem non inusitatum esse scio. Ienens. *perfecta*, quod falsum, quia nondum de iis nuptiis convenerat. HEUSING. Etiam Barb. prim. *perfecta*, quod ceterorum omnium librorum lectionem firmat, ex permutatione, quam vidimus ad c. 5. post red. ad Quir. Quid sit h. l. *conditio*, exposuit recte Graevius. Exempla vide apud Pareum Lex. Crit. p. 248. Gronov. I. Observ. 6. et alios, qui citantur ab Oudend. ad Sueton. Caesar. XXVII. Sed eius coniectura nihil est opus. Quid inter *prospicere*, et *perspicere* intersit, notat idem Oudend. ad eumd. Suet. Tib. LVII. Verum quadrat huc inprimis ea notio, quam illustrat Pareus l. c. p. 922. *Perspicere conditionem* est diligenter examinare, an ea bona sit. Quaecumque ad eam probandam pertinent, in hoc examen cadunt. Tamen id obscure tangi, quod Manutius est suspicatus, quamvis in explicatione locutionis erraverit, et res ipsa patitur, et non gravate concesserim. Neque enim solum est quaedam egregie contecta in re, ac verbis honestis ambiguitas, quam Graev. ipse demonstrat, et quae ad c. 15. pro Coel. habet Abramius: verum etiam ipsa verba per se revocare animos poterant ad suspicionis memoriam, si quam vulgi rumor adflaverat. Id erit quidem non plane alienum a Fulvia, si cum Manutio ad eam referas, quod Antonius dicitur c. 19. domi P. Clodii molitus: nec defuit maior etiam opportunitas, Fulvia Curioni nupta, quo magis familiarem Antonius habuit neminem. Procacem fuisse feminam indicat Augusti epigramma notissimum apud Martial. XI. 21. Quod si Cytheridem intelligas, ut non absurde infra suspicatur Abramius, perfacetus hic erit locus, similisque superiori c. 28. quo mima illa, tamquam legitima uxor Antonii, urbano sale tractatur. GARATONI. Ern. et Schütz. *prospecta*, atque ille nominatim, quod *perspicere* semper in malam partem accipiatur. Ego statuo, vel propter hanc ipsam caussam *perspecta* legendum esse. Teeg. et Gud. 2. *perfecta*.

Probri insimulasti] Marcellus D. de ritu nupt. l. 41: *Probrum intelligitur etiam in his mulieribus, quae turpiter viverent, vulgoque quaestum facerent, etiamsi non palam.* Non tamen, opinor, Antonius insimu-

dicissimam foeminam. Quid est, quod addi possit? Contentus eo non fuisti. Frequentissimo Senatu Kalendis Ianuariis, sedente patruo, hanc tibi esse cum

lavit uxorem, quod vulgo quaestum faceret, sed quod ei Dolabella stuprum obtulisset. Festus: *Probrum, stuprum, flagitium, ut Attius in Hellenibus:*

Qui nisi probrum omnia alia indelictum aestimant.

Caecilius in Davo:

Ea tum compressa parit huic puerum, sibi probrum.

Sed posteriore loco probrum videtur esse infamia, quae ex flagitio redundat, non ipsum flagitium. Ibidem: *probrum Virginis Vestalis.* Notat autem alicubi Scaliger: *Vt a prohibeo proebrum et probrum: sic a stupeo stuprum.* Iam, ut ait idem Festus: *Stuprum pro turpitudine antiquos dixisse apparet in Nelei carmine:*

Foede, stupreque castigor cottidie.

Et in Appii sententiis: *Qui animi volt sese compotem esse, ne quid fraudis stuprique ferocia pariat.* Naevius:

Seseque ii perire mavolunt ibidem,
Quam cum stupro redire ad suos populares.

Item:

Sin illos deseritis fortissimos virorum,
Magnum inde stuprum populo fieri pergetis.

E quibus vides, idem pene esse *probrum* et *stuprum*, et antiquitus stuprum sumptum fuisse pro infamia, sive probro, quod ex flagitio redundat, et vice versa probrum pro stupro, sive flagitio, unde infamia. Nunc stuprum ponitur pro flagitio, quod cum virgine vel saltem cum soluta committitur: olim etiam pro adulterio posuerunt, ut hoc loco: *Vxori tuae stuprum oblatum esse comperisset,* et D. ad legem Iuliam de adulteriis, nulla inter utramque vocem distinctio. Abram.

Sedente patruo] C. Antonius repetundarum damnatus ius ad Senatum eundi non amiserat, ut iam diximus superiore. Primus enim Caesar Dictator, ut e Suetonio retulimus: *Repetundarum convictos etiam ordine Senatorio movit.* Cuius, opinor, severitatis occasione factum paulo ante pugnam Actiacam, ut quaestio de repetundis omnino tolleretur. Dio libro 49: *Iisdem fere diebus S. C. factum est, ne quis Senatorii ordinis de repetundis in ius vocaretur: eo et rei huius criminis impunitatem sunt consecuti, et in posterum eorum maleficiorum licentia permissa est.* Postea tamen ea quaestio non solum restituta, sed novis sanctionibus aucta. vide Interpretes Iuvenalis ad illa,

Exul ab octava Marius bibit, et fruitur Diis
Iratis: at tu victrix provincia ploras.

Abram.

Dolabella causam odii dicere ausus es, quod ab eo sorori, et uxori tuae stuprum oblatum esse comperisses. Quis interpretari potest, impudentiorne, qui in Senatu, an improbior, qui in Dolabellam, an impurior, qui patre audiente, an crudelior, qui in illam

Odii causam] O. l. v. *causam odii*. Ferrarius. Mei ante Lamb. *odii causam ausus es dicere*. Barb. ambo, et MSi Ferrarii ordinem hunc in eo tantum immutant, quod habent, *causam odii*. Lamb. ex suis MSis, Grut. et omnes postea, praeter id, etiam *dicere ausus es*. Infra mei scripti, editique, *qui patre audiente*, firmante Prisciano p. 604. a quo totum hoc optime recitatur. Alii, *patruo*, quod est a Lamb. notatum, et sequi videtur voluisse Graevius in V. L. magnamque habet auctoritatem unius Vaticani, maiorem etiam a superioribus, *sedente patruo*. Sed idem, qui erat Antonii patruus, uxoris erat eiectae pater. Garaton.

Quis interpretari] Hactenus expositio, cum rerum incremento: transiit ad verborum exaggerationem singulis circumstantiis suum nomen attribuens. Impudentiae fuit haec dicere in Senatu coram viris gravissimis et reverentia dignissimis; improbitatis Dolabellam, honestissimum adolescentem, adulterii labe adspergere; impuritatis spurce de filia loqui, patre audiente; crudelitatis et immanitatis famam pudicae mulieris adulterii crimine violare. Abram.

In Dolabellam] Iam Antonius cum Dolabella in gratiam redierat, eumque ad suas partes traduxerat. Prudenter igitur Orator haec interserit, ut eum adducat in odium Dolabellae, concordiamque illam rescindat, ne uterque conspirantibus animis invadant rempublicam, quod iam tum moliri videbantur. Idem.

In illam miseram] Innocentem, ut interpretatur Asconius ad illa verba lib. 3. in Verrem: *Ille miser cum esset Dolabella, tum proditione istius nefaria, tum improbo et falso eius testimonio, tum multo ex maxima parte istius furtorum ac flagitiorum invidia conflagravit.* et: *Ille miser defensorem neminem reperire poterat.* Pro Fonteio: *Venit huic subsidio misero atque innocenti Massiliensium civitas.* Pro Sextio: *Ille Cyprius miser*, etc. In Vatinium de hoc ipso C. Antonio, quem, quia defenderat, semper videri voluit innocentem: *Ut homo consularis exclusus miser puncto temporis*, etc. Pro Coelio: *Accusavit C. Antonium, collegam meum, cui misero praeclari in rempub. beneficii memoria nihil prosit, nocuit opinio maleficii cogitati.* Sic Tibullus lib. 1. eleg. ultima, cum primum ensis inventorem accusasset, eum deinde sic excusat et declarat innocentem:

miseram tam spurce, tam impie dixeris? Sed ad chirographa redeamus. Quae tua fuit cognitio? Acta enim Caesaris pacis causa confirmata sunt a Senatu:

At nihil ille miser nocuit, nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.

Qui dicendi modus videtur ex eo natus, vel quod nihil citius misericordiam movet, quam innocentia et virtus afflicta, vel quod imperitum vulgus existimat, eos esse miseriores, qui innocentes cum sint, calumniis opprimuntur: ut sentiebat Helena Ovidiana Paridi:

Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum est:
Quae venit indigno poena, dolenda venit.

Sed praeclare Socrates apud Xenophontem Apologia: *Cum*, inquit, *adesset Apollodorus nescio quis Socratis valde studiosus, dixit: Atqui hoc ego, Socrates, aegerrime fero, quod te video iniuste morientem. Hunc autem aiunt caput Apollodori manu mulcentem, ita dixisse: Tu vero, o charissime Apollodore, videre me malles iuste quam iniuste morientem?* Idem.

Tam spurce] Rem adeo foedam et impuram tam spurcis et inhonestis verbis exponens. Est vox a sacris accersita, nam, ut auctor est Festus: *Spurcum vinum est, quod sacris adhiberi non licet*, etc. *cui aqua admixta est, defrutumve, aut igne tactum est, mustumve, antequam defervescat.* Sed huius vocis plura significata vide apud Nonium. Abram.

Tam impie] Nullam habens necessitudinis et consanguinitatis rationem. Atque hactenus de contumeliis, quibus Antonius affecit Antonium patruum suum, ut Fulviam duceret. Fulviam, inquam, non Calpurniam, ut ait Franciscus Maturantius, neque Octaviam, ut Lambinus. Sed si aliam quam Fulviae velimus ab Antonio conditionem esse quaesitam: videtur Cytheridis sive Volumniae conditionem quaesiisse: nam magister Equitum, quo tempore Caesar bellum Alexandrium et Ponticum gerebat, inimicitias cum Dolabella exercuit: eodemque tempore Cytheridem habebat, non Fulviam, quam innuit Plutarchus ab eo ductam, quo tempore Caesar in Africam profectus est contra Scipionem. Idem.

Sed ad chirographa] Quae tu adulterasti et falso nomine Caesaris subiecisti. Idem.

Quae tua cognitio] An recognovisti chirographa Caesaris cum delectis a Senatu, ut Senatus iusserat, ne deinde subiici et adulterari possent? Idem.

Acta enim Caesaris] Caesar ad bellum Parthicum profecturus magistratus ad quinque proximos annos elegerat, sacerdotia, provinciarum exercituumque praefecturas ordinarat. Post eius necem factum S. C. in Ciceronis senten-

quae quidem Caesar egisset, non ea, quaeque gessisse Caesarem dixisset Antonius. Vnde ista erumpunt? quo auctore proferuntur? Si sunt falsa, cur probantur? si vera, cur veneunt? At sic placuerat, ut ex Kalendis Iuniis de Caesaris actis cum consilio cognosceretis. Quod fuit consilium? quem umquam advocasti? quas Kalendas Iunias exspectasti? an eas, ad quas te, peragratis veteranorum coloniis, stipatum armis retulisti?

XXXIX. O praeclaram illam percursationem tuam mense Aprili, atque Maio, tum, quum etiam Capuam coloniam deducere conatus es! Quemadmo-

tiam, ut omnis memoria discordiarum oblivione sempiterna deleretur, additumque, ut nihil de Caesaris actis mutaretur, sed ut ii sacerdotia, magistratus, provincias, exercitus obtinerent, quibus ea Caesar vivus concesserat. Idque factum pacis et concordiae caussa, ne videlicet, qui a Caesare beneficium acceperant, amittendi metu seditiones excitarent, sopitasque discordias renovarent. Appianus 2 civilium exeunte. Cum autem Calpurnia uxor et pecunias et Caesaris libellos ad Antonium detulisset, ille multa chirographa nomine Caesaris ementitus, quibus voluit, beneficia concessit, quasi Caesar id facere statuisset, et ita scriptum in suis commentariis reliquisset. atque haec acta Caesaris, adulterata fraude Antonii, negat a Senatu fuisse confirmata. Idem.

Non ea, quae Caesarem egisse] In Vaticano ita scribitur: *non ea, quaeque gessisse Caesarem dixisset Antonius:* ubi numerus primum egregius: deinde *quaeque* optime usurpatum pro *quaecumque,* qua de re vide Dukerum ad Liv. XXIII. 11. postremo idem *quaeque* pronomini *ea* concinne subiectum, ut in Orat. 71. *id, quodcumque.* pro Marc. 8. *omnia, quaeque,* in aliq. libris. III. de Leg. 3. *pari iure cum eo, quicumque erit iuris disceptator.* I. de Orat. 10. *ut in iudiciis ea causa, quamcumque tu dicis, melior, et probabilior esse videatur.* pro Mil. 56. *eam fortunam, quaecumque erit tua, ducam meam.* II. in Verr. 35. *non diu Scipionis appellarentur, sed eorum, ad quoscumque ipsius morte venissent,* et III. in eund. 41. *ornabant eos, quicumque in operis erant,* quae ibi veterum editionum lectio firmari videtur ab omnium optimo cod. Fabric. cum Nannii codex habeat *qui.* Tantum praeferendum heic existimari potest *egisse,* ut fecit Muretus; qui Vaticanum leviter quidem, sed non necessario

emendavit edendo *quaequae*, in ceteris a vulgata non discessit. GARATONIVS. Vatic. etiam hic exprimendum curavi, quanquam neque Ern. neque Schütz. nec alii eum hic sequuti sunt.

Vnde ista erumpunt?] Nisi ex tua domo, imo ex gynaeceo, ubi immunitates nundinaris. ABRAM. Colon. *Vnde ista erumpuntur?* non repudiarem, si alii libri confirmarent. Si enim recte dicitur *erumpunt se*, ut Caesar II. civ. *portis se foras erumpunt*, et plures alii, ipseque Cicero, cur non etiam dixerint *ista erumpuntur?* GRAEV.

Quo auctore proferuntur?] Quis asserit horum veritatem praeter unum Antonium. ABR.

Si sunt falsa] Dilemma paucissimis verbis comprehensum, ut vehementius feriat. IDEM.

Cur approbantur?] *Probantur*, o. l. v. FERRARIVS. His MSis, utroque Barb. dissentiente, recte paruerunt omnes iam inde a P. Manutio, si Muretum excipias, quem prius illud retulisse miror, cum in Vaticano *probantur* invenerim. GAR.

At sic placuerat] Ita decreverat Senatus, ut vos Consules, tu videlicet et Dolabella, convocatis ad consilium aliquot Senatoribus, recognosceretis acta Caesaris, remque ad Senatum Kal. Iuniis referretis, ne qua fraus posset obrepere. Tu autem non solum consilium nusquam convocasti, sed totum mensem Aprilem et Maium peragrandis veteranorum coloniis insumpsisti, ubi videlicet illos milites veteranos, quos assignatis agris militia solutos Caesar in colonias deduxerat, ad ulciscendam Caesaris necem concitasti, et stipatus armis in urbem rediisti. Vide Philipp. 1. ABRAM.

Vt ex Kalendis Iuniis] Quamquam non videtur haec res uno die transigi potuisse, tamen praeterire nolui, me ita in Vatic. invenisse. *At sic placuerat, Kl. Iun. de Caesaris actis cum consilio cognosceretis.* Muret. dedit, *ut Kal. Iun.* Veram, et elegantem vulgatam censeo. Pro Domo 27. *Ex Kal. Ianuariis, quoad perfecta res est.* Petronius cap. XXXVIII. *C. Pompeius Diogenes ex Kalendis Iuliis caenaculum locat:* quae solemnis erat formula in locationibus proscribendis, ut Herculanensis inscriptio testatur apud Winkelm. in Epist. de Herculano p. 43. IN PRAEDIS. IVLIAE. SP. F. FELICIS. LOCANTVR. BALNEVM. VENERIVM. ET. NONGENTVM. TABERNAE. PERGVLAE. CAENACVLA. EX. IDIBVS. AVG. PRIMIS. IN. IDVS. AVG. SEXTAS. *etc.* Alia vide apud Ferrar. infra ad III. 8. GARATON.

Quam unquam advocasti] Vaticanus, et Faërni ac Muret. edd. *quem unquam convocasti?* Cicero videtur scripsisse, *quos unquam convocasti?* GRAEV. Huic emendationi adsentiri non possum: tuetur enim Vaticani lectionem similis locus III. Agr. 4. *quoniam me in vestram concionem convocaverunt*, quem Gulielm. sollicitabat, nos defendebamus, et Mencken. in Observ. L. L. p. 200. Nimirum vocatio non unius erat Antonii, sed utriusque Consulis, et con-

vocatur aliquis in consilium, ut cum aliis adsit, remque cognoscat. Verumtamen heic malo vulgatam, quae videtur mihi esse praestantior. Pro Quinct. 2. *quo non in iis, quos tibi advocasti, viris electissimis civitatis, spem summam habere P. Quinctius debeat.* Sic alibi. GARATON.

Stipatum armis] Vatic. *aptum armis*, manus recentior, *apatum*, quae forte *stipatum* voluit. An vero Cicero *aptum armis* dixit Antonium, ut ex Ennio Virgilius IV. Aen. 482. et alibi *caelum stellis aptum?* de illa significatione vide ibi Servium, et Nonium p. 235. Burmann. ad Petron. cap. XXXIV. p. 195. Drak. ad Liv. I. 46. Pareum in Lex. Crit. p. 105. etc. Ennianum est quoque, *apta pinnis*, de quo Ind. Ern. et Pearc. ad III. de Offic. 29. item illud, *vinclis venatica velox Apta silet canis*, etc. p. 93. ed. Hessel. Ita conferta circum Antonium arma ferme poetice notarentur. Sed tamen qui minus liceat *aptum armis* dicere, quam *stipatum?* Nam *stipare* valet implere, farcire, densare, ut omnes tradunt cum Salmasio ad Tertull. de Pallio p. 145. Quae igitur arma densa, et multa circumstant, ea *stipàre* dicuntur: iis erat fartus quodammodo atque densatus Antonius: ita nimirum obstructus, ut ad eum nemo posset accedere. Cur non ad eamdem rationem arma dicantur *apere*, sive *apta* (possunt enim etiam *stipata* dici), quae circum aliquem coniuncta, connexa, spissa versantur? sic *aptus armis* erit ille, quem armatorum agmen ab omni parte ita claudit, ut agmini adhaerere quodammodo, et colligari undique videatur. Verum impetrare nondum a me ipse potui, ut mendosum heic Vaticanum esse non putem, quod item ceteris, qui varietatem hanc neglexerunt, eius collatoribus visum est. Coniicerem, *saeptum armis*, quod ex Vaticani vestigiis nullo negotio eruitur, nisi optima, et de Antonio heic saepe adhibita vulgata esset. Vtrumque habes pro Sext. 44. *qui stipatus semper sicariis, saeptus armatis, munitus indicibus fuit.* Immo a Sidonio II. Epist. 13. extr. usurpatur hoc ipsum, *saeptus armis;* ubi Savaro ex Isidori Glossis adfert, *Saepta armis, armatis circumdata.* Id ex hac oratione sumptum dixerim: at utrum hoc ex loco, an ex c. 44. definiri non potest. IDEM.

Cum etiam Capuam] His verbis adde *coloniam.* ut sit: *cum etiam Capuam coloniam deducere conatus es.* quod vero sequitur, *quemadmodum illam adieris, vel potius pene non adieris, scimus*, nos auxilio antiqui libri, in quo sic est, *quemadmodum illin cavieris vel potius paene non abieris, scimus*, emendavimus. Cum enim Capuam accessisset Antonius, ut eam coloniam deduceret, veteres coloni vi armisque eum repulerunt, parumque afuit, quin eum occiderint, et hoc est quod dicit, *paene non abieris.* Postea ille Capuae minabatur, quasi poenas eius rei ab ea repetiturus. Cui Cicero dicit,

dum illinc abieris, vel potius paene non abieris, scimus. Cui tu urbi minitaris. Utinam conere, ut aliquando illud *Paene* tollatur! At quam nobilis est tua illa peregrinatio? Quid prandiorum apparatus,

utinam conere facere quod minaris, ut, sicut tunc Campani te paene occiderunt, nunc non paene, sed omnino id faciant. hoc dicitur illis verbis, *ut aliquando illud paene tollatur.* FABRNVS. *Cum etiam Capuam coloniam deducere conatus es*] In aliis omnibus libris vox *coloniam* desiderabatur. MVRETVS. *Capuam*] Antonius, ut veteranorum animos sibi magis obligaret, Capuanorum agros illis assignare voluerat, et novam coloniam eo transcribere: eoque profectus erat, ut agros divideret: sed illi coloni veteres obstiterunt, necemque pene intulerunt. Et eam ob causam Capuanis minitabatur Antonius. Vtinam, inquit Orator, quae minaris, ea coneris ad exitum perducere, ut tandem aliquando, quod fieri iampridem oportebat, tibi nex inferatur, nec iam dicaris paene occisus, sed simpliciter occisus, et illud paene tollatur. legebatur olim: *Quemadmodum illam adieris, vel potius paene non adieris.* nulla subiecta sententia. ABRAM.

Illinc abieris vel potius paene non abieris] Ita iudicavi legendum e corruptis verae scripturae vestigiis, quae haec erant: *illim cavieris, vel potius paene non habueris.* MVRET. *Pene non abieris*] Philipp. 12: *Quemadmodum vestrum hoc consilium Capua probabit? quae temporibus his Roma altera est? illa impios cives iudicavit, eiecit, exclusit. Illi, illi inquam, urbi fortissime conanti e manibus est ereptus Antonius.* ABRAM.

Cui tu urbi] Capuae, cui ideo minabatur Antonius, quod Caesari Octaviano magis favebat, cuius pater Caesar veteranos eo deduxerat. Sueton. Caes. xx. Dio lib. XLV. p. 276. HEWSING.

At quam nobilis est tua illa peregrinatio?] *Atque nobilitata sit tua illa peregrinatio*, o. l. v. ego sic, *Atque nobilitata.* et quae sequuntur, eodem modo. hoc enim membrum superiori connectendum est; notaque illa, quae post *tollatur* est, quaeque demonstrat sententiam esse terminatam, tollenda, illa autem subdistinctionis, quam Grammatici vocant, apponenda: ut haec sententia sit: Tu Capuae minitaris: utinam conere: ut illud, paene, tollatur, et te interfecto, peregrinatio tua nobilitata sit. Id enim significat, quod XII Phil. declarat, *Vestrum hoc consilium Capua probabit? quae temporibus his Roma altera est. Illa impios cives iudicavit, eiecit, exclusit. Illi inquam urbi conanti e manibus est ereptus Antonius.* FERRARIVS. *At quam nobilis*]

quid furiosam vinolentiam tuam proferam? Tua ista detrimenta sunt: illa nostra. Agrum Campanum, qui quum de vectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen infligi magnum reipublicae vulnus putabamus: hunc tu compransoribus tuis et conlusoribus dividebas. Mimos dico, et mimas, Patres Con-

Quibusdam exemplaribus alia lectio, et hoc initium superioribus ita copulatur, *ut aliquando illud* PAENE *tollatur, atque nobilitata sit tua illa peregrinatio.* Abram. Barb. ambo: *At quam nobilitata sit.* Locum a Man. et Car. Steph. corruptum, dum Ferrario nimis obsequebantur, in pristinam integritatem restituit Muretus, et inde Lambinus, adstipulante Vaticano. Gar.

Tua illa peregrinatio] Luxus in conviviorum apparatu, et vinolentia tibi privatim damnum inferunt, tuam vitam infamant, rem tuam familiarem exhauriunt: at agrorum Campani et Leontini divisio redundat in universam rempublicam. Abram.

Agrum Campanum] De agri Campani divisione iam promulgata lex fuerat a Rullo Tribuno plebis. Cicero Consul, hac lege tantum infligi reipublicae vulnus ostendit, ut eam populus Romanus non receperit: tamen quadriennio post a Caesare Consule contra Senatus voluntatem, reclamante Bibulo Collega, perlata est: *agrumque Campanum,* inquit Tranquillus, *ad subsidia reipublicae vectigalem relictum divisit extra sortem, ac viginti millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent.* Suspicor aliquid deesse, et sane hiat oratio. fortasse legendum, *Divisit extra sortem militibus Pompeii, ac viginti millibus civium,* etc. Nam militibus fuisse divisum constat vel ex hoc ipso loco, voluisse Pompeium suis militibus agros assignare, sed Metellum Celerem, qui proxime ante Caesarem Consul fuerat, obstitisse, neque rem obtinuisse Pompeium tradit Dio lib. 37. eundem anno sequenti praecipuum suasorem fuisse legis a Caesare Consule promulgatae scribunt omnes: ut dubitari vix possit, quin ager Campanus militibus etiam Pompeii fuerit distributus. Eximebatur autem de vectigalibus, quia dabatur colonis, qui vectigal non pendebant. Idem. Male infercit Suetonio duas voces Abramius. Locus ille ex MSS. dudum est restitutus. pro *ac* legendum *ad*, hoc est, quasi, praeter propter. Graevius

Mimos dico, et mimas] De mimis, et pantomimis nonnulla diximus pro Coelio. De his fuse Bulengerus, vir haud parum eruditus, lib. 1. de theatro cap. 41. *Mimus,* inquit Diomedes, *qui vel intra, vel extra scenam gesticulationes exercet, imitaturque dicta factaque et mores homi-

num, et naturas cum lascivia. ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι, imitari. Dicti et ethologi, quod hominum mores gestu quodammodo loquerentur. Noster 2 de Orat. *Mimorum est ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscoenitas.* Qualem describit Cyprianus: *Superinducetur homo fractus omnibus membris, ac vir ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit verba manibus expedire,* etc. Eleganter Poëta vetus:

Tot linguae quot membra viro: mirabilis est ars,
Quae facit articulos ore silente loqui.

Claudianus in Mallio:

Qui laetis risum manibus movisse facetus,
Qui nutu manibusque loquax. —

Et in Eutropium lib. 2:

Quis magis enodes laterum detorqueat artus,
Quis voci digitos, oculos quis moribus aptet.

Quare Cassiodorus epist. 20, lib. 1, *Hanc partem musicae disciplinae,* inquit, *mutam nominavere maiores, scilicet quae ore clauso manibus loquitur, et quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua aut scripturae textu possit agnosci.* Et lib. 4, epist. 51: *Orchestarum loquacissimas manus, linguosos digitos, silentium clamosum, expositionem tacitam* eleganter appellat, quam μίμησιν mirum est quam graphice Nonnus expresserit, 7. Dionys. versu 20:

— *Στροφαδίεσσιν ἰωαῖς*
Ὀρχηστὴρ πολύκυκλος ἐλίσσετο λαίλαπι ταρσῶν,
Νεύματα μῦθον ἔχων. παλάμην στόμα, δάκτυλα φωνήν.

— *Sese motu crispante ferebat*
Turbine plantarum revolutos mimus in orbes,
Sermo nutus erat, manus os, digitique loquela.

Video, quam infeliciter ista mihi versio successerit: quare in sequentibus interpretatione contentus esto pedum vinculis absoluta. Idem lib. 19, versu 153:

Χεὶρ τροχαλὴ, καὶ σκαρθμὸς ἕλιξ, καὶ νεῦμα προσώπου
Ἄστατα κινυμένοιο, καὶ αὐδήεσσα σιωπὴ
Δάκτυλα δινεύουσα, καὶ ὀρχηστῆρος ὀπωπή.

Manus versatilis, et saltus volubilis, et nutus vultus
Mobiliter agitati, et vocale silentium
Digitos volvens, et saltatoris oculus.

Et versu 196:

Ὣς εἰπὼν ἐχόρευε Μάρων ἑλικώδεϊ ταρσῷ,
Δεξιὸν ἐκ λαιοῖο μετήλυδα ταρσὸν ἀμείβων,
Σιγὴν ποικιλόμυθον ἀναυδέϊ χειρὶ χαράσσων,
Ὀφθαλμὸς δ' ἐλέλιζεν ἀλήμονας, εἰκόνα μύθων,
Νεύματι τεχνήεντι νοήμονα ῥυθμὸν ὑφαίνων.

Sic locutus saltabat Maron volubili planta,
Dextram ex laeva advenam plantam commutans,
Silentium varii sermonis muta manu signans,

scripti, in agro Campano collocatos. Quid iam querar de agro Leontino? quandoquidem hae quondam ara-

Oculos vero vibravit vagos,
imaginem sermonum
Nutu artificiali intellectualem rhythmum texens.

Et postquam varias fabulas imitatione expressas attigit, addit versu 217:

Τοῖα Μάρων ἐχάρασσε πολύτροπα δάκτυλα πάλλων,
Καὶ ποδὸς εὐρύθμοιο σοφὴν ἀνεσείρασεν ὁρμὴν
Ἀσταθέος τελέσας πολυκαμπέα μέτρα χορείης.
Talia Maron signabat multum versatiles digitos vibrans
Et pedis rhythmum - bene - observantis artificialem retraxit impetum
Mobilis perficiens multiflexas mensuras choreae.

Mox versu 223:

Σειληνὸς δ' ἐχόρευε, πολυστρέπτοιο δὲ τέχνης
Σύμβολα τεχνήεντα κατέγραφε σιγαλέη χείρ.
Silenus vero saltabat, multum-versatilis vero artis
Symbola artificiosa signavit taciturna manus.

Sed de hac gesticulatione rerum imitatrice vide Lucianum fuse περὶ ὀρχήσεως. Haec autem videtur mimos inter et pantomimos distinctio, quod pantomimi omnia penitus suis gesticulationibus exprimerent, mimi etiam nonnullos versus adhiberent, et illam nequitiarum levitatem gravibus quibusdam sententiis temperarent, ut constat e versibus illis Publii et Laberii pulcherrimis, qui supersunt, tanquam tabulae ex naufragio. Pleraque tamen obscoenius scriptitabant. Ovidius eleg. ad Augustum:

Scribere si fas est imitantes turpia mimos.

Item:

Quid si scripsisses mimos obscoena loquentes.

Demosthenes Olynth. 2: *Ἀνθρώπους μίμους γελοίων, καὶ ποιητὰς αἰσχρῶν ᾀσμάτων. Homines mimos ridiculorum, et poetas turpium cantionum.* Iure autem Noster obiicit mimos Antonio. Salvianus lib. 6. de provident. *Illas rerum turpium imitationes, illas vocum, et verborum obscoenitates, illas motuum turpitudines, illas gestuum foeditates. Quo factum est, ut, cum artem ludicram, scenamque totam in probro ducerent Romani, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerint.* C. Nepos praefatione vitarum: *In scenam prodire et populo spectaculo esse nemini in Graecia fuit turpitudini, quae omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur.* Vide Augustinum lib. 2. de Civitate, cap. 14. et alibi. Abram.

Arationes] Arationes, ut scribit Turnebus libro 1. Advers.

tiones in populi Romani patrimonio grandi foenore, et fructuosae ferebantur. Medico tria millia iugerum, quid, si te sanasset? rhetori duo, quid, si

cap. 6. et in lib. 1. Varronis de lingua Latina, erant agri publici, qui aratoribus colendi dabantur, et tanquam locabantur impositis decumis: aut denique agri etiam, qui decumas populo Romano pendebant. Nec tamen aratores domini erant. Plautus actu 1, scen. 2. Truculenti Dinarchum et Astaphium ita loquentes inducit:

Astaph. *Plerique idem, quod tu facis, faciunt res male gerentes.*
Vbi non est scriptura, unde dent, incusant publicanos.
Dinarch. *Male vertit res pecuaria mihi, apud vos nunc vicissim*
Volo habere aratiunculam pro copia hic apud vos.
Astaph. *Ambituris, qui arare solent, ad eos ire melius est.*
Hunc nos habemus publicum, illi alii sunt publicani.

Sic arationes et aratores in Verrem Cicero semper appellat agros decumanos, et eos, qui illos agros colebant. Vide exempla, quae ab eodem Turnebo referuntur; ubi et addit: nec vero aratores domini erant, nec domini censebantur, eosque a dominis Cicero in Verrem actione quinta perspicue distinguit, sic scribens: *Tamen incolumis numerus manebat dominorum atque aratorum.* Abram.

Quandoquidem hac] Vatic. *quoniam quidem hae*, atque ita Muretus, qui pergit, *quondam arationes Campani, et Leontini*, h. e. agri, sed libris, opinor, abnuentibus. Gar. Merito verba *Campana et Leontina* fere omnes interpretes pro glossa habuerunt. Schütz. ea omisit. Recte.

Campana et Leontina] Puto hac glossema esse. paullo post pro *quasi te sanasset*, in Vaticano est, *quid si te sanasset?* et pro *quasi disertum, quid iste disertum:* ut, *quid si te disertum* etc. legendum sine dubio videatur. P. Vrsinvs. Has sane voces delevit et omisit P. Manutius, cui et ipse subscriberem, si adiuvarent MSS. Graev.

Glandiferae, et fructuosae ferebantur] Lang. pro *glandiferae, grandifacere.* nonnulli *gracifice.* alii *grandifere. grandifacerent,* alii. Locus meo quidem iudicio valde depravatus. Ferrarivs. *Glandiferae*] Antiqua scriptura *grandiferae,* licet divisa in medio dictione. quam lectionem, quia melior non occurrit, admittimus, ita exponendo, *grandiferae, quasi grandium frugum feraces.* et sequenti versu pro *sanum fecisset, sanasset.* et statim addita dictione *te, quasi te disertum.* Faernvs. *Grandi*

ferae, et fructuosae ferebantur] Vnus ex nostris veteribus codicibus habet plane, et sine ulla litura, *grandi foenore, et fruct. fereb.* quae scriptura non est fortasse reiicienda; immo vero recta, et vera. nam *grandiferae* quidem vox poëtica est. *glandiferae* vero non convenit orationibus. Lambinvs. *Grandi foenore et fructuosae*] Est ab uno scripto Lambini, cui accedebat Maur. codex et Abalae. prius editi, *glandiferae*. Pal. prim. *grandificare.* sec. *grandifacere.* Grvt. *Glandiferae et fructuosae*] Locus sine dubio corruptus. Monet Hieronymus Ferrarius, in aliis extare: *Glandifacere, gracifice, grandiferae, grandifacerent.* Quarum lectionum nonnullas testatur Gruterus in Palatinis reperiri. Sed nihil sani. Lambinus ait, in uno se codice reperisse, *grandi foenore et fructuosae.* Sed ne sic quidem satis conciuna est oratio. Si coniecturae locus superesset, legerem: *grandes, feraces, et fructuosae.* Abram. Non unus fuit MS. Lambini, ex quo hanc lectionem *grandi foenore* deprompsit Lambinus, sed a duobus, quos consuluit Guilielmus, confirmatur. *Foenus*, ut notum, amplum dicuntur agri reddere colonis, cum sunt feraces. Sed puto, voculam aliquam excidisse ante *fructuosae*, nimirum *valde* aut *perquam fructuosae*, aut scripsit Tullius *fructuosissimae*, alioquin minus dicitur, quam in praecedentibus verbis, *grandi foenore.* Graevivs. Sed in prima voce, *grandiferae*, vel *grandi fere* aliud latere videtur, nisi eam cum Faërno retinere malumus, qua et Nazarius in Paneg. Constant. III. 4. usus est. De fertilitate agri Campani vide Cic. II. Agrar. 29. 30. Hevsinc. Etiam cod. Car. Steph. *grandi foenore.* Colon. Graev. et Barb. prim. cum Lang. *grandifacere*, cod. Barbador. et Barb. sec. *grandificare*, vetustiores editiones *glandiferae.* Libri omnes heic depravati mihi videntur. Garaton.

Quasi te sanum fecisset] Ita et Muret. et Ienensis: sed Faërn. e Vat. *sanasset*, quod Graev. praetulit. Mox in A. Gryphii exemplari inter V. L. adscriptum est, *quid, si te disertum facere potuisset?* quod tamen ex coniectura esse dicitur. Sed Vrsinus testatur, in Vatic. esse, *quid, si te sanasset?* et deinde, *quid iste disertum*, quod levi mutatione emendat, *quid? si te disertum facere potuisset?* Plus acuminis inest. Hevsing. Auctoritate codicis Vaticani Muretus edidit, *Medico tria millia iugerum: quid, si te sanum fecisset? Rhetori duo: quid, si te disertum facere potuisset?* Quod equidem miror ab erudito Graevio fuisse praetermissum, cum eius codicis auctoritatem, et Mureti editionem ab illo expressam ipse agnoverit, et de Grutero, quod eam neglexerit, merito sit conquestus. Olivet. *Medico tria millia iugerum: quid, si te sanum fecisset? Rhetori duo: quid, si te disertum facere potuisset?* Ita e cod. Vaticano Faërn. et Muret. et sic

te disertum facere potuisset? Sed ad iter, Italiamque redeamus.

XXXX. Deduxisti coloniam Casilinum, quo Caesar ante deduxerat. Consuluisti me per litteras, de Capua tu quidem; sed idem de Casilino respondissem: possesne, ubi colonia esset, eo coloniam novam iure deducere. Negavi, in eam coloniam, quae esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam iure deduci: colonos novos adscribi posse rescripsi. Tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum iure turbato, Casilinum coloniam dedu-

quoque duo e Regiis. Vulgo, *quasi te sanasset . . . quasi te disertum etc.* Lallem. At in Vaticano legi *sanasset*, testantur Faërnus, et Vrsinus, idque duorum codicum auctoritate a Lambino firmatur. Vtrum tamen praeferas, non laboro. Hoc tantum confirmo, lectionem Vaticani primigeniam bona fide ab Vrsino relatam fuisse, quae tamen, aliis puncto notatis litteris, aliis super adscriptis, ad hanc vulgatam redacta fuerat. Garaton. Ego probo hic scriptionem Vatic. *quid si te sanasset? rhetori duo, quid si te disertum fecisset?* quod sic plus etiam acerbitatis accipit oratio. Errore quodam in editione Schütziana verba: *quasi te sanasset, rhetori duo* omissa sunt.

Sed ad iter, Italiamque redeamus] Reditus ad propositum. Redeamus ad iter, quod fecisti peragrando colonias veteranorum in Italia constitutas: et ad Italiam, id est, ad res a te in Italia gestas, redeamus, post factam campi Leontini, qui est in Sicilia, mentionem. Abr.

Deduxisti coloniam Casilinum] Casilinum urbs est Campaniae ad Vulturnum amnem sita. In eam Caesar, finitis bellis civilibus, militum veteranorum coloniam deduxerat, agrosque singulis assignarat, mercedis loco, ob navatam ab ipsis operam bellis civilibus. Cum adhuc non pauci milites superessent, quibus agri assignati non fuerant, eos post necem Caesaris Antonius in colonias deduxit, novamque coloniam transcripsit Casilinum: consuluitque Ciceronem de colonia Capuam deducenda. Negavit Cicero, Capuam posse deduci: si consuluisset Antonius de Casilino, idem respondisset de Casilino, quod de Capua responderat, quia utriusque coloniae ratio par fuit. nam et Capuam et Casilinum servatis auspiciis transcripti fuerant coloni, erantque adhuc incolumes, quare fas non erat in eas urbes colonias novas deducere: quamvis, si adhuc agri dividendi superessent, coloniae suppleri, et ad veteres colonos novi accedere potuerunt. De Casilino Livius lib. 22:, *Quae*

xisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, et aratrum circumduceres: cuius qui-

urbs Vulturno flumine dirempta Falernum a Campano agro dividit. IDEM.

Vt vexillum videres, et aratrum circumduceres] In antiquo libro est pro *videres*, *tolleres*, et pro *et*, *ut*. sane haec videntur fuisse sollemnia condendarum coloniarum. FAERNVS. *Vexillum videres*] Vetus editio sic habet ac Palatini nostri. recentiores *tolleres*. unde? nimis quam cuperem incidere in Faërni et in Mureti ad has orationes monumenta. nam num Manutius, num Lambinus inde sua hauserint, an aliunde, constare nemini potest. GRVT. *Vexillum videres*] Monet Gruterus, ita legi in suis Palatinis, imo in veteri editione. Optimo sensu: *Tam recens erat ea colonia, ut adhuc vexillum in terra defixum viseretur.* Colonos enim sub vexillo deducebant, eumque ad destinatum coloniae locum pervenerant, ibi vexillum statuebant. Lambinus, Manutius, et alii recentiores ediderunt, *Vt vexillum tolleres*, ea sententia, opinor, ut vexillum iuberes evelli, quod te vel tantum admonebat violatae religionis, quod eo coloniam deduceres contra auspicia, ubi non ita pridem colonia fuerat servatis auspiciis constituta. Operae facturus pretium videor, si Turnebi verba exscripsero lib. 4. Advers. cap. 13. hunc locum profert, et sic explanat: *Qui coloniam deducebat, colonos, qui plerumque milites erant, sub vexillo ducebat: et milites confectis stipendiis exauctorata legione sub vexillis habebantur, dum praemia emerita acciperent, aut in agros deducerentur.* Ad hanc consuetudinem refert illam militum tumultuantium postulationem apud Tacitum lib. 1. annalium: *Vt singulos denarios mererent, sextusdecimus stipendii annus finem adferret, nec ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris praemium pecunia solveretur.* Iterum: *Exauctorari, qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo caeterorum immunes, nisi propulsandi hostis.* Iterum: *Veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant.* quod indicat, eos iam in legione non fuisse, sed exauctoratos. Itaque qui exauctorari volunt apud eundem historicum, vexillum flagitant. *Et nocte*, inquit, *concubia vexillum in domo Germanici situm flagitare occipiunt.* Idem alibi ex Tranquillo in Galba c. 20: *Omnes, qui accerserentur, sprevisse nuntium, excepta Germanicorum vexillatione.* Vexillationem interpretatur cohortem militum, qui, confectis et emeritis stipendiis, sub vexillis etiamnum habebantur, usque dum commoda et agros acciperent. Haec Turnebus, quibus addere potuisset, quae fortasse non minus ad hunc locum Ciceronis

Appianus lib. 2. civilium: *Et multitudo eorum, qui perfuncti fuerant stipendiis, in templis et lucis substiterat, sub uno vexillo et duce coloniae.* Item 2. Agraria: *Tunc illud vexillum* (*vexillum*, inquam, non, ut quidam legunt, *exilium*) *Campanae coloniae vehementer huic imperio timendum Capuam a decemviris inferetur.* Plutarchus in Gracchis de colonia loquens a Caio Carthaginem deducta: *Primum vexillum corripiente vento, eo, qui ferebat, contra retinente, confractum est.* Abr. *Vexillum tollere* est capere et erigere vexillum, quod praeferatur in coloniam deducendis, ut *signum tollere.* *Tolleres* recepi ex Vaticano cum Faërno, Mureto, Lambino, P. Manutio, quos si Gruterus vidisset, ut ex eius notis intelligis, etiam recepisset. Graevius. Ien. cum aliis, *videres.* Vat. solus, *tolleres*, quod post Lamb. Graevius revocavit. Vexillum tollebatur, sive erigebatur, et praeferebatur in coloniam deducendis. II. Agrar. 32. *illud Campanae vexillum coloniae.* Vide Plutarch. in Gracch. p. 839. Heusing. Egregiam unius Vaticani lectionem confirmat Scholiastes Horatii Cruquianus ad I. Carm. 16. 21. dum ita hunc locum refert: *ut vexillum tolleret, et aratrum circumduceret.* Librarios apud eum puto secundam personam vertisse in tertiam: sed ipse Scholiastes erravit, dum in evertenda urbe factum hoc ab Antonio censuit, quasi coloniae deductio urbis eversione fieret. Garaton.

Et aratrum circumduceres] Hactenus de auspiciis violatis, nunc de illata Capuanis colonis iniuria. Cum aratrum circumduceres, ad figendos terminos illius coloniae, et territorium definiendum ac limitandum, partem Capuani territorii Casilinensibus agris adiunxisti, tamque urbi Capuae appropinquasti, ut aratri tui vomere pene illam perstrinxeris. Varro lib. 4: *Oppida condebant in Latio Hetrusco ritu multa, id est, iunctis bubus, tauro et vacca interiore aratro, circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa, die auspicato, ut fossa et muro essent munita. Terram unde exscalpserant fossam vocabant: et introrsum factum murum. postea quod fiebat orbis, urbs*, etc. et post pauca: *Quare et oppida, quae prius erant circumducta aratro, ab orbe et urbo urbes: et ideo coloniae nostrae omnes in litteris antiquis scribuntur urbes, quod item conditae, ut Roma*, etc. Cato: *Qui urbem novam condit, tauro et vacca aret: ubi araverit, murum faciat: ubi portam vult esse, aratrum sustollat, et portet, ut portam vocet.* Plutarchus in Romulo, cuius verbis utpote Graecis supersederem, nisi quasdam circumstantias adferret notatu dignissimas: *Conditor aratro aereum vomerem adiungit, iunctisque bobus mare et foemina, ipse circum lineamenta profundum inducit sulcum. Sequentium munus est, ut excitatas ab aratro glebas intro vertant, nec ullam sinant*

dem vomere portam Capuae paene perstrinxisti, ut florentis coloniae territorium minueretur. Ab hac reli-

extra ferri: ita moenia linea definiunt, idque elisis aliquot litteris pomoerium dicitur, quasi post vel pone moenia. Vbi portam designare visum est, vomere exempto atque aratro sublato spatium relinquunt. unde totum habent murum praeter portas sacrum. Sequor Hermanni Cruserii versionem. Ad hunc morem allusit magnus Poëta in Æneide:

Interea Æneas urbem designat aratro.

Vide Festum in *Sulcus*, et apertius alibi Paulus ex Festo: *Primigenius sulcus dicitur, qui in condenda nova urbe tauro et vacca designationis causa imprimitur.* Abram.

Perstrinxisti] Ita quidem omnes libri, quos habeo: sed Nonius p. 374. ed. Merc. *praestrinxisti*, quod non est aspernandum: quamquam in perpetua ista commutatione, et variis criticorum sententiis infirmum eius unius suffragium videri facile possit. Confer Arntzen. ad Auct. de Orig. Gent. Rom. XIV. quem citat Oudend. ad haec Suetonii verba in Aug. XXIX. *quum lecticam eius fulgur praestrinxisset.* Est quiddam etiam, quod Nonii fidem valde commendet. Nam in exemplo, quod apud eum statim praecedit, ex IV. in Verr. 47. *breviter praestringere atrocitatem criminis* cum eo exhibet codex longe optimus Car. Stephani, cum in ceteris iamdudum habeamus *perstringere.* Ibi autem Nonius explicat *attingere*, hic *radere.* Garator.

Ab hac religionum perturbatione] L. v. partim sic, *Ab hac perturbatione religionum:* nonnulli, *Ab hac perturbatione regionum:* quos etiam magis probo: ut non ad auspicia referatur, sed ad id, quod territorium Capuae minuerat, Casilinoque attribuerat. Si quis tamen illud alterum sequatur, non repugnabo. illud enim cum eo facere videtur, quod supra dixit, *Omni auspiciorum iure turbato Casilinum coloniam deduxisti.* Ferrarius. *Ab hac religionum perturbatione*] Postquam auspicia religionesque sic perturbasti, ut Casilinum, ubi iam colonia deducta fuerat a Caesare, tu insuper novam coloniam transcriberes, et magnam partem Capuani territorii occupares, per summam violentiam et iniuriam in M. Varronis fundum involasti. Laudat Varronem a sanctitate morum et integritate, ut hinc Antonii iniuriam atrociorem ostendat, quod in eius viri fundum invaserit, quem propter morum sanctitatem minime decebat violari. Abram. Non est sollicitanda vulgata, a qua soli discedunt illi apud Ferrar. pauci ex ea permutatione, quae saepe fit *regionem* inter, et *religionem*, ut in Livio V. 54. VII. 2[illegible]. etc. in ipso Tullio pro Mil. 31. et pro Balbo 4. ubi Rom. ambae

gionum perturbatione advolas in M. Varronis, sanctissimi, atque integerrimi viri, fundum Cassinatem. Quo iure? quo ore? Eodem, inquies, quo in heredum L. Rubrii, quo in heredum L. Turselii prae-

Ven. aliaeque veteres edd. habent *mutae religiones* pro vera lectione *regiones*. Hinc vide, num forte III. in Verr. 1. *regione* sit legendum, ubi sic editur, *si qua in re ipse ab religione officii declinarit:* id enim a v. *declinarit* ferme suadetur. Similis est locutio V. in Verr. 68. *si quis tantulum de recta regione deflexerit:* ubi tam male Ant. Augustinus emendabat *religione*, quam contra Lambinus *regionem* pro Rab. perd. 10. Alio modo II. Agrar. 35. *sese regionibus officii continere.* Scio tamen, *officii religionem* a Tullio dici etiam V. in Verr. 14. pro Sulla 3. pro Sext. 3. eoque loco explicari posse summam in officio servando diligentiam, qua ratione Q. Pompeius pro Coel. 30. dicitur *omnis officii diligentissimus.* Sed non admodum moveor. Haec dixissem suo loco commodius: verum festinatione non haec modo levia, sed gravia etiam complura subterfugerunt, quorum potiorem partem proferam ad calcem Philippicarum. Garaton.

Advolas] Cupide et violenter invadis instar accipitris aut vulturii praedae inhiantis. Abram.

Cassinatem] A Cassino, sive Casino oppido Campaniae. Bene Casinatem distinctionis caussa: habuit enim et alterum fundum in Tusculano, ut ipse scribit lib. 3. de re rustica, cap. 13: *Nam quem fundum in Tusculano emit hic Varro a M. Pupio Pisone, vidisti ad buccinam inflatam certo tempore apros et capreas convenire ad pabulum.* Sed de fundo Casinate ibidem cap. 5. ubi non affectatis nec ambitiosis, sed puris et propriis verbis describitur: *Cum habeam sub oppido Casino flumen, quod per villam fluat liquidum et altum, marginibus lapideis, latum pedes* LVII, *et e villa in villam pontibus transeatur.* Vide descriptionem luculentam ornithonis, et Adversaria Turnebi lib. 21, cap. 23. In eadem villa fuit mirum illud horologium, quod nos superius eiusdem verbis descripsimus. Idem.

Quo iure?] Scripserat Tullius: *Quo iure? quo ore? eodem, inquies, quo in Scipionis.* Monuit Atticus, ut mutaret, nescio quam ob caussam lib. 16. ad Attic. epist. 11: *Libenter ea corrigam, quae a te animadversa sunt, eodem iure, quo Rubriana potius, quam quo Scipionis, et de laudibus Dolabellae deruam cumulum.* Idem.

Quo ore?] Quo pudore? quo praetextu? qua simulatione iuris? quem potuisti colorem tuo facto praetendere? Idem.

Eodem] Ficta Antonii responsione, a praecedentibus factis sequens factum exaggerat. Supra

dia, quo in reliquas innumerabiles possessiones. Et si ab hasta, valeat hasta, valeant tabulae, modo Cae-

27: *Te is, quem nunquam vidisti, L. Rubrius Cassinas fecit heredem*, etc. Item de L. Turselio: *Fratrem exheredans te faciebat heredem.* Idem.

Et si ab hasta] Post haec verba addantur duae dictiones, *valeat hasta.* et infra lege *antea dicebantur.* et post nonnulla, *obsolefiebant dignitatis insignia;* non *obsolescebant.* Faernus. *Et si ab hasta, valeant tabulae*] Supradictorum, nimirum Manutii et Lambini editiones, *ab hasta, valeat hasta, valeant tabulae.* quod non videtur ab ingenio. haud tamen variant nostri, aut vetustius editi. Gruter. Vides non ab ingenio profecta esse, ideo merito Faërnum, Muretum, Lambinum, Manutium, Abramium in aliis libris omissa vocabula ex Vaticano restituisse. Graevius. *Et si ab hasta*] Anticipatione rhetorica eludit responsionem Antonii. Respondebis fortasse, fundum Varronis, quod secutus esset partes Pompeianas, subiectum fuisse hastae et voci praeconis a Caesare, qui suorum inimicorum bona proscripsit, te autem emisse, et adeo iure possidere. Quem fundum, si tu ab hasta Caesaris emisti, concedo, te iure possidere, et valere hastam debere confiteor. De hasta auctionaria dictum supra. Adde 2. de officiis de Sulla: *Est enim ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro venderet et bonorum virorum, et locupletum, et certe civium, praedam suam se vendere.* Item: *Nec vero unquam bellorum civilium semen et caussa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint, et sperabunt, quam P. Sulla cum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem sexto et tricesimo anno post a sceleratiore hasta eadem non recessit.* De quo vide epistolas ad famil. epist. 10, lib. 9, et epist. 17, lib. 13. Philipp. 8: *Hasta Caesaris P. C. multis improbis et spem affert, et audaciam. Viderunt enim ex mendicis fieri repente divites. Itaque hastam semper videre cupiunt ii, qui nostris bonis imminent, quibus omnia pollicetur Antonius.* Abram. Post voces: *et si ab hasta*, addit Vat. *valeat hasta*, quod Manut. Muret. et Graevius receperunt, Ernestius et Schützius omiserunt. Caeterùm non debebat Ern. *Et si* mutare velle in: *Quodsi.* Sic enim magis anticipatio rhetorica exprimitur.

Valeant tabulae] Valeant tabulae Caesaris, quibus debuisti grandem pecuniae vim pro domo, pro hortis, pro sectione bonorum Cn. Pompeii: non autem valeant tabulae nomine Caesaris a te confictae, quibus immunitates, beneficia, magistratus, provincias ex adulteratis eius commentariis vendidisti, ex qua nundinatione tantam pecuniam

saris, non tuae: quibus debuisti, non quibus tu te liberavisti. Varronis quidem Cassinatem fundum quis veniisse dicit? quis hastam istius venditionis vidit? quis vocem praeconis audivit? Misisse te dicis Alexandriam, qui emeret a Caesare. Ipsum enim exspectare magnum fuit. Quis vero audivit umquam (nullius autem salus curae pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam esse detractam? Quid? si etiam scripsit ad te Caesar, ut redderes: quid satis potest

coacervasti, ut paucis diebus aere alieno te liberaris. Supra: *Tu autem quadringenties HS, quod Idibus Maiis debuisti, quonam modo ante Kalendas Apriles debere desiisti.* Idem.

Tu te liberavisti] Lang. et caeteri fere, *Tute te liberavisti.* quod minime displicet. Ferrarius. Nihil horum codicum lectione verius esse pronunciat Cl. Heusingerus. Barb. pr. *tu te liberasti.* In Vatic. mox, *qui venisse dicet?* et paullo post, *misisse dicis.* Gar. *tute te* recepit Schütz.

Misisse dicis Alexandriam] Alia responsio M. Antonii, quam tribus rationibus confutat. 1. Ironice, qua figura summam Antonii cupiditatem exaggerat. quasi dicat, Adeone caecus avaritia et cupiditate rapiebaris, adeone bonis civium inhiabas, ut magnum tibi et difficile videretur expectare, dum Caesar ad urbem accederet, et inimicorum suorum bona subiiceret publicae auctioni? Abram.

Quis vero audivit] Altera confutatio, quae ducitur a publico civium testimonio, quod nemo ullam huius venditionis mentionem audiverit. Idem.

Nullius autem salus] Occupatio rhetorica, quae responsioni, quae fieri poterat, occurrit: dici enim potuit, neminem audiisse quicquam de bonis Varronis esse detractum, quia nemo curabat: imo, ait, tam multi curabant salutem Varronis, ut nullius incolumitatem tam multi tanta sollicitudine curaverint, qui facile audire potuissent, si quod in bonis atque fortunis vulnus accepisset. Idem.

De fortunis Varronis] Statii Scholiastes ad II. Theb. 647. *de Varronis bonis rem illam esse detractam.* Mendose, ut sit ex Tullianis MSis corrigendus. Gar.

Quod si etiam scripsit] *Quid,* o. l. v. Ferrarius. *Quod si etiam scripsit etc.*] Erat etiam in Pal. secund. illud aliorum *Quid.* sed Ciceronianum magis sapit alterum; sicque Pal. prim. et olim excusi. Grvt. *Quid si etiam scripsit*] Tertia confutatio a contrariis. Tantum abest, ut de bonis Varronis Caesar quicquam detraxerit, tibique

dici de tanta impudentia? remove gladios parumper illos, quos videmus. iam intelliges, aliam causam esse hastae Caesaris, aliam confidentiae, et temeritatis tuae. Non enim te dominus modo illis sedibus, sed quivis amicus, vicinus, hospes, procurator arcebit.

XXXXI. At quam multos dies in ea villa turpissime est perbacchatus? ab hora tertia bibebatur,

mancipio addixerit, ut potius, cum Alexandriae audiisset, te in eius fundum involasse, scripserit ad te, ut restitueres Varroni. Quantae igitur impudentiae est dicere, Varronis fundum tibi a Caesare venditum fuisse? Abram. Habent *quod* etiam duo Barb. sed non immerito praeferebat *quid* Heusing. idque antea receperant Car. Steph. et Lamb. et firmat Colon. At in Vatic. *quod.* Gar. Schütz. imprimendum curavit: *quid? si etiam scripsit.* Recte. Atque probanda est Abrami interpretatio, qua etiam magis patet, potiorem lectionem esse hanc, quam S. sequutus est.

Gladios illos parumper] *Parumper illos*, o. l. v. sed endecasyllabus pene integer efficitur. Ferrar. *Remove gladios*] Demonstrat, fundum Varronis non iure civili, sed vi armata, et primo fuisse occupatum, et etiamnum teneri. Abr.

Quos videmus] Satellites enim tuos cum gladiis in cella Concordiae collocasti. Idem.

Confidentiae] Confidentia etiam in gravibus opprobriis. Plautus Milite Glorioso actu 2, scen. 2:

Os habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam, Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam.

Noster 3. Tuscul. quaest. *Qui fortis est, idem et fidens, quoniam confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur: ductum verbum a confidendo, quod laudis est.* Abram.

Dominus] M. Varro. Idem.

At quam] Interrogatio rhetorica non sciscitandi, sed insistendi caussa. Singulis verbis suum momentum: *perbacchatus*, actio. *turpissime*, modus actionis. *multos dies*, tempus. *villa*, locus in villa Varronis Casinate. perbacchari autem est temulentiae vacare, ingurgitare se vino, et quasi Bacchi orgia celebrare. Idem.

Es perbacchatus] *Est*, Lang. et caeteri fere. Ferrarius. Habent *es* ambo Barb. Rom. Ven. Ald. Nang. Cam. Gryph. et repet. Lamb. Nam ipse Lamb. cum P. Man. et Car. Steph. dedit *est*, ut postea etiam Grut. quamvis in Vatic. sit *es*: in quo infra, *quam ab dispari tenebantur!* Gar.

Ab hora tertia] Contra morem aliorum, qui ante nonam vix solebant ad epulas accumbere. utitur dissolutis, et con-

ludebatur, vomebatur. O tecta ipsa misera, *quam dispari domino!* Quamquam quomodo iste dominus? sed tamen quam a dispari tenebantur! studiorum enim suorum M. Varro voluit esse illud, non libidinum deversorium. Quae in illa villa antea diceban-

cisis ad exprimendum tumultuarium convivium, et temporibus imperfectis, ad continuationem illius nepotationis denotandam. Sequitur exclamatio cum parodia versus antiqui: tum vocis correctio, quod Antonium improprie dominum dixisset, qui nullo iure in illius fundi possessionem invaserat. Notum illud,

Imperat extructos frangere
nona toros.

quod hora diei nona mensis accumberent, imo, ut Persius loquitur, etiam serius et primas epulis noctes decerperent. Hinc etiam illud Iuvenalis, ut alibi dictum:

Exul ab octava Marius bibit,
et fruitur Diis
Iratis. —

Iratis, inquit, Diis fruitur, quia hoc illi confert exilium Deorum ira illatum, ut una hora maturius, quam Romae possit epulari. Non est tamen quod arbitreris, eos ad horam nonam mansisse ieiunos. Nota veterum ientacula, coenae. Plutarchus convivalium quaest. 6: *Vbi ientaculum, prandium, coena nomen habuerunt?* 1. Tuscul. *Quid ille dux Leonidas dicit? Prandete animo forti Lacedaemonii: hodie apud inferos fortasse coenabimus.* Sed in ientaculis et coenis non gulae et voluptati, sed soli necessitati serviebant: unde notatus Vitellius a Tranquillo c. 13. quod *Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in ientacula, et prandia, et coenas, comessationesque, facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine: indicebat autem aliud alii eadem die: nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus nummum constiterunt.* Abram.

Quam dispari domino] Verba Poëtae nescio cuius. Libro 1. de finibus ad finem vergente: *Ampla domus dedecori domino saepe fit, si est in ea solitudo, et maxime si aliquando alio domino solita est frequentari. Odiosum est enim, cum a praetereuntibus dicitur,*

O domus antiqua quam dispari domino dominaris!

quod quidem his temporibus in multis licet dicere. Idem. Supple *dominamini*, ex I. de Offic. 39. Est enim versus veteris poëtae. Si cum sequentibus connectas, *a dispari tenebantur*, legendum esset, *quam a dispari domino.* Sed abrupta est oratio, quae post parenthesin mutata parumper constructione continuatur. Heusing.

Studiorum enim suorum] Varro ipse 3. de re rustica cap. 5. quamdam Casinatis villae partem *museum* appellat, id est, ut interpretatur Turnebus, *locum*

tur? quae cogitabantur? quae litteris mandabantur? iura populi Romani, monumenta maiorum, omnis sapientiae ratio, omnisque doctrinae. At vero, te inquilino, non enim domino, personabant omnia vo-

Musis et studiis consecratum. et ibi videtur eos libros exarasse, quibus omnem sapientiae, quae est rerum divinarum et humanarum scientia, rationem, iura et exempla populi Romani comprehendit. et quinque quidem et viginti rerum humanarum libros, sexdecim saltem rerum divinarum, undecim aut duodecim de vita populi Romani, de gente populi Romani quatuor, viginti de republica, totidem de rhetorica, octo saltem disciplinarum, tres de re rustica, praeter innumeras satyras, epistolicas quaestiones, et alios complures libros in lucem emisit. ABRAM. Vatic. *studiorum enim suorum Varro voluit illud, non libidinum deversorium.* Varronis praenomen recentior manus adiecit. GAR.

Quae cogitabantur?] In l. scriptis non sunt haec verba. FERRARIVS. Haec verba nec in Col. nec Franc. nec Amsterod. nec meo in codice, nec in Mediolanensi antiqua editione leguntur. In prima editione non habentur Philippicae. In Ascensiana anni 1511. primum illa reperi, quae sequentes omnes editores retinuerunt: si ex MSS. ut credibile est, laudo: sin MSS. alii cum meis consentiant, deleo. Nulla est iactura, si haec absint verba. GRAEVIVS. Absunt haec etiam ab utroque Barb. sed primum comparent in ed. Rom. MCDLXXI. deinde sunt in Ven. MCDLXXXIII. nec desunt in Lambinianis, quamvis antea a P. Man. et Car. Stephano fuerint praetermissa. Cur autem otiosa indicentur, nihil est causae: imo aptissima, et verissima est in homine doctissimo meditationis commemoratio. Verbis, cogitatione, litteris, h. e. disserendo, meditando, scribendo alebat studia sua M. Varro, iisque operam dabat, fructum denique ex iis percipiebat uberrimum. Denique in Vaticano haec verba conspexi. Male infra Lamb. *omnis doctrina:* melius, *omnisque doctrina,* est in MSis, excepto Vaticano, ex quo rectissime, *doctrinae.* GARATON. Desunt etiam in Teeg. Gud. 2. Ien. et in omnibus Codd. quibus usus est Ernestius. Vaticani auctoritas, quodque ipsa verba textui accommodata sunt, commovit me, ut voces istas, quas antea expunxeram, in contextum denuo recipiendas esse ducerem.

Te inquilino] Dominus in proprio habitat, inquilinus in alieno et conducto: adverte vero hypotyposim convivii dissoluti pulcherrimam, et sensus auditoris vel maxime ferientem. ABRAM.

Personabant omnia] Elegans convivii descriptio, ut in illa Verrina de suppliciis: *Erant autem convivia non illo silentio praetorum, neque eo pudore, qui in magistratuum conviviis ver-*

cibus ebriorum: natabant pavimenta vino: madebant

sari solet, sed cum maximo clamore atque convicio. nonnunquam etiam res ad manus, atque ad pugnam veniebat. Iste enim praetor severus ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruisset, illis legibus, quae in poculis ponebantur, diligenter obtemperabat. Itaque erant exitus eiusmodi, ut alius inter manus e convivio, tanquam e proelio, auferretur; alius tanquam occisus relinqueretur; plerique jusi sine mente, ac sine ullo sensu iacerent, ut quivis, cum adspexisset, non se praetoris convivium, sed ut Cannensem pugnam nequitiae videre arbitraretur. Et illa eiusdem Oratoris, quae refert Fabius lib. 8, cap. 3: *Videbar mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes, partim ex vino vacillantes, partim hesterna potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, et spinis cooperta piscium.* Frequenter autem convivium luxuriosum a clamore et convicio describitur. ut a Maximo Tyrio prima concione: *Ἐν συμποσίῳ μεςῷ κνίσσης καὶ οἴνου ἐκχεομένου, καὶ αὐλῶν ἤχου, καὶ συρίγγων, καὶ ψαλμάτων. In convivio pleno nidoris, vini effusi, sonitus tibiarum, fistularum, cantilenarum.* Idem.

Natabant pavimenta vino] De more Horatius:

Absumet heres Caecuba dignior
Servata centum clavibus, et mero
Tinget pavimentum superbo,
Pontificum meliore coenis.

Plinius lib. 15. natur. historiae cap. ultimo: *Torquati rara gloria (quando et ars suis legibus constat), non labasse sermone,* etc. *optima fide non respirasse in hauriendo, neque expuisse, nihilque ad elidendum in pavimentis sonum ex vino reliquisse, diligenti scito legum contra bibendi fallacias.* Noster 1. Tuscul. de Theramene, *qui cum coniectus in carcerem triginta iussu tyrannorum, venenum ut sitiens obbibisset, reliquum sic e poculo eiecit, ut id resonaret. quo sonitu reddito, ridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiae, qui in eum fuerat teterrimus. Graeci enim in conviviis solent nominare, cui poculum tradituri sunt.* Hoc enim ludicri genus κοτταβισμὸν, vel etiam πίτυσμα nominabant. Pitysma: vide Vitruvium lib. 7, cap. 4, et Scaligerum ad Manilium lib. 5. Sed fortasse nodum in scirpo quaerimus, et Orator lutulentam potius Antonii temulentiam, qua vinum haustum statim evomebat, quam has ludorum elegantias voluit describere, ut et in Pison. *Quasi aliquod Lapitharum aut Centaurorum convivium ferebatur: in quo nemo potest dicere, utrum iste plus biberit, an vomuerit, an effu-*

parietes: ingenui pueri cum meritoriis; scorta inter matres familias versabantur. Cassino salutatum veniebant, Aquino, Interamna. Admissus est nemo.

derit. Quod videlicet adeo vino non parceret, ut etiam illud in pavimentum respergeret, praeter illud quod evomebat. Lepide Iuvenalis Sat. 6:

— *Tandem illa venit rubicundula, totum*
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna
Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim.
Dum redit et terram loto ferit intestino,
Marmoribus rivi properant, aurata Falernum
Pelvis olet: nam sic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit et vomit. —

Sic, ut supra Maximus, οἴνου ἐκχεομένου, Cicero *domus lutulentae vino* fecit mentionem. Salvianus lib. 4. ad Eccles. *Natant tricliniorum redundantium pavimenta vino: Falerno nobili lutum faciunt: mensae eorum ac toreumata mero iugiter madent.* Abram.

Ingenui pueri] Hoc ipsum est, de quo queritur Seneca epist. 105: *Transeo puerorum infelicium greges, quos post transacta convivia aliae cubiculi contumeliae expectant. Transeo agmina exoletorum per nationes coloresque descripta, ut eadem omnibus levitas sit, eadem primae mensura lanuginis, eadem species capillorum, ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur.* Idem.

Cum meritoriis] Meritorii dicuntur quaestum corpore facientes. Tranquillus in Claudio cap. 15: *Equitem quidem Romanum obscoenitatis in foeminas reum, sed falso et ab imponentibus inimicis conficto crimine, satis constat, cum scorta meritoria citari adversus se, et audiri pro testimonio videret, graphium et libellos, quos tenebat in manu, ita cum magna stultitiae et saevitiae exprobratione iecisse in faciem eius, ut genam non leviter perstrinxerit.* Et Ammianus lib. 28: *Meritorii corporis veterem lupam.* Idem.

Casilino salutatum veniebant] *Casino*, nonnulli v. l. ego *Cassino*: nam verisimilius est, *Cassino*, quod oppidum prope erat in conspectu, venisse salutatum, quam Casilino, quod multis millibus passuum aberat a Casinate fundo. Ferr. *Cassino salutatum veniebant*] E vicinis oppidis ad villam Varronis Casinatem Antonii salutandi caussa veniebant: sed omnes exclusi sunt, neque quisquam in villam admissus est. legunt nonnulli *Cassilino salutatum:* bene, si manuscriptis niterentur, sed Casilinum quidem, etsi remotius quam Aquinum et Interamna, non tamen adeo fuit remotum a villa Cassinate, ut inde venire

Iure id quidem. In homine enim turpissimo obsolefiebant dignitatis insignia. Quum inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet, obviam ei processit, ut est frequens municipium, magna sane multitudo. At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus. Stulte Aquinates: sed tamen in via habitabant. Quid Anagnini? qui quum essent devii, descenderunt, ut istum, tamquam si esset, consulem saluta-

non potuerint. Quia tamen recens Casilino discesserat, et Cassinum erat vicinius, probabilius est Cassinates ad villam accessisse, ut salutem impertirent, obsequiumque suum deferrent Antonio. Vide autem Strabonis librum Geograph. 5. ubi vias ab Vrbe ad solis ortum spectantes describit. Vbi videbis, quod maxime pertinet ad Ciceronem, Cassinates, aut, si mavis, Casilinates, Aquinates, Interamnates, Sidicinos villae Cassinati fuisse vicinos, et Aquinum fuisse frequens municipium, et ad viam Latinam situm, et Anagninos paululum devios in colle positam urbem habuisse, unde ad salutandum Antonium necesse fuerit descendere. ABRAM. Recte *Cassino*, et sic etiam Lamb. et Coelius Sec. Curio. Vatic. *Casino*. GAR.

Iura id quidem] Iura nemo salutator admissus est. Cum enim Antonius esset impurus, et omni honore indignus, sic inquinabantur et deformabantur insignia dignitatis, ut ex eiusmodi salutationibus et dignitatis insignibus dedecus in Antonium redundaret. legitur *obsolebant*, *obsolescebant*, *obsolefiebant*, quod postremum retinui tamquam vulgatius. ABRAM.

Obsolebant dignitatis insignia] *Obsolescebant*, lib. Col. quod probo. FERRARIVS. *Obsolefiebant dignitatis insignia*] Nescio quis laudatus a Salviano lib. 4. de gubern. Dei: *Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* ABRAM. In omnibus MSS., quos evolvi, et in omnibus editionibus, quas inspexi, praeterquam in Faërni, Mureti, Lambini, et Abram., in quibus scribitur *obsolefiebant*, et P. Manutii, in qua est *obsolescebant*, legitur *obsolebant*. Id ego mutare non sum ausus, cum nec Faërnus, nec Muretus significent in notis, se *obsolefiebant* ex Vaticano promsisse. Antiquum *obsolere* hic videtur maluisse Cicero, quam frequentativum, ut Grammaticorum filii loquuntur, *obsolesco*. Sic *senere* apud Catullum pro *senescere*, *aegrere*, *albere* apud Virgilium et alios pro *aegrescere*, et *albescere*. Sic olim *orere* dixerunt, unde *oreri*, pro *crescere*. Ab

obsoleo est, *obsolevi*, et *obsolitus*, Graev. *Obsolebant*] Sic etiam Ien. et Graevius, qui consentientes sibi testes plures citat. At Faërn. Mur. Lamb. A. Gryph. *obsolefiebant*, Manut. *obsolescebant*. Vereor, ne quid vitii lateat. Interea *insignia dignitatis* interpretari licet *Consulatum*. Is *obsolebat* in Antonio, h. e. vilescebat, ut non dignus iam esset, cui sollemnia officia praestarentur. Hevsing. *Obsolebant*] Ita codices nostri cum Graevianis. Laellem. Nimirum omnes libri exhibent *obsolebant*, duobus exceptis, sed omnium praestantissimis. In his adeo praestantiae gradus servatur, et facile cognoscitur. Nam Colotianus, *obsolescebant*, quod manifesto natum ex *obsolefiebant*, ut habet Vaticanus: qua de re dubitavit immerito Graevius, cum Faërni testimonium haberet supra ad c. 40. Paruit Colotiano P. Man. et Car. Steph. qui de suo cod. silet: sed postea Manut. recte Vaticani auctoritatem potiorem habuit, ut ex eius notis apparet, cui post Graev. solus paruit Olivetus, sed antea obtemperandum monuerat Pareus in Lex. Crit. p. 828. Garaton. Ern. *obsolebant*. Eandem lectionem exhibent Teeg. et Gud. Schütz. habet *obsolebant*.

Cum inde] Hactenus de flagitiis Antonii in villa Casinate: nunc eiusdem reditum, superbiam, crudelitatem exagitat. Abram.

At iste operta lectica] Antonius, ut se ab Aquinatium conspectu subduceret, per oppidum eliquam lectica deferri voluit, ut mortui deferuntur. Idem. Librariorum, credo, culpa in Gruteri editione legitur, *ut iste operta*, quod tamen sequentes omnes retinuerant. In lecticis efferebantur mortui. Graev. Quod ait, *latus est*; consule Arntzen. ad Auctor. de Viris Illustr. c. LXI. ubi eam locutionem illustrat. Vatic. *latus per oppidum est*. Gar.

Stulte Aquinates] Stulte fecerunt Aquinates, qui tibi homini superbo et fastuoso obviam processerint, sed tamen excusationem habent: siquidem in via Latina, per quam tu facturus eras iter, habitabant, ut videretur non posse sine nota Consuli Romano, quantumvis impuro, salutationis officium denegare. Quanto stultius Anagnini, qui, cum ad sinistram Latinae viae inter hanc et Valeriam viam habitarent, e monte, in quo situm est oppidum, descenderunt, ut Antonium salutarent. Abram.

Obviam ei] Haec duo verba delenda, et paulo post pro *Consul* legendum *Consulem*, ubi antiquus liber habet *colem*. Faernus. Merito *obviam ei* deleverunt Faërnus, Muretus, Lambinus et Abramius. Male Gruterus retinuit, et cum eo sequentes editores. Graev. Legendum est cum Lamb. ex Vatic. *descenderunt*, *ut istum*, *tamquam si esset*, *Consulem salutarent*: nisi mavis *Consul* retinere cum ceteris libris omnibus, de quo non admodum contenderim: in quibus etiam legitur, *obviam ei descenderunt*, non *descenderant*,

rent. Incredibile dictu; sed tum nimis inter omnes constabat, neminem esse resalutatum: praesertim quum duos secum Anagninos haberet, (Mustelam, et

quod mendum est Gruterianae, ab uno postea Heusing. sublatum. Cur autem neget Antonium esse Consulem, vide III, Phil. 5. GARATON. Ern. et Schütz. *qui quum essent devii, descenderant, tamq. si esset consul, salutarent*. Teeg. et Gud. *obviam ei descenderant*. Sed voces istae, *obv. ei*, merito dudum ab interpretibus reiectae sunt.

Sed tum nimis inter omnes constabat] Sic liber Col. *Et simul unum est inter omnes*, c. Lang. Sc. et caeteri, *Simul inter omnes*. ut ita fortasse corrigendum sit, *Incredibile dictu'st*, *tamen inter omnes*. FERRARIVS. *Incredibile dictu est*, *tamen etc.*] Antiquus liber, *incredibile dictum*, *sed cum vinus*, quae verba emendans Antonius Augustinus, ita totum locum legit: *incredibile dictu*, *sine conviciis*, *inter omnis constabat*, *neminem esse resalutatum*. quod quamvis placeat magis, quam emendatio Ferrarii impressa, quia tamen id pro certo non habemus, non audemus admittere, veterem modo scripturam sectamur. et paulo post in antiquo libro est, *quod Cassium et Brutos*. Item paulo post, *non ut te et Basilum*. ut et apud Iuvenalem: *Quot Basilus socios; quot circumscripserit Hirus pupillos*. et post pauca, *conlegae tui fuit*. ac deinde detracta dictione *sit*, *non quidem ut similis tui*. FABRINVS. *Incredibile dictu*, *sed tamen inter omnes*] Liber Vaticanus, *sed cum vinus*, pro *sed tamen*, corrupte. Ant. Augustinus *sine conviciis* legit. Pantagathus vero putabat, satis commode legi posse, *sed omnino inter*, ut iungantur, *omnino neminem*: nam satis superbiae est in non resalutando, nisi etiam adderentur convicia. neque hoc displiceret, *Dictu ex omnibus inter*. F. VRSINVS. *Incredibile dictu: tamen inter omnes constabat*] Est a Ferrariana coniectura. prisca lectio, *dictu; sed tum nimis inter omnes constabat*. quomodo et Pal. prim. nam sec. *dictum et simul inter omnes constabat*. GRVT. *Incredibile dictu: tamen inter omnes*] Secutus sum coniecturam Ferrarii, Gruteri, Manutii aliorumque calculis approbatam. Vulgo, *Incredibile dictu*, *sed tum nimis inter omnes*. Vt et paulo post duas voces, *Mustellam et Laconem*, quae ex eruditi cuiusdam glossis in textum irrepserant, circumscripsi: constat enim, primam Tullii manum duabus hisce vocibus caruisse: cum Orator ipse ad Atticum lib. 16, epist. 11. Attico suo quaerenti, quinam essent illi duo Anagnini, sic respondeat: *Anagnini sunt Mustela* ταξιάρχης *et Laco*, *qui plurimum bibit*. ταξιάρχης gladiatorum princeps Mustela, plurimum bibit Laco. princeps

Laconem] quorum alter gladiorum est princeps, alter poculorum. Quid ego illas istius minas, contu-

poculorum. ABRAM. Sed, cum haec verba ab ipso Cicerone postea addita fuisse, ne quid obscuritatis relinqueretur, credibile sit, cum Graev. aliisque ea servavi. HEUSING. Sic etiam recte censuit Popma ad eam Epist. cum ibi Manutius, et hic inculcet, ea nomina sibi videri glossemata, quod Abram. arripuit. Neque vero ea quisquam praeter Abram. aut editus liber, aut scriptus omisit. Ratio etiam critica postulare videtur, ut cum eodem Heusing. hunc locum ita legamus. *Incredibile dictu: sed tum nimis inter omnes constabat, etc.* Ita Rom. Ven. Ald. Naug. Herv. Gryph. et Lamb. ita Palat. prim. neque aliud subest Vaticani mendo, si vestigia consideres, et litterarum ductus, qui certissimo indicio sunt. Vidit hoc procul dubio Muretus: itaque a veteribus editis non discessit, cum Ferrarium P. Man. et Car. Steph. secuti essent: tum Lambinum in eius societatem indicii iure pertraxit. Simul observes, *nimis* usurpari pro *valde*, ut apud Corn. Nep. Alcib. VII. 1. *Haec Alcibiadi laetitia non nimis fuit diuturna.* Vide Pareum in Lex. Crit. p. 789. 790. Sed plane ita *nimis* hic adhibetur, ut apud Italos *troppo:* h. e. recenti re magis inter omnes constabat, quam ut credi non debeat. Barb. ambo cum plerisque Ferrarii, et Ien. *Incredibile dictu. Simul inter omnes constabat.* GARATON. Ern. *incredibile dictu; tamen inter omnes.* Eandem lectionem deprehendi in editione Schütziani. Teeg. refert lectionem similem ei, quam habet Colot. *Incredibile dictu; et sermulan.* Accedit igitur similitudine ad lectionem Colot. et Lang. Sed etiam hic recipienda est lectio Vatic. auctore Garatonio.

Gladiatorum princeps] *Gladiorum*, lib. Col. ea figura scilicet, qua *poculorum* dixit. de his in lib. XVI. epist. ad Attic. *Anagnini sunt Mustella ταξιάρχης, et Laco, qui plurimum bibit.* FERRAR. *Gladiorum* etiam ediderunt, moti, ut puto, auctoritate codicis Vaticani, Faërnus, et Muretus, sequente Lambino. GRAEV. *Gladiatorum*] Vatic. et Col. *gladiorum*, quod post alios probavit etiam Graev. quia sequitur *poculorum.* At Ien. non *poculorum* habet, sed *populatorum*, cui superscriptum *poculatorum.* An voluit *pocillatorum?* quae tamen vox Appuleio, quam Cicerone, dignior est. Idem, *princeps est*, recte. HEUSING. Coelius Sec. Curio habet, nescio unde, *gladiator:* omnes enim libri, quos novi, exhibent *gladiatorum*, tribus exceptis, in quibus melius arbitror esse *gladiorum.* Optimi sunt hi codices Vatic. et Colotian. quibus tertius accedit Car. Stephani in eius V. L. Hos cum Faërno, Mur. Lamb. et Graev. sequuntur merito recentiores; nisi quod retu-

meliasque commemorem, quibus invectus est in Sidicinos? vexavit Puteolanos, quod Cassium, et Brutos patronos adoptassent? magno quidem iudicio,

lit *gladiatorum* Cl. Heusing. et retinet summus Ernest. in Ind. Gr. v. *Ταξιάρχης*. Quam quidem ille vocem pro Centurione, aut Tribuno militari a Tullio non adhiberi XVI. ad Att. 11. rectissime indicat: Latina enim suppetebat, et quaedam improbitatis n ta subesse debet, non dignitatis. Nimirum in Antoniana manu improborum, quae ad vim faciendam, et remp. ferro, armisque vexandam erat comparata, ducis locum Mustela obtinebat. Gladiatorem fuisse, aut solis gladiatoribus praepositum vix putarim. Tam erat in usu poculorum Laco princeps, quam Mustela in usu gladiorum. Sic fere vox *gladius* adhibetur I. Phil. 11. *quum tanta praesertim gladiorum sit inpunitas*, et X. ad Div. 2. *sed nec sine periculo quisquam libere de rep. sentiens versari potest in summa impunitate gladiorum:* item IV. ibid. 9. *magna gladiorum est licentia*, ubi quoque in MSis aliquot est, *gladiatorum*, quos Cortius egregie refellit. Nostra denique lectio, et explicatio tribus Philippicarum locis mirifice confirmatur. Supra c. 4. de Mustela, et Tirone: *qui quum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu Senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus.* V. 6. *At hanc pestem agmen armatorum sequebatur: Classitius, Mustela, Tiro, gladios ostentantes, sui similes greges ducebant per forum: certum agminis locum tenebant barbari sagittarii.* XIII. 2. *Addite Antonii conlusores, et sodales, Eutrapelum etc. Mustelam, Petissium: comitatum relinquo, duces nomino.* Iam patet, opinor, quantum pauci optimi codices praestent multis deterioribus. Garatonivs. Quod attinet ad vocem *gladiorum*, hunc loquendi usum iisdem fere locis ex nostris orationibus, quos Garatonius adhibuit, olim illustravi et defendi. Ern. et Schütz. *gladiorum.*

In Sidicinos] Teanum Sidicinorum iuxta Interamnam. Quae sequuntur, perspicua sunt: quamvis Lambinus vocem *patronos* ut minus necessariam induxerit, et Gruterus pro, *Vt Basilum vi et alios*, legendum putet, *Vt Basilum, ut Tamisium, ut alios.* Abram.

Puteolanos] Puteoli olim Dicaearchia inter Capuam, et Neapolim. Paulus ex Festo: *Puteolos dictos putant ab aquae calidae putore: quidam a multitudine puteorum earundem aquarum gratia factorum.* Vide Strabonem et dicta in Vatinium de celebri Puteolanorum emporio. Idem.

Quod Brutos patronos adoptassent] Sic Pall. at Lambinus delevit *patronos*. Grvt. *Pa-*

studio; benivolentia, caritate, non ut te, ut Basilum. vi, et armis, et alios vestri similes, quos clientes nemo habere velit, non modo illorum cliens esse. Interea dum tu abes, qui dies ille collegae tui fuit? quum illud, quod tu venerari solebas, bustum

tronos adoptassent] Cic. in Pisoniana: *Me inaurata statua donarant, me patronum unum adsciverant.* In Sextiana: *Me unum patronum adoptavit.* ABRAM. Vat. *quod C. Cassium, et Brutos patronos adoptassent?* Gryph. MDL. *quod C. Cass. quod Br.* GAR.

Vt Basillum] *Basilium*, Lang. recte. De Basilio Dion, et Caesar. FERRARIVS. *Vt Basilum, vi et armis, et alios*] Reponendum fortasse *ut Basilum, ut Tamisium, ut alios*, sicuti in mentem venit Schotto d. cap. 12. de quo gladiatore non semel supra, et ad Atticum. GRVT. Lege *Basilum* e Vatic. quod Romanorum cognomen semper corrumpitur. Vide III. de Offic. 18. Eum significari putat a Iuvenali X. 221. Abramius. HEVSING. Male *Basilium* etiam Barb. prim. Herv. P. Man. C. Steph. et Coel. Curio, qui tamen vidit *Basilum* apud Lucan. IV. 416. sed propter versum id contractum imperite censuit, quod verum est, et iam nunc ex libris melioribus Tullio, Caesari, et Floro restitutum. Alter Barb. cum plerisque, Rom. Ven. Ald. Naug. Gryph. *Basillum*, ut Graeci *Βάσιλλον*, quod Fr. Fabric. ad Oros. VI. 18. ibi, et hic, reprehenso Ferrario, malebat: sed ad III. de Off. 18. sententiam mutavit, et *Basilum* praetulit, Malaspina idem praeferente ad VII. ad Au. 9. Confer etiam Duker. et alios ad Flor. IV. 2. 32. Cod. Ien. *Basilissum.* GARATON. Schütz. sine ulla auctoritate codicum, neque loci ratione cogente, verba transposuit; nam quum esset vulg. *non ut te, ut Basilum et alios*, scripsit: *non vi et armis, ut te, ut Basilum, et alios.*

Intereu] Post C. Caesaris necem nescio quis in C. Marii nomen invasit, et rudem plebeculam concitavit in Senatum: plebsque, ut scribit Suetonius in Iulio cap. 85, *solidam columnam prope XX pedum lapidis Numidici in foro statuit: scripsitque* PARENTI PATRIAE. *apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Caesarem iureiurando distrahere perseveravit.* Antonius uncum impegit illi Pseudomario, eumque in vinculis iugulavit. Quo facto vocatus in odium multitudinis concitatae, in hoc rerum tumore discessit ex urbe veteranorum colonias nuper a Caesare deductas obiturus, sive ut eorum animos sibi conciliaret, sive ut caput suum praesenti periculo multitudinisque furori subduceret. Sed absente Antonio et colonias lustrante, *Cum*, ut di-

citur Phil. 1, *serperet in Vrbe infinitum malum, idque manaret in dies latius, iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant, et quotidie magis magisque perditi homines cum sui similibus servis tectis ac templis Vrbis minarentur, talis animadversio fuit Dolabellae cum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros ac nefarios liberos,* ut servos nonnullos in crucem egerit, liberos de Saxo Tarpeio deiecerit, *talisque eversio illius execratae columnae,* ut locum illum sternendum locarit, ne quod extaret columnae vestigium. de quo epist. 17, lib. 14. ad Atticum: *O mirificum Dolabellam meum! antea (crede mihi) subdubitabam: magnam ἀναθεώρησιν res habet: de saxo, in crucem, columnam tollere, locum illum sternendum locare.* Et epist. 18: *O Dolabellae nostri magnam ἀριστείαν! quanta est ἀναθεώρησις?* etc. *Mihi quidem videtur Brutus noster iam vel coronam auream per forum ferre posse. Quis eum audeat violare, proposita cruce vel saxo? praesertim tantis plausibus, tanta approbatione infimorum.* Abram.

Dum tu abes] Merito. quasi praesente Antonio nihil huiusmodi facturus fuerit Dolabella. Abram.

Qui dies ille collegae tui] Quantam Dolabella collega tuus in Consulatu gloriam consecutus est? Philipp. 1. sic alloquitur Dolabellam: *Quem potes recordari in vita tibi illuxisse diem laetiorem, quam cum, expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris poena affectis, te domum recepisti? cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunae studia tum laudi, et gratulationi tuae se non obtulerunt?* Loquendi genus etiam occurrit in hac oratione. *Qui tibi ille dies, Mar. Antoni, fuit?* Post quem Papinius 1. Thebaid.

— *Quis tum tibi, saeve,*
Quis fuit ille dies, vacua
cum solus in aula
Respiceres ius omne tuum,
cunctosque minores,
Et nusquam par stare caput? —

Plinius Panegyrico: *Ac primum qui dies ille, quo expectatus, desideratusque urbem tuam ingressus es?* Idem. *Fuit* desideratur in vulgatis, sed id addidi ex Faërno, Mureto, et Lambino. Graev. Sic supra c. 35. *qui tibi dies ille, M. Antoni, fuit?* id est, quam gloriosus fuit. Hevsing. Adde Schwarz. ad Plin. Paneg. XXII. 1. et Observ. XXVII. Mox in Vatic. *quod venerari solebas.* Gar. Ern. et Schütz. omiserunt *fuit.* Probo iudicium Faërni, Mureti et Graevii.

Bustum] Festus: *Bustum proprie dicitur locus, in quo mortuus est combustus et sepultus: diciturque bustum, quasi bene ustum: ubi vero combustus quis tantummodo, alibi vero est sepultus, is locus ab urendo ustrina vocatur. Sed modo bustum, eo quod sepelitur sepulchrum vocamus.* Aliter Servius in fragmentis a Scaligero citatis:

in foro evertit? qua re tibi nuntiata, ut constabat inter eos, qui una fuerunt, concidisti. Quid evenerit postea, nescio. Metum credo valuisse, et arma.

Apparatus mortuorum funus dici solet: extructio lignorum, rogus: subiectio ignis, pyra: crematio cadaveris, bustum: locus, ustrina: operis constructio, sepulchrum: inscriptum nomen, memoriaque, monumentum. Sed Festo favet, quod ustrinam aliquando separabant a sepulchro, aliquando coniungebant, ut apud eundem Scaligerum docet duplex Romae reperta inscriptio: HVIC. MONIMENTO. VSTRINVM. APPLICARI. NON. LICET. Item: AD. HOC. MONIMENTVM. VSTRINVM. APPLICARI. NON. LICET. Glossarium: *ustrina*, πυρκαϊά. *ustrina*, καύστρα νεκρῶν. Publicae autem ustrinae erant in Exquiliis, inquit Acro. Cicero 2 de legibus τύμβον, *bustum* interpretatur. *De sepulchris autem nihil est apud Solonem, quam ne quis ea deleat, neve alienum inferat: poenaque est, si quis bustum (nam id puto appellari tymbon) aut monumentum, inquit, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.* Vide quae diximus in 1 Philipp. *Illius execratae columnae.* ABRAM.

Qua re tibi nuntiata] Audito facto illo Dolabellae, desperatione concidisti, animumque abiecisti, ratus, te, cum tam fortem, tamque omnium ordinum benevolentia florentem Collegam haberes, non posse opprimere remp. IDEM.

Concidisti] Scilicet *animo*, terrore exanimatus, desperans. Ita V. Phil. 9. quo ille nuntio audito, repente concidit. Plene Hirtius VIII. B. G. 19. *hostes concidunt animis.* HERVSIVS.

Quid evenerit postea] Quid Dolabellam ab illius diei mente abduxerit, eumque mutarit, nescio. Revera autem Antonius eum pecunia corrupit, ut eum in partes suas adduceret. ASH.

Metum credo valuisse et arma] Frigida excusatio. Dolabellam videri vult non pecunia corruptum, sed metu et armis a republica bene gerenda deterritum, postquam Antonius ex illa sua peregrinatione stipatus armatis ad Vrbem accessit. Non metus valuit, sed avaritia, ut per dissimulationem ostenditur 1 Phil. *Credo enim, vos nobiles homines magna quaedam spectantes, non pecuniam, ut quidam nimis creduli suspicantur, quae semper ab amplissimo quoque clarissimoque contempta est, non opes violentas, et populo Romano minime ferendam potentiam, sed charitatem civium et gloriam concupisse.* Aperte lib. 14. ad Attic. epist. 22: *Cum Dolabellae avaritia (sic enim tu ad me scripseras) magna desperatione affectus essem.* Et epist. 21: *O hominem pudentem! Kalendis Ianuarii debuit, adhuc non solvit, praesertim cum se maximo aere alieno Faberii manu liberarit, et opem ab eo petierit. libet enim iocari, ne me*

Collegam quidem de coelo detraxisti, effecistique non

valde conturbatum putes. Iocus in eo consistit: Faberius fuerat scriba Caesaris, ut tradit Appianus, qui se post eius necem obsequentissimum praebuit Antonio, et eius arbitratu commentarios Caesaris adulteravit, ne manus diversitas appareret. Dolabella igitur *aere alieno Faberii manu se liberavit,* pecunia videlicet, quam ex falsis Caesaris commentariis Faberii manu conscriptis, et *opem ab eo petiit,* id est, septies millies H-S. quod erat ad aedem Opis, cum Antonio partitus est. Idem.

Collegam quidem] Dolabellae gloriam minuisti, qua prius ferebatur in coelum, effecistique non iam quidem, ut tua scelera imitetur, sed ut a pristina sua virtute degeneret. Idem.

De coelo detraxisti] Noster ad Dolabellam epistola, quae habetur libro 14 ad Attic. vicesima: *Neminem conveni,* etc. *quin omnes, cum te summis laudibus ad coelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant.* Et epist. 21: *Saepius me iam agitas, quod rem gestam Dolabellae nimis in coelum efferre videar.* In coelo esse, in coelum efferri est valde laudari. Homerus:

— Καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει.
— *Coelum mea gloria tangit.*

Maro:

Fama super aethera notus.

Daphnin ad astra feremus. —

Ennius:

Si fas endo plagas coelorum scandere quemquam,
Mi soli coeli maxima porta patet.

Statius:

Protinus astriferos Capaneus tollendus in axes.

Horatius:

— *sive mendaci lyra*
Voles sonari, tu pudica, tu proba,
Perambulabis astra sidus aureum.

Idem.

Conlegam quidem de coelo detraxisti] Κατέσυρας, id est, e summo in imum deturbasti. Expressit enim Graecum verbum Orator κατασύρω, quod est detraho, deturbo, everto, de gradu summo deiicio, quasi diceret: Dolabellam de summa gloria in summam invidiam deiecisti. Magnifica translatio est: nam *in coelo esse,* est summis laudibus celebrari, in honore esse. Hinc etiam illa contraria, *efferre aliquem ad coelum,* pro summe laudare, et summis honoribus afficere: sic in IV. Phil. *Caesar in coelum fertur.* Coelius Secundus Curio.

Non tu quidem] Pro *non quidem,* eleganter. Tursell. de Partic. CCXIII. 8. Sic supra c. 9. *quamquam de morte P. Clodii fuit quaestio, non satis prudenter illa quidem constituta.* ibid. *in eo non tu quidem tota re,*

tu quidem etiam nunc, ut sit similis tui, sed certe ut dissimilis esset sui.

XXXXII. Qui vero inde reditus Romam? quae perturbatio totius urbis? Memineramus Cinnam nimis potentem; Sullam postea dominantem; modo regnantem Caesarem videramus. Erant fortasse gladii, sed absconditi, nec ita multi. Ista vero quae, et quanta barbaria est? Agmine quadrato cum gladiis sequuntur milites: scutorum lecticas portari vi-

sed temporibus errasti. Adde c. 17. 27. 35. Hevsing.

Etiam nunc] Ad illud tempus negat Dolabellam similem Antonio factum: de futuro vero nihil praestare vult. Additum hoc videtur, ut *de laudibus Dolabellae derueret cumulum,* quemadmodum scribit xvi. ad Att. 11. Idem.

Vt sit similis tui] Delendum est cum Faërno, et Lamb. verbum *sit*, quod ignorat Vaticanus, et necessarium putarunt emendatores. Gar.

Qui vero inde reditus Romam] Quam turbulentus plenusque terroris! Abram. Ed. Gryph. ad codicem Ferretti emendata ordinem heic concinniorem habet: *Qui vero reditus inde Romam?* Gar.

Memineramus Cinnam nimis potentem] Cum ita civitas Italiae data esset, inquit Velleius lib. 2. ut in octo tribus contribuerentur novi cives: ne potentia eorum et multitudo veterum civium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii; Luc. Cornelius Cinna Consul in omnibus tribubus eos se distributurum pollicitus est. quo nomine ingentem totius Italiae frequentiam in urbem exciverat. Pulsus urbe a Cn. Octavio collega, cum Sextio Tribuno plebis, imperioque ei abrogato, corruptum Appii Claudii exercitum in potestatem suam redegit, et retinens insignia consulatus, patriae bellum intulit, fretus ingenti numero novorum civium, e quorum delectu ccc amplius cohortes conscripserat, ac triginta legionum instar impleverat, Marium ab exilio revocavit, et cum eo sequentis anni Consulatum invasit, duosque postea continuavit Consulatus, donec tandem a suo ipsius exercitu occisus est. Abram. Vatic. *L. Cinnam,* et infra de more, *barbariast.* Gar.

Sullam postea dominantem] Eo ipso, ut videtur, anno, quo Cinna mortem oppetiit, reversus in Italiam Sulla, profligatis partibus Marianis, dictaturam perpetuam invasit. Abram.

Caesarem regnantem] Hoc amplius omnes l. s. *Modo Caesarem regnantem.* ut V, *Cinnam memini: vidi Sullam,* modo *Caesarem.* Ferr. Recisimus,

quamvis mei dissentiant, sed adsentitur Vaticanus. GAR.

Sed tamen absconditi] *Sed ii absconditi*, l. Col. quod mihi magis arridet. FERRAR. Colon. Graev. et edd. vett. *sed tamen absconditi*. Sed Vaticanus, quem sequor cum Faerno, Mureto, Lambino, Manutio, *sed absconditi*. GRAEV. Hic etiam a ceteris omnibus, qui *tamen* exhibent, duo soli praestantissimi abeunt, atque hi ambo tam probe, ut nescias, utrum sit praeferendum. Colotiano adhaesit cum P. Man. et Car. Steph. et Grutero etiam Heusing. et ipse Lambinus, si fides est illius repetitoribus. GAR.

Ita vero quae, et quanta barbaria est?] Sic o. l. s. praeter unum Col. qui hoc modo, *Ista vero quae, et quanta barbaria est? agmine quadrato cum gladiis sequuntur, scutorum lecticas portari videmus.* Quae scriptura si non omnino incorrupta, atque vera est, ad veram certe propius accedit, multoque minus depravata est: nam illa quidem extrema verba, non dubito, quin sine mendo sint. id apparet ex Phil. v, *At hanc pestem agmen armatorum sequebatur: Classitius, Mustella, Tiro, gladios ostentantes, sui similes greges ducebant per forum: certum agminis locum tenebant barbari sagittarii: cum autem erat ventum ad aedem Concordiae, gradus complebantur, lecticae collocabantur: non quo ille scuta occulta esse vellet, sed ne familiares, si scuta ipsi ferrent, laborarent.* Ex quo videre licet, eos, qui in libris pro *lecticas, sicas* reposuerint, lapsos esse. Dixit autem festive *lecticas scutorum*, tanquam de aliquo vase loqueretur: ut Plautus, *Cadum vini: hic ipse, fiscinam ficorum.* FERR. *Ista vero quae*] Ex comparatione priorum tyrannorum Antonio quaerit invidiam. sic Philipp. 5: *Cinnam memini, vidi Sullam, modo Caesarem: hi enim tres post civitatem a Luc. Bruto liberatam plus potuerunt quam universa respublica. Non possum affirmare, nullis telis eos stipatos fuisse: hoc dico, nec ita multis et occultis. At hanc pestem agmen armatum sequebatur*, etc. ABRAM.

Agmine quadrato] Quasi in aciem disposito. Philipp. 5: *Agmine quadrato in aedem Concordiae venit.* Varro apud Servium Danielis citatus a Scaligero in Festum: *Duo sunt genera agminum: quadratum, quod immistis etiam iumentis incedit, ut ubivis possit considere. Pilatum alterum, quod sine iumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittatur*, etc. *Asellio Sempronius quartum signum accedebat, sive pilatim, sive passim iter facere volebat.* Passim, id est, agmine quadrato. At Tibullus poëmate ad Messalam tria genera agminum apponit, quadratum, duplex, pilatum:

Iam simul audacis veniunt certamina Martis,
Adversisque parent acies concurrere signis:

Tunc tibi non desit faciem
componere pugnae,
Seu sit opus quadratum acies
consistat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat
frontibus ordo:
Seu libeat duplicem, seu iun-
ctum cernere Martem:
Dexterque ut laevum teneat,
dextrumque sinister
Miles: sitque duplex gemini
victoria casus. Abram.

Quasi in aciem disposite cum dicit Abramius, si ita intelligit, ut agmen sic incesserit, ut ab omni parte exercitus sit paratus ad pugnam, si hostis ingruat, non improbo. Exercitus enim proficiscens dicitur *agmen*, non *acies*, nisi interdum apud poëtas. Vide de agmine quadrato magnum Schelium in dissertationibus ad Hyginum, et Polybium cap. II. Graevius.

Cum gladiis sequuntur milites: scutorum lecticas portari] Est a Palatino sec. nisi quod is inversa voce *sequuntur scutorum milites lecticas portari.* quod si quis censet delendum adhuc verbum *milites*, quod abest uno libro Ferrarii, per me licet. inepte Lambiniana: *sequuntur scutati milites: scutorum lecticas.* nam lecticae scutis gravidae erant, ut arriperentur statim a militibus, si necesse. Gruterus. Sic et Faërnus ex Vaticano. Sed Muretus retinet, *scutati milites*, quod et legitur in codicibus Colon. Franc. meo et Amsterod. Sed in sequentibus verbis, *scutorum lecticas portari videmus*, conspirant etiam cum antiquis MSS. Ferrarius, Faërnus, Muretus, et recentiores editores omnes. Sed tamen in illis libris veteribus omnibus, quos ego consului, et modo laudavi, nec non vetustioribus editionibus, *scutorum* non legitur, quod tamen recte reposuit ex suis Ferrarius, idque ex Philippica v. pulchre asseruit. Graevius. *Sequuntur milites: scutorum lecticas*] Ita Vatic. sed in prioribus verbis auctior est Ienensis, cum ceteris Graevii, et pluribus editis, *sequuntur scutati milites:* iidem vero *scutorum* omittunt. Varietatis causam aperit Palat. sec. in quo fuit, *sequuntur scutorum milites, lecticas portari videmus.* Ita transposita voce, ab aliis mutata est in *scutati*, ab aliis iterata, a nonnullis suo loco omissa. Eam vero retinere suadet Philipp. V. c. 6. extr. Ernesting. *Sicas*, quam lectionem Ferrar. et Curio merito explodunt, in sola Naugeriana, et Hervagiana Camerarii reperi, hoc modo: *sequuntur scutati milites, sicas portari videmus:* quod tamen revocare ausus Ferrettus est. MSi Ferrar. et ambo Barb. item Rom. Ven. Ald. et Gryph. cum Graevianis plane consentiunt. Sed recte vidit Gruterus, praestantem, ac fortasse veram Colotiani esse lectionem, quam P. Man. et Car. Steph. receperunt, quam Stephani silentium indicat a suo cod., ut alia, confirmari, quam denique aliorum depravationi causam praebuisse facile colligas. Cum enim is sic habeat, *agmine quadrato cum gladiis sequuntur: scutorum lecticas p. v.* et nomina-

demus. Atque his quidem iam inveteratis, Patres Conscripti, consuetudine obduruimus. Kalendis Iuniis cum in Senatum, ut erat constitutum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugimus. At iste, qui Senatu non egeret, neque desideravit quemquam, et potius discessu nostro laetatus est, statimque illa mirabilia facinora effecit. Qui chirographa Caesaris defendisset lucri sui causa, is leges Caesaris, easque praeclaras, ut rempublicam concutere posset, evertit. Numerum annorum provinciis prorogavit:

vus Latine, ac commode subaudiatur; sublata ellipsis fuit addendo *milites* alieno loco, ut in Pal. sec. deinde, cum absurdum esse cognosceretur, *scutorum milites*, ab omnibus *scutati milites* factum est. Porro Vaticanum comperi cum Colotiano plane consentire, ut iam iis obsequi non dubitem. GARATON.

At iste] Antonius, qui sua libidine, non publico consilio, volebat administrare rempublicam, adeo neminem desideravit, ut potius laetatus fuerit, quod, cum in Senatum Kalendis Iunii venire vellemus, metu perterriti repente diffugissemus. ABRAM. Ien. *At tibi iste*, quod Librarii imperitiae non tribuo. Est enim elegans pleonasmus, de quo dixi ad c. 46. pro Rosc. Amer. HEVSING.

Statimque] Eo ipso temporis momento arripiens occasionem nostrae absentiae. ABRAM. *Statim*] Ien. praeter alios, *statimque:* quod mutarunt, qui non viderunt, haec ita connexa esse. *At tibi iste, qui Senatu non egeret, neque desideravit quemquam, et potius* (h. e. sed etiam, sed multo magis) *discessu nostro laetatus est, statimque.* Nihil frequentius in Cicerone observes, quam *neque, et*, pro *non tantum, sed etiam.* Vide Tursell. de Partic. CXLIV. 11. Lactant. I. 4. 5. Cort. ad Sallust. Iug. I. extr. HEVSING. Cur ergo ipse *statim* edidit cum Verb. et Grutero? qui hoc retinuerat ex Lamb. repet. quibus eod. Franc. et ambo Barb. adstipulantur. Sed omnes mei vetustiores editi, quorum postremi sunt Lamb. et Ald. nepos, recte *statimque.* GAR.

Mirabilia] Παράδοξα. Et ironia est, admirabilia turpissima; ut lib. I. de Inv. *admirabile genus causae* vocat, non modo quod contra opinionem sit, sed quod sit turpe: nam admirabile opponit honesto. CVRIO.

Qui chirographa] Caesaris chirographa defendit lucri sui caussa, id est, quia videbat fore, ut multum lucraretur ex chirographorum venditione, si ea vim obtinerent, leges Caesaris evertit, ut rempublicam concuteret, quia stantibus illis non poterat vexare rempublicam. ABRAM.

Numerum annorum prouinciis] Caesar tulerat legem de certo

idemque, quum actorum Caesaris defensor esse deberet, et in publicis, et in privatis rebus acta Caesaris rescidit In publicis nihil est lege gravius:

numero annorum, quo provinciae obtinerentur. eam legem non per se, sed per quosdam Tribunos plebis sustulit Antonius. 1 Phil. *Quae lex melior, utilior, optima etiam republica saepius flagitata, quam ne Praetoriae provinciae plus quam annum, ne plus quam biennium consulares obtinerentur? hac lege sublatâ videnturne vobis acta Caesaris servari?* Philipp. 5: *Tribuni plebis tulerunt de provinciis contra acta Caesaris, ille biennii, iste sexennii.* E quibus vides, Caesarem tulisse, ne provinciae Praetoriae plus quam annum, Consulares ne plus quam biennium obtinerentur: Tribunos autem plebis ab Antonio submissos et subornatos ita numerum annorum provinciis contra legem Caesaris prorogasse, ut Praetoriae biennium, Consulares sexennium possent obtineri. Cur autem ea lex Caesaris praeclara dicatur, docet Dio lib. 43: *Quoniam se ipsum noverat propterea, quod multis continenter annis Gallias obtinuisset provincias, inde ad dominandi cupiditatem provectum esse, seque comparatis inde viribus auctum fuisse, lege cavit, ut, qui Praetor fuisset, non plus quam annum, qui Consul, non plus quam biennium provinciam obtineret, nullique omnino fas esset imperium longius prorogare.* E quibus advertis, quam praeclara lex ea fuerit, quippe quae neminem unum ad tantam potentiam promoveri sineret, ut plus unus posset quam universa respublica. Abram.

Idemque, cum actorum Caesaris] Convenerat inter percussores Caesaris, Antonium et reliquos, ut acta Caesaris publica concordiae caussa servarentur. Orator demonstrat, Antonium praecipua Caesaris acta, sive publica illa essent, sive privata, rescidisse. Idem.

Et in publicis] Bene lex in publicis actis numeratur. est enim ἀληθὲς δόγμα πόλεως, ut definit Plato. quo uno lex videtur a privilegio distingui, et leges de singulis latas idem Plato *στασιωτείας, seditionum seminaria,* vocat. Neque solum publica dicitur, quod liget universos et publica quadam necessitate devinciat, sed etiam quod a populo, aut a principe auctoritatem obtinente publicam sanciatur. Idem.

In publicis actis] Dictio *actis* delenda, et subaudienda a praecedentibus vox *rebus.* et paulo post iuxta fidem non quidem huius antiqui exemplaris, quod mendose indicio meo habet, *populus R.*, sed aliorum librorum lego *reip. tertiam pensionem.* Faernus. Etiam ex Vatic. legendum forte, *rescindit*: nam quotidie rescindebat Antonius. Sed nihil muto. Gar.

in privatis firmissimum est testamentum. Leges alias sine promulgatione sustulit: alias ut tolleret, promulgavit. Testamentum irritum fecit: quod

In privatis firmissimum est testamentum] Immo, ut scribit Papinianus D. Qui testam. fac. poss. l. 3: *Testamenti factio non privati, sed publici iuris est.* Abram.

Leges alias] Alias Caesaris leges antiquavit legibus contrariis, quas ne promulgaverat quidem, sed ex improviso tulerat, ut legem illam de numero annorum provinciis prorogando. Phil. 5: *Num etiam hanc legem populus Romanus accepit? quid? promulgata fuit? nonne ante lata quam scripta? nonne ante factam vidimus, quam futuram quisquam est suspicatus?* etc. Idem.

Alias ut tolleret promulgavit] Extra Col. sic reliqui a. l. *Alias ut tolleret, promulgatas promulgavit.* quod minime displicet: ut sit, Alias leges sustulit sine promulgatione: ut tolleret alias, promulgavit promulgatas, quas Caesar scilicet ante promulgarat, et tulerat. De hac re in prima, *Ac de his tamen legibus, quae iam promulgata sunt, saltem queri possumus: de his, quae iam latae dicuntur, ne illud quidem licuit.* Ferrarius. *Alias ut tolleret promulgavit*] Vulgo, *alias ut tolleret promulgatas, promulgavit.* Placuit cum Lambino et aliis viris doctis vocem *promulgatas* inducere, quod sensum vel obscurare, vel vitiare videatur. Sensus enim est, Antonius alias leges Caesaris sustulit cum promulgatione legis contrariae. Abram. *Promulgatas* sustulerunt auctoritate Vaticani codicis Faërnus, Muretus, Manutius, Abramius. Sed id retinent omnes libri nostri, ut et Ferrarii, et Palatini. nec sane tollendum est, alioquin claudicat sententia, et perit totius περικοπῆς ἐνέργεια. Si enim scribas cum Faërno et Lambino, *alias ut tolleret, promulgavit,* non additur, quid promulgatum sit: necessario fuisset addendum, *alias ut tolleret, alias promulgavit.* Dein perit illa pervenusta oppositio, si Vaticano subscribimus, sine promulgatione sustulit, et promulgatas sustulit. Est autem elegans παρονομασία, *alias, ut tolleret promulgatas, promulgavit.* et ab hac repetitione syllabarum *promulga* orta est labes, quae Vaticanum corrupit. Graevius. *Alias ut tolleret promulgatas*] Ita Victorius, et Gruterus, ut habent Graevii codices, et nostri. Male in vulgatis omittitur vox ultima. Lallem. Iudicium Ferrarii, Manutii, Car. Stephani, Gruteri, Graevii, Verb. Heusing. et Lallemandi requiro, quibus bella visa est additio plurimorum codicum, *promulgatas,* cum ea, si qua umquam alia, sit ineptissima. Quid enim? si tulit has leges Caesar, cur *promulgatae* dicuntur? nam id verbum de iis legibus usurpari, quae

etiam infimis civibus semper obtentum est. Si-

in publico proponuntur, ut statuere unusquisque possit, quale de iis suffragium ferat, in vulgus est notum. Sin autem Caesar non eas tulerat, sed tantum promulgaverat, quidnam, ut eas tolleret, promulgare oportebat Antonium? nullam enim erant umquam vim habiturae, nisi ferrentur. Sed ex plurimis a C. Caesare perlatis legibus M. Antonius Cos. nonnullas sustulit suis rogationibus: ac partim quidem tam gratas, tam utiles, tam denique aperte sustulit, ut promulgatione, ne forte impediretur, uti noluerit, de qua violentia queritur Cicero etiam I. 10. et V. 3. alias vero nondum sustulerat, sed promulgationes eiusmodi fecerat, quibus per consequens magis, quam directo, illae tollebantur, simulque populo se, ac militibus venditabat. Confer I. 8. et 9. Valeat itaque additio illa, quam Barb. ambo, et plerique codices habent a malo interprete: credatur omnino paucis, sed omnium optimis, Vaticano, et Colotiano eam ignorantibus; quibuscum tamen faciunt veteres edd. Rom. Ven. Ald. Naug. Cam. et Gryph. quarum ad lectionem redierunt Faërn. Mur. Lamb. Aldus nepos, Abram. et Olivet. Neque obstat, *promulgavit* absolute positum esse, quod neque hic Graevius, neque in Livio XLII. 19. Drak. concoquebat. Ac Livii quidem causa expeditior; cuius locus est Tulliano illi geminus post red. in Sen. 2. *cum meus inimicus promulgavit, ut, si revixissent ii, qui haec paene delerunt, tum ego redirem.* Sed hic etiam *leges* subaudire pronum est; quia praesertim ea vox ambigue, atque invenuste repetita fuisset, ut leges Antonii significaret, postquam proxime designaverat leges Caesaris. Pro Sulla 22. *talem hunc in ista rogatione, quam promulgavit, non de tollenda, sed de levanda calamitate fratris sui, fuisse, ut consulere voluerit fratri, cum repugnare noluerit, promulgarit impulsus amore fraterno, destiterit fratris auctoritate deductus.* Ita l. c. in Sen. *promulgare de salute*, et pro Sext. 32. *de reditu*, nempe legem: adde in Pis. 15. *de me cum omnes magistratus promulgassent.* Praestabat omnino, ut auditori relinqueretur complenda sententia, quam cuivis erat complere facillimum. Est autem totius loci βραχυλογία sic explicanda. *Leges* (Caesaris) *alias* (suis) *sine promulgatione* (latis) *sustulit: alias ut tolleret*, (suas iam) *promulgavit.* Nisi forte interpretari mavis: alias ut tolleret, promulgationes iam fecit. GARATON. Eandem vocem iam Ern. pro glossa habuit, ideoque in textu omisit: item Schütz. Teeg. et Gud. omittunt *promulgatas.*

Obtentum est] Servatum, custoditum, ratum, non mutatum. Sic pro Quinct. 25. extr. *ut omnes intelligant, non ad obtinendum*

gna, tabulas, quas populo Caesar una cum hortis legavit, eas hic partim in hortos Pompeii deportavit, parim in villam Scipionis.

XXXXIII. Et tu in Caesaris memoria diligens? tu illum amas mortuum? quem is honorem maiorem consecutus erat, quam ut haberet pul-

mendacium, sed ad verum probandum, auctoritatem adiuvare. Mendacium obtinetur, quando valet, eique creditur. III. de Offic. 18. *L. Minucii Basili, locupletis hominis, falsum testamentum quidam e Graecia Romam attulerunt: quod quo facilius obtinerent, scripserunt heredes secum M. Crassum, et Q. Hortensium.* HEVSING.

Vna cum hortis] Tranquillus in Iulio cap. 83: *Populo hortos circa Tiberim publice, et viritim trecenos sestertios legavit.* Idem alii scribunt: nullam tamen signorum aut statuarum habes mentionem. Crediderim hortos instructos a Caesare fuisse legatos, quibus etiam signa et statuae continentur, ut scribit Vlpianus D. de instructo legato, l. 12, §. 36: *Imagines quoque hae solae legatae videntur, quae in aliquo ornatu villae fuerunt.* ABRAM.

In villam Scipionis] In Tiburtinum Metelli Scipionis. IDEM.

Et tu in Caesaris memoria diligens] Quia videri volebat M. Antonius diligens in honoranda Caesaris mortui memoria, ut hoc pacto veteranos sibi conciliaret, eorumque confirmatus opibus suam potentiam stabiliret, remque publicam occuparet, prudenter Orator eum ostendit non Caesaris demortui, sed sui lucri habere rationem. IDEM.

Tu illum, tu illum amas mortuum?] Auctoribus o. l. v. haec verborum geminatio tollenda est: et mehercule, si diligenter attenderis, te offendet: siquidem fit in secundo membro. FERRARIVS. Sustulerunt omnes iam inde a P. Man. neque imo iterationem hanc Rom. ac Ven. agnoscunt, sed exstat in utroque Barb. GARATONI

Pulvinar] Pulvinaria Diis attributa, quod eorum simulachra in pulvinaribus ponerentur. Notum illud e Livio, Cicerone, aliis passim: *ad omnia Deorum pulvinaria supplicare.* Erant autem, ut scribit Servius, lectuli diis dicati, qui in templis sternebantur. Vnde lectisternium. Livius lib. 22: *Curatum lectisternium, et per triduum habitum, duumviris sacrorum curantibus. Pulvinaria in conspectu fuere Iovi et Iunoni: alterum Neptuno et Minervae,* etc. vide lib. 5. Notat vero Casaubonus in Tranquillum ex Interprete Pindari in primam Odam Olymp., ex Æmilio Probo in Timotheo, Pausania Arcadicis et Phocicis, Valerio Maximo lib. 2., item ex Athenaeo de Themisone divinos honores sibi usurpante, notat, inquam, non Romani solum,

vinar, simulacrum, fastigium, flaminem? est ergo flamen, ut Iovi, ut Marti, ut Quirino, sic divo Iulio M. Antonius? Quid igitur cessas? cur non inaugu-

sed etiam Graeci moris fuisse, ut Diis pulvinaria sternerentur. Addere potuisset Theocritum Eidyllio 14:

Ἔστρωται κλίνα τῷ Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἄλλα.
Τὰν μὲν Κύπρις ἔχει, τὰν δ' ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις.

Est alter pulchro constratus Adonidi lectus.
Alterum habet Venus, alterum habet formosus Adonis. ABRAM.

Simulacrum] Non obiicit statuas, quae passim et citra invidiam viris illustribus excitatae, sed simulacra. ea porro videtur fuisse inter statuam et simulacrum distinctio, quod statua sive effigies hominum esset, simulacrum Deorum. Plinius lib. 34, cap. 2. aperte distinguit: *Pervenit deinde ad Deum simulacra, effigiemque hominum.* Cap. 2: *Romae simulacrum ex aere factum Cereri primum reperio ex peculio Sp. Cassii, quem regnum affectantem pater ipsius interemerat. Transit et ab Diis ad hominum statuas, atque imagines.* Rursum cap. 7: *Mirumque mihi videtur, cum statuarum origo tam vetus in Italia sit, lignea potius aut fictilia Deorum simulacra in delubris dicata.* Plinius Iunior in Panegyrico: *Itaque tuam statuam in vestibulo Iovis Opt. Max. unam alteramve, et hanc aeream cernimus: at paullo ante aditus omnes, omnes gradus totaque area, hinc auro, hinc argento relucebat, seu potius polluebatur, cum incesti principis statuis permixta Deorum simulacra sorderent.* Non igitur statuas obiectat Orator, quae viris, foeminis, civibus, externis, amicis, hostibus pene sine ullo discrimine ponebantur. Vide Plinium lib. 34, c. 6, et Dionem lib. 60. Simulacrum autem fuit aliquid amplius humano fastigio, quod eum caeteris humanum modum excedentibus Tranquillus cap. 76. ei decretum fuisse tradit a Senatu: *Sedem auream in Curia et pro Tribunali, thensam et ferculum circensi pompa, templa, aras, simulacra iuxta Deos, pulvinar, flaminem, lupercos,* etc. Fuerunt autem aliquot simulacra, quae Caesarem in invidiam adducere potuerunt. Dio libro 43: *Currum ipsi e regione Iovis in Capitolio fuisse collocatum, ipsum quoque imagini orbis terrarum impositum cum inscriptione* SEMIDEUS [illegible]. Item: *Statuamque tunc eburneam Caesaris, ac post thensam in circensibus pompis cum Deorum simulacris vehi iusserunt. Aliamque imaginem cum inscriptione Dei invicti in Fano Quirini posuerunt: aliamque iterum in Capitolio inter Reges, qui quondam Romae regnaverant.* Libro 44: *Vtque in omnibus urbibus omnibusque*

Romae templis eius statua poneretur, decreverunt. In ipsis Rostris duas ei statuas collocarunt, civica unam, alteram obsidionali corona insignem; quasi et cives ab interitu, et urbem ab obsidione liberasset. Videtur autem ea inter statuas hominum et simulacra Deorum fuisse diversitas, quod simulacrorum capita quoddam veluti diadema radiatum circumdaret, statuarum non item. unde Papinius 1 Thebaidos:

> *— licet ignipedum frenator equorum*
> *Ipse suis alte radiantem crinibus arcum*
> *Imprimat. —*

Tranquillus in Augusto cap. 94 de Octavio patre: *Videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine et sceptro exuviisque Iovis Opt. Maxim. ac radiata corona, super laureatum currum, bissenis equis candore eximio trahentibus.* ABRAM.

Fastigium, flaminem] L. scripti in magna varietate versantur: nam partim *fastidium*, partim *festigium*, nonnulli tamen *fastigium*: et hoc quidem recte. L. Florus indicat: *Itaque non ingratis* (inquit) *civibus omnes in Caesarem congesti honores, circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona, suggestus in curia, fastigium in domo:* ut fortasse, quod nostra lingua Baldachinum, *fastigium* Latina nominaretur, a forma (ut opinor) ducto nomine. FERRARIVS. *Fastigium*] Achilles Statius observationum cap. 4. Fastigium, inquit, dici arbitror cellam Deo dicatam, in qua numen eius colitur: ea vero forma ac figura, ut ad fastigiatum apicem culmenque consurgat. 9 Æneidos:

> *Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.*

3 de Oratore: *Capitolii fastigium illud et caeterarum aedium non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est.* Arnobius lib. 6 adversus gentes: *Quid quod multa ex his templa, quae tholis sunt aureis, et sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, et functorum esse corporum sepulturas?* Id igitur Caesaris honori delatum est, ut, tanquam in aede sacra, sic in eius domo fastigium poneretur. Florus lib. 4, cap. 2: *suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in coelo.* Plutarchus in Caesare: *Erat enim domui Caesaris ex Senatus decreto impositum ornatus splendorisque caussa quoddam velut fastigium. Hoc in somnio Calpurnia cum fractum vidisset, lugere visa est et lacrymari.* Suetonius in Iulio: *Calpurnia uxor imaginata est, collabi fastigium domus: maritumque in gremio suo confodi.* E quibus infert P. Victorius lib. 17. Var. lect. cap. 18: Sic idem igitur est fastigium, quod ἀκρωτήριον, ἀκρωτήρια Graeci vocant, simulacra quaedam hominum, aut aliarum animantium, quae in summis partibus collocantur. Hesychius lexico, ἀκρωτήρια τὰ ἐπάνω τῶν ναῶν ζῶδια

ἀνατιθέμενα. Plinius lib. 35, cap. 12. agens de plastice: *Dibutadis inventum est rubricam addere, aut ex rubrica cretam fingere: primusque personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quae inter initia protypa vocavit. Postea idem ectypa fecit: hinc et fastigia templorum orta.* Abram. *Fastigium* non est cella Deo dicata, sed tectum fastigatum, quod solis templis imponebatur, cum aliarum aedium tecta essent plana. Graecis etiam *ἀέτωμα* dicitur. Itaque cum Caesaris domui fastigium decerneretur, divini ei honores decernebantur, significabaturque, Caesarem praesens Numen esse habendum, et eius domum esse templum. Graev. Vide Ind. Ernesti. Gar.

Flaminem] Dio lib. 44: *Denique ipsum Iovem Iulium palam nominarunt, templum ei Clementiae dedicari iusserunt, sacerdotioque eius Antonium quasi Flaminem Dialem aliquem praefecerunt.* Abram.

Est ergo flamen] Summa cum indignatione Antonium invadit, qui Caesari tam abiecte fuerat adulatus, ut etiam sacerdotium eius honori dicatum ambiverit. Videtur autem Antonius id sacerdotium Caesare vivo petiisse, atque etiam impetrasse, sed post necem Caesaris, quae, priusquam Antonius flamen inauguraretur, obtigerat, inaugurari noluisse. Notant interpretes, hinc etiam indignationem augeri, quod Antonius Caesaris tyrannidem vellet imitari. Sed stomachosior etiam illa comparatio, ut Iovi, ut Marti, ut Quirino: qui tres Dii suos flamines, Dialem, Martialem, Quirinalem a se dictos, habuerunt. Idem.

Vt Quirino] Duo Quirini fuerunt. Dionysius Halicarnass. lib. 2: *Enyalium Sabini, eosque secuti Romani Quirinum nominant, nondum satis certi, Marsne is sit an alius quispiam, cui similes Marti honores deferantur.* De recentiore Quirino res est notissima. Festus, *Curis est Sabine hasta. unde Romulus Quirinus, quia eam ferebat, est dictus: et Romani a Quirino Quirites dicuntur.* Idem.

Quid igitur cessas?] Hortatio sive potius insultatio ironica. Idem.

Cur non inaugurare] Cur non Sacerdos et Flamen Iulius per augurem certis quibusdam ritibus consecraris, divinoque Caesaris cultui dedicaris? Inaugurari dicuntur, qui certis quibusdam ritibus et cerimoniis initiantur, ac sacerdotio deputantur. Noster initio libri de claris Oratoribus, de Hortensio: *Interitu talis Auguris dignitatem nostri collegii deminutam dolebam: qua in cogitatione, et cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum ab eodem: ex quo Augurum institutis in parentis eum loco colere debebam.* Inaugurari autem dicuntur, quod augurem his initiationibus adhibebant, isque augur, quantum e Plutarcho in

rare? Sume diem: vide, qui te inauguret: collegae sumus; nemo negabit. O detestabilem hominem, sive quod tyranni sacerdos es, sive quod mortui! Quaero deinceps, num, hodiernus dies qui sit, ignores.

Numa colligi potest, *Retro assistens, et dextera manu inaugurandi caput attingens, precabatur*, etc. vide. Carmina vero certumque praecationum genus habuisse constat ex Iulio Capitolino in Marco Philosopho: *Fuit in eo Sacerdotio et Praesul, et Vates, et magister, et multos inauguravit, atque exauguravit, nemine praeeunte, quod ipse carmina cuncta didicisset.* Idem.

Sume diem] Elige, quo die velis inaugurari, elige unum augurem e toto collegio, qui capiti tuo dextram imponens te consecret. Id eo facilius impetrabis a nostro collegio, quod tu ipse es augur, et in nostrum collegium cooptatus. Idem.

Sive quod tyranni sacerdos es] Vatic. pro *tyranni* habet *Caesaris* ab interprete: caret autem verbo *es*, quod ne gravemur abiicere, manus in eo recentior adposuit *est*. Sic enim fit utrumque infirmius. Gar.

Quaero deinceps] Legem tulerat Antonius, ut ad illos dies quatuor, quibus ludi Romani celebrabantur in Circo, quintus dies in honorem Caesaris adderetur, eiusque pulvinar et simulacrum cum caeteris Deorum simulacris in pompa ferretur. Sed post Caesaris necem Consul Antonius passus non est post quatuor dies ludorum Romanorum quicquam in honorem Caesaris addi, eiusque simulacrum tanquam numinis alicuius in pompa deferri. Ne tamen omnem mortui memoriam oblitterasse videretur, Caesaris nomine supplicationem instituit: quod Cicero reprehendit, docetque, religionem non tantum pulvinaribus et ludis, sed etiam indicta supplicatione violari. Abram.

Num hodiernus dies quis sit ignores] *Qui sit*, o. l. s. ut in Verr. *Qui esset ignorabas: speculatorem esse suspicabare.* Et Var. *Ab suis qui sit ignoratur.* Ferrar. *Hodiernus dies qui sit*] Videndum, quo die habita haec videatur oratio. Tullius cum in Graeciam ire statuisset, mutato consilio Romam repetiit mense Sextili, qui nunc Augustus nominatur, et III. Nonas Septembres primam habuit in Senatu Philippicam, qua de hesterna Antonii iniuria moderate conquestus est. Vide 1. Philipp. cap. 4 et 5. etc. 5. Philipp. c. 7. Antonius cum decem et septem dies de Cicerone declamitasset in villa Tiburtina Scipionis, ad decimum tertium Kalendas Octobris in Senatu iussit adesse Ciceronem: non accessit quidem Cicero, sed in absentem declamavit Antonius. Quo die quartus agebatur ludorum Romanorum in Circo dies, ut indicat vetus illud Kalendarium Roma-

nescis; heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum

num antiquum e marmore, quod Romae reperiri tradunt in aedibus Maffeiorum ad Agrippinum, et a Paulo, Aldoque Manutiis, ab Huberto Goltzio, Ioanne Rosino, aliisque passim descriptum est. Antonianae autem orationi quando responderit Orator, non liquet. Manutius orationem hanc scriptam tantummodo, non etiam pronuntiatam fuisse arbitratur, quod eam sero tandem ausus fuerit in lucem emittere, epist. 11, lib. 16. ad Atticum: *Atque utinam eum diem videam, cum ista oratio ita libere vagetur, ut etiam in Siccae domum introeat.* Quidquid sit, ita scripta est, quasi habita fuerit duodecimo Kalendas Octobres, postridie quam in ipsum abscutem invectus fuerat Antonius: qui dies in eodem Kalendario quintus ludorum Romanorum in Circo signatus est. ABRAM. Orationem hanc Tullius certe non recitavit: sed habitam finxit eo ipso die, quo ab Antonio iussus adesse, in Senatum armorum metu non venit, et quo in ipsum dixit Antonius, h. e. XIII. Kal. Octobris, qui dies non quartus erat, sed quinctus ludorum Romanorum in Circo. Porro *qui sit* etiam Vatic. et ambo Barb. GARATON.

In Circo] Signanter ad eorum ludorum discrimen, qui absolute *ludi Romani*, per novem dies eodem mense celebrati a pridie Nonas ad Idus Septembres, ut ex eodem Kalendario compertum est. Mox duobus tantum diebus interiectis ludos hos Romanos in Circo faciebant. Quando autem hi posteriores fuerint instituti, non satis liquet. P. Manutius act. 1. in Verrem nondum fuisse institutos, quo tempore accusatus est Verres, prudenter colligit ex iis Oratoris verbis: *Nonae sunt hodie Sextiles: decem dies sunt ante ludos votivos, quos Cn. Pompeius facturus est: hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuo Romani consequentur, ita prope XL diebus interpositis, tum denique se ad ea, quae a nobis dicta erant, responsuros esse arbitrantur.* ABRAM. Quod Manutius existimat, post Verris accusationem ludos Romanos Circenses fuisse institutos, incertum est, nec demonstratum ab eo satis: quin etiam contra potest ipse ex Tullio coniectura duci, qui V. in Verr. 14. Romanos magnos dicit esse *ludos, qui primi Romani sunt nominati;* unde alios exstitisse, qui Romani nominarentur, recte colligit celeb. Mazochius ad Tab. Heracl. p. 357. Cur non eo loco, ut hoc nostro, Romani magni distinguuntur a Romanis in Circo? Sed in hac distinctione aliud est Manutii argumentum, qui Tullium observat I. Act. in Verr. 11. *binos ludos* dixisse, non tres: et sic etiam I. Accus. 11. et Asconius, qui tamen magnos cum Circensibus perperam confundebat. Certe illi *bini* sunt votivi, et Romani. Me vero magis movet hic

fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus praeterea dies Caesari tribueretur? cur non sumus praetextati? cur honorem Caesari tua lege datum deseri patimur? An supplicationes addendo diem contaminari passus, pulvinaria noluisti? Aut undique reli-

locus, in quo versamur, et biduum illud, quod inter utrosque Romanos, ut in diversis ludis fiebat, in Kalendario intercedit. Poterant autem eo iam tempore Circenses, sed alio mense, committi. Verumtamen non ego quidem mirarer, si tum distinguerentur, cum accurate loqui oportebat; vulgo autem commiscerentur, et Romanorum nomine utrique venirent simul, cum et Romani utrique nominarentur, et coniuncti tempore ita essent, ut Circenses magnorum appendix aut essent, aut viderentur. GARATON.

Te autem ipsum] *Te ipsum autem*, Lang. et Scalae. FERRAR. Binos hos codices, aliis fortasse quibusdam accedentibus, secuti sunt P. Man. Car. Steph. repet. Lamb. Grut. Verb. Oliv. ac Lallem. Quam rectum id sit, vide ad c. 2. pro Coel. Sed infirmum hoc loco est: nam libri meliores cum Graevio, et Heusing. faciunt, quibus Barb. ambo, Gryph. et ante P. Man. editi accedunt. GAR.

Cur non sumus praetextati] Manutius ex his verbis effici putat, Senatores in ludis fuisse praetextatus. Vix assentior: neque enim solum Senatores fuerunt Cicero et Antonius, sed etiam Augures, eoque nomine praetextae ius habuerunt. IDEM. Vide Ferrar. de Re Vestiaria lib. 2, cap. 4, partis primae. qui contra hanc Abramii sententiam haec affert: quamvis ea vera esset, opus tamen esset ostendere, augures non nisi ludis ius praetextae tunc habuisse, cum tamen eos perpetuo gestasse praetextam cum reliquis sacerdotibus credi par sit. Illud, addit, propius vero, Antonium, cum legem ferret de addendo die quatuor diebus ludorum, tulisse etiam ad populum, ut in maiorem Caesaris honorem Senatores praetextati spectarent. Vel certe, quod crediderit Manutius, forte hoc proprium fuisse ludorum Romanorum, ut praetextati Senatores spectarent. Vide ibi plura, et in Analectis cap. 44. GRAEV.

Cur honorem Caesari] In Vatic. est *Caesaris* aeque recte; in eodem infra, *Quaeris, placeatne mihi etc.* GAR.

Passus es] *Es* a l. v. abest. FERRAR. In Vaticano non modo *passus es* legitur, verum etiam certiore glossemate, *pulvinaria contaminari noluisti?* quo magis, ut verum fatear, suspectum mihi fit verbum *es*, quod porro etiam ab utroque Barb. omittitur, a P. Man. et a Car. Steph. neque necessarium est, imo abest elegantius. Sic infra c. 45.

gionem tolle, aut usquequaque conserva. Quaeres, placeatne mihi pulvinar esse, fastigium, flaminem. Mihi vero nihil istorum placet. Sed tu, qui acta Caesaris defendis, quid potes dicere, cur alia defendas, alia non cures? nisi forte vis fateri, te omnia quaestu tuo, non illius dignitate metiri. Quid ad haec tandem? exspecto enim eloquentiam tuam. Disertissi-

multos annos regnare meditatus, magno labore, multis periculis, quod cogitarat, effecerat: ubi deteriores quique libri, *est meditatus.* Sic in SCo apud Vlpian. V. Pand. 3. 20. §. 6. *de his, quae Imp. Caesar etc. Hadrianus etc. proposuit V. Nonas Martias, quae proximae fuerunt, libello complexus esset, quid fieri placeat:* ubi *esset* tamquam suspectum notavit Taurellius, alii autem libri recte plane, ut oportuit, omiserunt, quos Gutherium I. de Offic. Dom. Aug. 13. inter ceteros secutum video. Garaton. Puto vocem esse omittendam, quanquam eam reliqui editores omnes retinuerunt. Paullo post Ern. *acta Caesaris* ab hoc sermone de sacris aliena esse putat. At inflectit hic orator orationem suam, et affert id, quo cuncta referri velit, sc. ut intelligatur, Antonium, quaecunque agat et acturus sit, quod attinet ad Caesarem, omnia metiri quaestu suo.

Quaeres, placeatne mihi] Occupatio prudens, ne has impietates et assentationes probare videatur, qua ita sibi displicere dicit pulvinar illud Caesari decretum, fastigium et flaminem, ut nihilo secius inconstantiam Antonii reprehendat, qui haec non curabat, cum alios honores Caesari tributos summa contentione defenderet. Abram.

Nisi forte vis fateri] Veram illius inconstantiae caussam profert, quia videlicet Antonius illos honores vivo Caesari sua lege dederat, ut in eius gratiam irreperet, et hac adulatione quaestum faceret: eo mortuo, nihil horum curabat, nisi quod in suum commodum redundare posset. Idem.

Quid ad haec tandem?] Quid respondebis ad obiecta? Quae potest obiectorum esse defensio? *Cupio audire, ut videam, ubi Rhetoris tanta merces, ubi Campus Leontinus appareat.* et cum avum tuum M. Antonium disertissimum oratorem adolescens cognoverim, cupio scire, utrum tu illius eloquentiam imiteris. Idem.

Expecto eloquentiam] *Expecto enim eloquentiam,* o. l. v. Ferrar. Omittunt *enim* ambo Barb. Ferrett. meique ante P. Man. editi, sed recte additur, firmante Vaticano. Gar.

Disertissimum] De eloquentia Antonii oratoris fuse, tum libris de Oratore, tum in Bruto, tum etiam alibi passim. Quomodo

mum cognovi avum tuum. at te etiam apertiorem in dicendo. Ille numquam nudus est concionatus: tuum hominis simplicis pectus vidimus. Respondebisne ad haec? aut omnino hiscere audebis? Ecquid

autem eloquens differat a diserto, ipse Antonius explicat lib. 1. de Oratore: *Scripsi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente et invito excidit, et pervenit in manus hominum, disertos me cognosse nonnullos, eloquentem adhuc neminem: quod eum statuebam disertum, qui posset satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere: eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare, quae vellet, omnesque omnium rerum, quae ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret.* Eadem rursum in Oratore perfecto, non longe post initium. Abram.

At te etiam apertiorem] Iocus ex ambiguo, quo carpit corporis nuditatem, cum perspicuitatem orationis laudare videatur. Idem.

Ille numquam concionatus est nudus] *Ille numquam nudus est concionatus*, libri veteres. Ferrar. Barb. ambo, *ille numquam est conc. nudus:* alii apud Lamb. *ille numquam est nudus conc.* omnes ante P. Man. *conc. est nudus:* postea nemo, excepto Ferretti adstipulatore Gryphio MDL., a libris Ferrarii discessit, quibus Vatic. accedit. Gar.

Ille nunquam nudus] M. Antonius Orator nunquam nudus est concionatus, ut tu fecisti, cum Lupercalia celebrares, nudusque per urbem discurreres: tunc enim Caesaris capiti imposuisti diadema, misericordiam captasti, supplex te ad pedes eius abiecisti, petiisti, ut diadema illud acciperet. Abram.

Respondebisne ad haec?] *Respondere*, nonnulli l. v. Ferrar. Barberini, Vaticanus, et mei omnes editi vulgatam servant. Plinius tamen Paneg. LXXVI. 3. *At quis antea loqui, quis hiscere audebat?* quem locum adfert Abram. Boëthius II. Consol. pr. 3. *quid profecto contra hisceres, non haberes.* Gar.

Hiscere audebis?] Fauces aperire ad loquendum. Plinius Panegyrico Traiani: *Quis antea loqui? quis hiscere audebat?* Accius Armorum Iudicio apud Nonium:

Hem vereor, plus quam fas
est captivum hiscere.

Quod ille dicit esse *proprie loqui.* Sed Virgilius, opinor, non paulo melior Latinitatis interpres, huius vocis proprietatem expressit 3. Æneidos:

— vix pauca furenti
Subiicio, et raris turbatus
vocibus hisco.

6. Æneidos:

— pars tollere vocem
Exiguam, incoeptus clamor
frustratur hiantes.

Abram.

reperies ex tam longa oratione mea, cui te respondere posse confidas?

XXXXIV. Sed praeterita omittamus. Hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, si potes. Cur armatorum corona Senatus septus est? cur me tui satellites cum gladiis audiunt? cur valvae

Ex tam longa oratione, cui te respondere confidas?] *Ex tam longa oratione mea, cui te respondere posse confidas?* omnes l. v. Ferrar. Naugerius primus addidit *mea*, et *posse*, omnibus obtemperantibus, quae desunt in prius editis, et in utroque Barb. sed in Vatic. exstant: quamvis Muretus non modo illud utrumque, sed etiam pronomen *te* praetermiserit. Gar.

Sed praeterita] Verum esto, concedamus hoc tibi, ut non debeas sordidae pueritiae, impurae adolescentiae, reliquae vitae sceleratae, et nefariae, tuae illius intercessionis, ex qua civile bellum exarsit, caeterorum facinorum, et flagitiorum reddere rationem: at saltem aliquem excogita praetextum, et colorem, cur armatos homines in Cella Concordiae hoc ipso die collocaris. Quod factum variis modis exponit, ut hac expositione acrius instet, et urgeat adversarium. Abram.

Hodiernum diem] Iam hunc modum loquendi tractavimus oratione pro Marcello, diximusque eum ex Graecorum imitatione profluxisse. Occurrit modo Dio Chrysostomus orat. 47: *Νῦν μὲν ἄπεισι μετὰ τὴν τήμερον ἴσως ἡμέραν. Nunc quidem abit post hodiernum fortasse diem.* Et Polyaenus stratag. lib. 7. de Cyro, qui uno die Persas attriverat, sequenti convivio exceperat, *Καὶ μετὰ τὴν εὐωχίαν ἤρετο, ποτέρα κρείσσων ἡμέρα. οἱ δ' ὡμολόγησαν τῆς χθὲς τὴν σήμερον τόσῳ κρείττονα, ὅσῳ κακοδαιμονίας εὐδαιμονίαν. Finito convivio, rogavit eos, utram diem meliorem existimarent. at illi hodiernam tanto meliorem, quanto felicitas miseriis praestet, fuisse confessi sunt.* Idem. Vatic. *Hunc unum diem, unum, inquam, hodiernum diem:* neque sane iterare *hunc* oportebat, cum diceretur, *hodiernum.* Vaticano Muretum video paruisse. Gar.

Armatorum corona] Vide Notas nostras in Milonianam: *Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus.* Abram.

Valvae] Servius: *Fores proprie dicuntur, quae foris aperiuntur, sicut apud veteres fuit: Valvae autem sunt, ut dicit Varro, quae revolvuntur, et se velant: Ianua vero est primus domus ingressus, dicta, quia Iano consecratum est omne principium: caetera inter ianuam*

Concordiae non patent? cur homines omnium gentium maxime barbaros, Ituraeos, cum sagittis deducis in forum? Praesidii sui causa se facere dicit. Nonne igitur millies perire est melius, quam in sua civitate sine armatorum praesidio non posse vivere?

ostia vocantur generaliter, *sive valvae sunt*, *sive fores*. Clarius Isidorus lib. orig. 15, cap. 7: *Fores et valvae claustra sunt*, *sed fores dicuntur*, *quae foras*, *valvae*, *quae intus revolvuntur*, *et duplices complicatilesque sunt*: *sed generaliter usus vocabula ista corrumpit*. IDEM.

Concordiae] Multae fuerunt aedes Concordiae, nobilissima illa post Gracchi necem a L. Opimio in foro excitata. de qua pro Sextio: *Cuius monumentum celeberrimum in foro*. Caesari etiam, ut scribit Dio libro 44: *Νεών τε ὁμονοίας καινῆς, ὡς καὶ δι᾽ αὐτοῦ εἰρηνοῦντες, οἰκοδομῆσαι καὶ πανήγυριν αὐτῇ ἐτησίαν ἄγειν ἔγνωσαν*. *Novae Concordiae templum aedificari*, *annuumque festum celebrari iusserunt*, *ob pacem reipublicae virtute Caesaris restitutam*. Sed de illa priore intelligendus Orator ex illis verbis: *Cum in hac cella Concordiae*, *o Dii immortales*, *in qua*, *me Consule*, *salutares sententiae dictae sunt*, *cum gladiis homines collocati stent*. IDEM.

Ityreos] Vide supra: *Dum confiteare*, *hunc ordinem*, *hoc ipso tempore*, *ab Ityreis circumsideri*. ABRAM. De huius nominis orthographia diximus ad c. 8. Barb. ambo, ut ibi, *Itireos*, Vatic. *Ytyreos*. GAR.

Praesidii sui causa] Eam praeparati praesidii caussam reddebat Antonius, quod multorum appeteretur insidiis. hinc Orator occasione sumpta sensim ad perorationem delabitur. ABRAM.

Nonne igitur millies] Commode colorem sive defensionem Antonii in crimen convertit, et inde arripit occasionem perorandi, eumque metum ostendit ex scelerum conscientia proficisci, quibus ille cives suos oppresserat, et eam ob caussam eorum insidias metuebat. Plutarchus in Caesare: *Monentibus eum amicis stipatoribus*, *ut cingeret se*, *multisque ad hoc se offerentibus*, *non sustinuit*, *praestare dicens semel mori quam semper timere*, *charitate vero et benevolentia sepiens se tanquam pulcherrimo et firmissimo praesidio*. etc. vel, ut eius dictum refert Appianus: οὐδὲν ἀτυχέστερον, ἔφη, διηνεκοῦς φυλακῆς. ἔστι γὰρ ἀεὶ δεδιότος. *Respondit*, *nihil miserius continua custodia*: *id enim esse semper timentis*. Velleius: *dictitans*, *mori se quam timeri malle*. IDEM.

Sine armatorum praesidio] *Sine armorum*, Lang. FERRARIVS. *Sine armatorum praesidio*] Ita codices nostri. Muretus mallet e Vatic. *sine armorum praesidio*. LALLEM. Editiones tantummodo tres habent *armo-*

Sed nullum est istuc, mihi crede, praesidium. Caritate, et benivolentia civium septum oportet esse,

rum, MSi autem Lang. Barb. prim. ac tertius, opinor, Car. Steph. qui silens cum P. Man. et Mureto sic edidit. Commutari saepe invicem *armorum*, et *armatorum*, ut *scutorum*, et *scutatorum*, et, quod vidimus modo ad c. 41. *gladiorum*, et *gladiatorum*, docebit Drak. ad Liv. XXII. 37. Adde III. Phil. 12. Atque adeo multo saepius vox *armorum* in alteram mutata fuit, etiam ubi erat necessaria, ut apud Liv. XXVIII. 36. extr. Hic tamen non est quidem absurdum *armorum*, sed rectius, meo iudicio, retinetur *armatorum*. Quamvis enim eadem figura dicatur *armorum praesidium*, qua supra *stipatus armis* c. 3. et 39. quamvis I. Phil. 14. reprehendatur Antonius, qui *propter armorum habendorum licentiam metui velit:* tamen vox *praesidium*, cum de tutela corporis agitur, non sine causa stipatores ipsos solet adiunctos habere, non arma; ut pro Mur. 26. *descendi in campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum*, et apud Sallust. Catil. XXVI. 4. *circum se praesidia amicorum, atque clientium occulte habebat.* Alia est ratio sequentium: *caritate, et benivolentia civium septum oportet esse, non armis:* tum ad eorum imitationem, ut Lipsius putat, confecti loci Pliniani Paneg. XLIX. 3. *frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit; arma enim armis irritantur.* Quo etiam refer Mamertini verba ad Iulian. c. 21. quae Schwarzius adfert: *quid armis opus est, cum firmissimo sis muro civici amoris obseptus?* item illa Velleii II. 57. 1. *qui semper praedixerant Caesari, ut principatum armis quaesitum armis teneret.* In ipsam sententiam, praeter Tullium II. de Offic. . et alibi, liceat Nepotem addere in Dione V. 3. *nullum esse imperium tutum, nisi benevolentia munitum.* Sed, ut ad rem redeam, quod hic sequatur *armis*, eo magis praefero *armatorum:* atque omnem mihi dubitationem Vaticanus exemit, postquam eum consului, et mecum facere perspexi. Garatonius.

Caritate, et benivolentia] Vatic. *caritate te, et benivolentia*, quod iam recepit Lambinus: sed mihi magis placet generatim prolata sententia. Idem.

Caritate, et benivolentia] Plutarchus in Arato: *Nulla par sincerae et stabili benevolentiae viri in potestate positi custodia est.* et alia plura, sed operae pretium fuerit ipsum locum adiisse. Hac certe benevolentiae custodia Christianissimi Reges diu tuti fuerunt: tradit enim Franciscus Belcarius Pequillio primo commentario rerum Gallicarum: *Regios stipatores Ioanne huius nominis primo rerum potiente, sed frequente populo institutos.* Plinius Paneg.

Traiani: *Quanto nunc tutior, quanto securior eadem domus, postquam eius* (lego *aditus eius*) *non crudelitatis, sed amoris excubiis, non solitudine et claustris, (sed civium celebritate) defenditur? Ecquid ergo scimus experimento, fidelissimam esse custodiam principis ipsius innocentiam? Haec arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit, armis enim arma irritantur.* Themistius Euphrades orat. 5: *Est autem benevolentia timore validius atque inexpugnabilius praesidium. Nam benevolentiam vincere atque evertere, quod quidem sciamus, nunquam timor potuit: benevolentia vires opesque quamplurimas superavit.* Eadem repetit paucis mutatis orat. 9: *Nihil ad alliciendam benevolentiam efficacius benignitate, ac beneficentia: longeque id optimum est principi, amore ac gratia subditos allicere, non metu ac terrore dominari. Hoc enim fit, ut volentibus, illo, ut invitis ac detrectantibus dominentur. Et benevolentiam quidem viribus nunquam, benevolentia vero quamplurimas vires expugnatas atque eversas fuisse comperimus.* Dio Chrysostomus orat. 3. de Regno: *Amicitiam censet omnium suarum possessionum pulcherrimam et sanctissimam esse, neque sic turpe regno privari, neque ita periculosum indigere pecuniis, ut amicis. Neque enim ille expensis et exercitibus et alia potentia custodiret felicitatem ita, ut amicorum fide.* Paulo post: *Non est alia custodia, quam amari.* Item: *Arma et moenia et exercitus et civitates sine gubernantibus amicis neque utiles, neque conducibiles sunt, sed et valde periculosae: amici autem et sine his utiles sunt.* Synesius de Regno: *Ecquod vero tutius imperium est quam illud, quod amore et caritate munitur? Quisnam privatus, quantumvis mediocri conditione, securior aut ab insidiis tutior, quam rex ille, quem non metuunt, sed cui metuunt subditi?* Praeclare Cyrus apud Xenophontem libro 8. Cyri institutionis: *Non est aureum hoc sceptrum, quod regnum servet, sed amici multi sceptrum sunt regibus verissimum, et tutissimum.* Nihilo tamen minus etiam mercenarios custodes necessarios esse, contendit Simonides apud eundem in Tyranno Hieron. *Habesne quicquam, quod dicas de stipendiatis, quo minus habeamur ob illos odio? an dices principi, qui paravit civium benevolentiam, nihil iam opus fore satellitio? At, hercle, inquit Simonides, opus tamen fuerit. Nosti siquidem, quod in equis accidere solet, idem usu venire in quibusdam hominibus, ut, quo copiosius ipsis suppetunt necessaria, hoc evadant ferociores. Tales igitur magis reddit sobrios metus, quem adferunt satellites. Caeterum honestis ac bonis nulla ex re mihi videris tantum utilitatis prae-*

non armis. Eripiet, extorquebit tibi ista populus Romanus, utinam salvis nobis! Sed quoquo modo nobiscum egeris, dum istis consiliis uteris, non potes, mihi crede, esse diuturnus. Etenim ista tua mi-

stare, quantum praestas ex satellitio. Abram.

Eripiet, extorquebit] Populus Romanus haec arma, quibus circumfusus et stipatus es, e manibus tuorum custodum eripiet. Addit *utinam salvis nobis*, ut Antonium in maiorem invidiam adducat, quasi Senatum trucidasse decrevisset. Abram. Vatic. *eripiet, et extorquebit*, et ita Muret. Gar.

Sed quoquo modo] Sive nos trucidabis, sive nobis parces, quamdiu violentis consiliis uteris, non potes tuam potentiam ita stabilire, ut eam diu conserves. Abram.

Non potes esse, crede mihi, diuturnus] Sic nonnulli, *Non potes, mihi crede, esse diuturnus.* alii, ut Sc. *Non potes esse, mihi crede, diuturnus.* quod probo: alterum enim vincit iucunditate numeri, alterum concinnitate orationis. Ferrarius. *Diuturnus*] Sallustius orat. 1. ad Caesarem de Republica ordinanda: *Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna arbitror: neque quemquam a multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum aeternum et anceps gerere, quoniam neque adversus, neque a tergo aut lateribus tutus sit: semper in periculo aut metu agere: contra qui benignitate et clementia imperium temperavere, his laeta et candida omnia visa: etiam hostes aequiores, quam aliis cives.* Abr. *Mihi crede, esse diuturnus*] Ien. *crede mihi.* Sed ita numquam Cicero, nisi aliqua interposita voce, ut *crede igitur mihi:* etsi alii id non refugerunt. Hevsing. Barb. sec. et omnes ante P. Man. editi, *crede mihi, diuturnus.* At Barb. pr. cum aliquibus Ferr. cum P. Man. Car. Steph. et Grut. *mihi crede, diuturnus.* Sic modo: *sed nullum est istuc, mihi crede, praesidium.* Nihilominus clausulam *esse diuturnus*, quam hic servant alii MSi Ferr. Vatic. Lamb. etc., Tullio placuisse constat ex loco simili II. de Offic. 7. *Nec vero ulla vis imperii tanta est, quae premente metu possit esse diuturna.* Garaton.

Etenim ista tua] Fulvia tres habuit maritos, P. Clodium, C. Curionem F. et M. Antonium. ea cum propter insitum animi furorem seditionibus, et publicis incendiis pasceretur, auctor fuerat maritis suis, ut turbas in republica concitarent. Pub. Clodius cum statuisset omni scelere vexare rempublicam, a servis Milonis occisus est. Curio cum praecipuus belli civilis auctor extitisset, in Africam missus Cae-

nime avara coniux, quam ego sine contumelia describo, nimium debet diu populo Romano tertiam pensionem.

saris auspiciis a Iuba Numidiae Rege Pompeiano cum legionibus internecione deletus est. Fulvia post Curionis necem nupsit Antonio. Minime igitur avara coniux, quae maritis suis non parceret, sed eos quasi prodigeret, eosdemque consiliis suis ad seditiones excitandas, pendendasque reipublicae poenas incenderet. sciens autem, deberi tertiam pensionem, ad restitutionem dotis alludit, quam tribus pensionibus reddebant. significatque, Fulviam brevi suis consiliis effecturam, ut etiam Antonius debitas reipublicae poenas exolvat, post Clodium, et Curionem. supra: *Quis autem meum consulatum, praeter P. Clodium, qui vituperaret, inventus est? cuius quidem te fatum, sicuti C. Curionem, manet, quoniam id domi tuae est, quod fuit illorum utrique fatale.* Abram.

Quam ego sine contumelia] Cur id adiecerit, videri potest e dictis in Coelianam: *Petulanter facimus, si matremfamilias, secus quam matronarum sanctitas postulat, nominamus.* Idem.

Populo Romano pensionem tertiam] *Reip. tertiam pensionem*, o. l. v. Ferrar. Sic et Graev. et Colon. Graev. *Tertiam pensionem*] Ad restitutionem dotis alluditur, quod viri, a quibus abducebantur uxores per divortium, si simul et semel totam dotem restituere nollent, eam tribus solutionibus dependerent. Libro undecimo ad Attic. epist. 20: *Audimus enim de statu reipublicae, o Dii! generumne nostrum potissimum, ut hoc, vel tabulas novas? Placet mihi igitur, et idem tibi, nuntium remitti. Petet fortasse tertiam pensionem.* Id est fortasse petet Dolabella, ut sibi liceat tribus pensionibus dotem restituere. Hinc prima, secunda, tertia pensio. Libro 6. ad famil. epist. 18: *Romae tenuit omnino Tulliae meae partus, sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam pensionem.* Libro 12. ad Atticum epist. 9: *Sed de prima pensione ante videamus. adest enim dies et incurrit.* Idem lib. 11, ep. 4: *De pensione altera oro te omni cura considera quid sit faciendum.* Et epist. 19: *In pensione secunda caeci fuimus.* Libro 16, epist. 2: *Hortensius vero impudenter. Nihil enim debetur ei, nisi ex tertia pensione. quae est Kalendis Sextil. ex qua pensione ipsa maior pars est ei soluta aliquanto ante diem.* Eaedem pensiones dictae annua, prima, trima, quod primo, altero, tertio anno solverentur. Martialis libro 12, ep. 33:

O Iuliarum dedecus Kalendarum,
Vidi, Vacerra, sarcinas tuas, vidi

Habet populus Romanus, ad quos gubernaculo reipublicae deferat: qui ubicumque terrarum sunt, ibi est omne reipublicae praesidium, vel potius ipsa respu-

Quas non retentas pensione pro bina
Portabat uxor rufa crinibus septem.

Quamvis fortasse non ibi de restitutione dotis agitur, sed de solutione aedium conductarum. Martialis lib. 3, epigr. 3:

Vnde tibi togula est et fuscae pensio cellae?

Hanc autem mercedis pensionem Kalendis Iuliis solvi consuesse iam ostendimus in Pisonem. Quare aliunde res probanda. Iustinianus C. de rei uxoriae actione: *Cum autem in exactione dotis ex stipulatu quidem actio naturaliter restitutionem dotis a parte mariti uxori illico, et in solidum fieri iubebat, rei uxoriae autem annua, bima, trima die, in his quae pondere, numero, mensura consistunt, exactionem pollicebatur*, etc. Quam ipse veterem consuetudinem mutari iubet: *Exactio autem dotis celebretur non annua, bima, trima die, sed omnimodo intra annum in rebus mobilibus*, etc. Abram. *Nimium debet diu populo Rom. pensionem tertiam*] Ienens. *reip. tertiam pensionem:* sed Vatic. *populo Rom.* quod Graevius etiam retinet. *Tertia pensio* est tertii mariti caedes, et interitus. Heusing. Lamb. *nimium diu debet tertiam pensionem;* atque ita, inquit, omnes veteres codices; nimirum sui. An itaque sic legi placet? nam omnes Ferrarii, quos Faërn. cum aliis ab se inspectis consentientes sequebatur, duo Graev. et duo Barb. *reip.* Vatic. mendose, *populus R.* ut ipse iam testatus erat Faërn. ad c. 42 ceteri, *populo R.* Quibus ex varietatibus confici poterit, nihil horum a Tullio fuisse positum. Sed verius mihi videtur, ut ceteris, *populo Rom.* idque a Vaticani mendo firmatur, et, cum notis P. R. ut in Rom. ac Ven. scriptum esset, partim male explicatum fuit, ab aliis inversum, a multis etiam omissum. Posset, nisi pervulgatum esset, luculenter ostendi, quae in publicum redigenda essent, *populo*, non *reip.* deberi, saepissime dici. Est autem a nummis allegoria; quorum Fulvia cum esset cupidissima, tamen *minime avara* dicitur, quasi liberaliter pensiones duas populo persolverit, quod Clodius, et Curio florentissima aetate, nec longo intervallo perierant. Garaton.

Ad quos gubernacula reipublicae] Ostendit, facultatem Antonii in ordinem cogendi populo Romani non deesse, quod habeat praeclaros duces, qui possint reip. gubernaculis admoveri, eamque ab Antonii tyrannide liberare, Brutum videlicet, Cassium, et reliquos percussores. Abram.

Qui ubicunque] *Patriae liberatores*, inquit Philipp. 1, *urbe*

blica, quae se adhuc tantummodo ulta est, nondum recuperavit. Habet quidem certe respublica adolescentes nobilissimos, paratos defensores. Quam volent, illi cedant, otio consulentes: tamen a republica revocabuntur. Et nomen pacis dulce est,

carebant ea, cuius a cervicibus iugum servile deiecerant, metu videlicet veteranorum, qui, audita Caesaris nece, plures et plures in urbem confluebant, et ad spem novarum praedarum incitabantur ab Antonio. Est igitur occupatio, quasi dicat: Neque est quod obiicias, eos non audere ad urbem accedere, et eam ob caussam non esse metuendos, quia, *ubicunque sunt, ibi est omne reipublicae praesidium, vel potius ipsa respublica, quae se tantummodo ulta est*, poenas sumens de Caesare, qui eius libertatem nefarie oppresserat, *nondum recuperavit*, seque in libertatem penitus vindicavit, quod tam demum fiet, cum te ipsum sustulerit e civitate. IDEM.

Nondum recuperavit] Vatic. *reciperavit*. Vide supra ad c. 37. et hic V. L. GAR.

Adolescentes nobilissimos] Brutos, Cassium, alios. Brutum etiam adolescentem appellat Nepos Cornelius Attici vita: *Sic M. Bruto usus est, ut nemine ille adolescens aequali familiarius, quam hoc sene uteretur.* Qui tamen iam praetor erat, ac proinde ad annum aetatis nonum supra trigesimum pervenerat. Sic infra: *Defendi rempublicam adolescens, non deseram senex.* ubi videtur loqui de suo Consulatu, id est, de anno aetatis uno et quadragesimo. Vt adolescentes dici videantur ad annum usque quadragesimum quintum, quo dicebantur seniores. Certe ut Patrum nostrorum litteris testatum accepimus, Abyssini se pueros appellant, et ieiunii ecclesiastici lege solutos esse contendunt, ad annum aetatis quinquagesimum. neque se prius ea teneri putant, quam nepotes ex se prognatos esse cognoverint. ABRAM.

Quam volent, illi cedant] Naugerius, eiusque sectatores male habent, *quam diu volent*, in iis etiam Ferrettus. GAR.

Otio consulentes] Non metu mortis, sed pacis et concordiae civium consulentes, ne ipsorum occasione veterani nova moliantur, et rempublicam in aliquod discrimen adducant. ABRAM.

Et nomen pacis dulce est] Reddit rationem, cur illi sint primo quoque tempore in urbem revocandi. Illi quidem secesserunt otii publicaeque tranquillitatis caussa: nec immerito, quia *et nomen pacis dulce est, et ipsa res salutaris.* Respublica tamen eos brevi revocabit: quia *servitus*, qua a te opprimitur illis absentibus, *est malorum extremum*, ad quam repellendam populus Romanus non dubitabit et bellum gerere,

et mortem, si ita necesse sit, oppetere. Quam dulce nomen pacis sit, docet etiam Dio Chrysostomus orat. 40: *Pax atque concordia utentibus se nihil unquam nocuerunt: inimicitiae vero et contentio mirum si non irrecuperabilia, et maxima dederunt damna. Et concordiae quidem et nomen plausibile est, et experientia optima iuxta et utilissima est omnibus: seditionis, et dissidii tetrica quidem et molesta appellatio est, multo autem peiora sunt facta magisque tetrica.* Vnde et apud Stobaeum Aristophanes et Euripides *Εἰρήνην βαθύπλουτον, Pacem profundas divitias habentem*, appellant. et hic posterior *Καλλίσταν μακάρων θεῶν, Pulcherrimam Dearum*, indigetat. et ibidem Bacchylides Paeanibus caussam reddit, cur nomen pacis adeo dulce sit:

> *Τίκτει δέ τε θνατοῖσιν Εἰρήνη μεγάλα*
> *Πλοῦτον καὶ μελιγλώσσων ἀοιδῶν ἄνθεα.*
> *Pax alma res fert maximas mortalibus,*
> *Opes, Camoenarumque flores melleos.*

Et Philemon Pacem id demum bonum esse ait, quod a Philosophis quaeritur, neque hactenus potuit inveniri. quia nimirum

> *Γάμους, ἑορτὰς, συγγενεῖς, παῖδας, φίλους,*
> *Πλοῦτον, ὑγίειαν, σῖτον, οἶνον, ἡδονὴν*
> *Αὕτη δίδωσι.*
> *Prolem, cognatos, sacra, amicos, nuptias,*
> *Annonam, vinum, sanitatem, gaudia,*
> *Divitias Pax fert.*

Quin etiam Vulcanus, ut in Achillis clypeo pacis suavitatem adumbraret, duas urbes in eo sculpsit, quarum altera obsidione cingeretur, et sanguine redundaret, altera tranquilla pace frueretur, et nuptias, choreas, convivia celebraret. Vide Iliados σ' sub finem. Multa etiam Aristophanes comoedia, quae Pax inscribitur. et ob hanc pacis rerum omnium affluentiam apud Athenienses Pacis statua Plutum, opulentiae Deum, manu sustinebat. Pausanias Boeoticis: *Proxime Fortunae aedes. fert Dea Plutum infantem*, etc. *Callidum sane fuit commentum, in manu Fortunae, tanquam vel matris, vel nutricis, Plutum ponere. Neque minus prudenter Cephisodotus, qui pacem Atheniensibus fecit Plutum habentem.* Aliter etiam Pax,

> *Martis sanguineas quae cohibet manus,*
> *Et cornu retinet divite copiam,*

a Seneca choro primo Medeae depingitur. Polybius lib. 12: *Simillimum ait bellum quidem morbo, pacem vero sanitati. Per hanc siquidem et qui aegrotant refici, per illud etiam sanos interire. Accedit, quod vigente pace senes convenienter naturae sepeliuntur a iuvenibus, cuius fit contrarium in bello. omnium maximum illud est, quod belli tempore ne muro quidem urbis tenus securitas sperari potest: pacis vero tempore ad*

et ipsa res salutaris, sed inter pacem, et servitutem plurimum interest. pax est tranquilla libertas: servitus malorum omnium postremum, non modo bello,

fines usque regionis. Atque propter hanc pacis iucunditatem et dulcedinem veteres candida veste Pacem induerunt. Tibullus elegia ultima, lib. 1:

Interea pax arva colat. Pax candida primum
Duxit araturos sub iuga curva boves.

Non iniuria igitur, ut eleganter notat Polyb. lib. citato, Iupiter Marti Pacis bonorum omnium matris inimico succensens inducitur a Poëta:

Ἔχθιστος δέ μοι ἐσσὶ θεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
Αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε μάχαι τε.

Tu mihi prae reliquis odio es coelestibus unus,
Quod tibi rixa placet, bellumque et praelia saeva.

Sed finiendum cum Gregorio Nazianzeno, qui orat. 14. non rem solum, sed etiam verba videtur a Tullio mutuatus: Εἰρήνη φίλη, τὸ γλυκὺ καὶ πρᾶγμα, καὶ ὄνομα. *Pax amica est, cuius et res ipsa dulcis est, et nomen.* Abram.

Et ipsa res salutaris] Quietem sive Pacem *Salutarem Deam* appellat Ammianus, ut merito Polybius lib. 4 pacem his laudibus extulerit: *Res, quam a Diis concedi nobis omnes petimus: cuius desiderio nihil non perferimus: quamque ex omnibus, quae bona existimantur, solam nemo ambigat vere esse bonam, pacem dico.* Idem.

Inter pacem, et servitutem] Livius libro 10: *Petisse pacem a populo Romano, cum bellum tolerare non possent: rebellasse, quod pax servientibus gravior, quam liberis bellum esset.* Polybius lib. 4: *Metuendum esse bellum equidem non abnuo: sed non usque adeo metuendum, ut eius vitandi gratia omnia velis sufferre. Quo enim iuris aequabilitas nobis, et facultas ex aequo dicendi quae sentias, quo libertatis nomen, si nihil est omnium, quod potius ducamus pace?* Paucis interiectis: *Vt enim pace iusta et honesta nihil pulchrius, nihil utilius: sic ea, quam vel ignavia, vel servitus infamant, nihil neque turpius, neque magis noxium est.* Idem.

Pax est tranquilla libertas] Vulgatum est, bellum et seditiones cum tempestatibus, pacem cum tranquillitate comparare. Pindarus a Polybio laudatus lib 4: Τὸ κοινόν τις ἀστῶν ἐν εὐδίᾳ τιθεὶς ἐρευνασάτω μεγαλάνορος Ἡσυχίας τὸ φαιδρὸν φάος. *Pro se quisque civium publicae tranquillitati consulens Quietis magnanimae laetum iubar requirito.* Idem.

sed morte etiam repellendum. Quod si se ipsos illi nostri liberatores e conspectu nostro abstulerunt, at exemplum facti reliquerunt. illi, quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium Brutus bello est persecutus: qui tum Rex fuit, cum esse Romae Regem liceret. Spurii Cassius, Melius, M. Manlius propter suspicio-

Sed morte etiam repellendum] Haud secus mss. nostri. at Isidorus lib. II. c. 30. Originum laudat *repellenda*, ut monuit Schottus lib. 1. Nodor. Cic. cap. 14. Grvtervs. Sed is memoria fretus scribit etiam, *morte quoque*. Hevsing. In neutro tamen peccavit Isidorus: imo *repellenda* facile ab aliis mutari potuit, ne cum remotiore substantivo construeretur. Vatican. *servitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum*. Gar.

Quod si se ipsos] Hactenus de facultate opprimendi Antonii: nunc ostendit ne voluntatem quidem defuturam, cum Brutus et Cassius caeterique Caesaris percussores exemplo suo reliquos ad retinendam libertatem incenderint. Eleganter autem dicit, non *discesserunt*, sed *se a conspectu nostro se abstulerunt:* eos adeo suis civibus charos esse, ut omnes eos cupiant intueri. ut supra: *Qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos, quo accesserint, non affari atque appetere videatur? qui homines tam agrestes, qui se, cum illos adspexerint, non maximum cepisse vitae fructum putent?* Abram.

Fecerunt] Caesarem reipublicae invasorem contrucidarunt. Idem.

Qui tamen Rex fuit] *Qui tum*, o. l. v. pro *liceret* nonnulli *licebat*. quae placent. Ferrar. His accedunt Colon. Franc. et Graevii codd. Graev. A veteribus editis nihil Barberini discedunt. P. Man. et Car. Steph. *qui tamen Rex fuit, cum esse Romae Regem licebat.* Sed cum Ferrario, et Lambino legendum arbitror, *qui tum Rex fuit, cum esse Romae Regem licebat:* atque ita Vatic. nisi quod habet *Roma*, et pro voce *Regem* pronomen *te*, ut, una littera dempta, fiat, *cum esse Romae licebat:* quod quidem placet. Quis enim non videt, ea voce, quae abiicitur, carere locum posse rectissime? Vehementer laetatus sum, editione Mureti postea inspecta, quae a summo illo viro iudicium istud meum comprobari testatur, cum vocem *Regem* omittat. Garaton.

Sp. Cassius, Sp. Melius] De Spurio Cassio, et Spurio Melio vide supra. de M. Manlio Epitome Liviana libro 6: *M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat, cum obstrictos aere alieno liberaret, nexos exolveret, crimine affectati regni damnatus, de saxo Tarpeio deiectus*

nem regni appetendi sunt necati. hi primi cum gladiis, non in regnum appetentem, sed in regnantem impetum fecerunt. quod cum ipsum factum per se praeclarum est, atque divinum, tum expositum ad imitandum, praesertim cum illi eam gloriam consecuti sint, quae vix coelo capi posse videatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendam.

est. in cuius notam S. C. factum, ne cui de Manlia gente Marco praenomen esset. Abram. Ex Vaticano rectissime restituerunt Faërnus, Muretus, Lambinus, Manutius, *Spurii*, *Cassius*, *Melius*. Graev.

Regni appetendi] Vulgus diceret, propter suspicionem appetitionis regni. Est enim *appetendum* hic id, quod appetitur, praesensque tempus significat. Vide Perizon. ad Sanctii Minervam I. 15. 8. p. 142. sq. Hevsing.

Hi primi cum gladiis] Brutus, Cassius et caeteri primi cum gladiis in Caesarem, non regnum appetentem, ut appetierant Sp. Melius, Sp. Cassius, M. Manlius, sed in regnantem iam impetum fecerunt. Opinor legendum, *sed in iniuste regnantem.* Brutus enim fecerat in Tarquinium regnantem, sed cum Romae esse Regem liceret. caetera perspicua sunt. Abram. Male *iniuste* velit addi Abramius. Nam *regnare* hic, ut *dominari*, est tyrannum esse, tyrannidem exercere, ut infinitis in locis aliis. Graev.

Satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat] *Ipsa quidem virtus pretium sibi*, ut inquit Claudianus, et nos non paucis ostendimus ad haec Milonianae cap. 35: *Fortes et sapientes viros non tam praemia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta.* De fructu bonae conscientiae ibidem: *Magna vis est conscientiae, iudices, et magna in utramque partem.* De honore autem et immortalitate, qui fructus et praemium verae virtutis est, ibidem cap. 35. Abram.

Tamen mortali immortalitatem] *Mortali* delendum, si quid veterum l. consensus atque auctoritas valet. Ferrarivs. In omnibus quatuor codicibus, quos excussi, desideratur quoque *mortali*. Non tamen id volui inducere, quia Vaticanus eam vocem retinet, et antiquiores editiones Mediolanensis aliaeque, et videtur hic pervenustus esse eius usus. Mortali est immortalitas expetenda, nisi velit silentio vitam transire cum pecudibus. Graevivs. *Mortali* cum aliis Ienensis omittit, et Ferrarius non admittit: vindicat vero Graevius, tum auctoritate codicis Vaticani, et vulgatorum prius exemplarium, tum convenienti contrariorum

XXXXV. Recordare igitur illum, M. Antoni, diem, quo dictaturam sustulisti: pone ante oculos laetitiam Senatus, populique Romani. confer cum nundinatione tua, tuorumque, tum intelliges, quantum inter laudem, et lucrum intersit. Sed nimirum, ut quidam morbo aliquo, et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi, avari, facinorosi verae laudis gustatum non habent. Sed, si te laus allicere ad recte faciendum non potest, ne metus quidem a foedissimis factis potest avocare? Iudicia non metuis: si propter inno-

oppositione. HEUSING. *Mortali immortalitatem*] Ita solus Vaticanus: nam priorem vocem ignorant alii codices, et melius abesset. LALLEM. Deest ea vox etiam in utroque Barb. in Rom. et in Ven. fuitque a P. Man. quondam, et Car. Steph. delcta. Sed mihi quoque non displicet. Lamb. alios, ait, *esse contemnendam* habere: quem tamen Graev. in V. L. notat cum Mur. edidisse, *contemn. esse.* Mei certe libri eo verbo rectissime carent: sed in Vatic. reperi, *tamen mortali immortalitatem non arbitror esse contemnendam:* atque ita Muret. ediderat. GARATON.

Recordare igitur] *Igitur* iisdem auctoribus delendum. FERRARIUS. *Recordare*] Pulcherrimum Antonii factum in memoriam ei revocat, et laudem, quam ex eo adeptus est, ut eo veluti gloriae stimulo magis ad virtutem excitetur. Philipp. 1: *Maximum autem illud, quod dictaturae nomen sustulisti. Haec iniusta est a te, a te, inquam, mortuo Caesari nota ad ignominiam sempiternam: ut enim propter M. Manlii scelus decreto gentis Manliae neminem patricium M. Manlium vocari licet, sic tu propter unius Dictatoris odium nomen Dictatoris funditus sustulisti. Num huiusce, cum pro republica tanta gessisses, fortunae te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriae poenitebat?* ABRAM. Heusing. *igitur* ne in Ien. quidem invenit, nec ego in Barberinis, nec in suo denique, opinor, Car. Stephanus, a quo recte id cum P. Man. praetermitti arbitror. Exstat tamen in Vaticano. GAR.

Dictaturam] Rem ita narrat Dio libro 44: *Legem etiam tulerunt*, Antonius et Dolabella Consules, *ne quis in posterum Dictator crearetur: execrationesque addiderunt, ac mortem ei, qui mentionem Dictaturae fecisset, aut eum magistratum in se recepisset: et insuper pecuniam iis, qui talem occidissent, constituerunt.* Appianus lib. 3. cum Cicerone legem

hanc soli tribuit Antonio, non autem Dolabellae: *Legem tulit, ne quis ullam ob caussam de Dictatore creando referret, neve quis Dictaturam oblatam acciperet: qui contra fecerit, eum liceret a quovis impune interfici.* Vide 1. Phil. cap. 1. ABRAM.

Cum nummatione] Nonnulli v. l. *cum numeratione.* FERRARIVS. *Confer cum nummatione tua*] Auxilio antiqui libri, qui sic habet, *confer cum hac in manum latione tua,* Antonius Augustinus ita emendat, *confer cum hac immani nundinatione tua.* quam lectionem ut non multum ab antiqua scriptura recedentem, bonisque tum verbis, tum sensu praeditam si non recipimus, certe non improbamus. ex ceteris scriptis alius habet *cum nuntiatione,* alius *cum numeratione,* recentissimus quisque *cum nummatione.* FAERNVS. *Cum hac in manum latione tua*] Haec scriptura est veteris libri: quam corruptam esse sentio: quomodo emendanda sit, dispicere equidem non queo. MVRET. *Cum hac nundinatione tua*] Secutus eram olim hanc Antonii Augustini Hispani coniecturam, *cum hac immani nundinatione tua.* quam fecit ex hac antiqua: *cum in manum latione tua:* quam nec ego ullo modo probo. Non enim, si usitatum est, *dare in manum,* etiam *ferre in manum* usu est receptum. sed demus, *in manum dationem,* et *in manum lationem* idem valere: neutrum tamen hic locum habere potest: sed potius *in manum acceptio.* Nunc detracto adiectivo *immani,* seu *inmani,* in re tam dubia, atque incerta, arbitror potius, legendum esse, *cum hac nundinatione tua.* hanc lectionem adiuvat codex unus manuscriptus, in quo reperi scriptum, *cum hac numeratione tua.* Quidam malunt legi, *cum hac nummulatione tua.* Ego, si haec lectio, quam secutus sum, minus placet, et si tot coniecturis locus est, malim sic, *cum hac nummaria ratione tua.* LAMBIN. *Confer cum nummatione tua*] Liber Vaticanus corrupte habet *hac in manum latione:* unde Ant. Augustinus coniiciebat legendum esse, *hac immani nundinatione:* optima coniectura sine ulla prorsus controversia. F. VRSINVS. *Cum hac nundinatione tua*] Pal. pr. *nuntiatione,* sec. *mimi vacatione,* ut videatur restituendum, *nundinatione* aut *nummulatione,* quomodo diu est quod viri docti coniecerunt. GRVTERVS. Amsterodam. *cum numeratione tua,* reliqui mei *nummatione tua.* Sed cum Faërnus in uno suorum, et Gruterus in Palatino primo legerint *nuntiatione tua,* nullus dubito, rescribendum esse, ut magni vir ingenii, doctrinae, et virtutis olim Antonius Augustinus rescribendum censuit, *nundinatione.* Hac voce nulla hic potuit a Tullio usurpari efficacior, et ad feriendum Antonium acutior. GRAEVIVS. Ex eorum sententia edidi, qui *cum hac nundinatione tua* verissimum putant: etsi Graevius *cum nummatione* retinuit, alterum tantum laudavit. *Domesticas* An-

tonii *nundinas* reprehendit c. 36. et iam antea c. 14. adde c. 37 et 38. III. Phil. 4. V. 4. HEUSING.

Cum nundinatione tua] Ita Ant. Augustinus e codicibus, in quibus scribitur *nuntiatione*. Alii codices, ut et Regii, habent *nummatione*. LALLEM. Vox *nummatio*, quam cum plurimis codicibus Barb. ambo, et omnes mei ante Lamb. editi servant, multis non displicuit: quorum alii nundinationem interpretantur, alii nummorum abundantiam. Mihi, ut viris doctis non paucis, vox nihili ea videtur. Contra *nundinatio* vox Tulliana est, et huic loco aptissima, tamque perite ex meliorum codicum vestigiis eruta, ut haud temere ii profecto fecerint, qui mendo certissimo illam substituerunt. Qui libri habent *numeratione*, et qui *nuntiatione*, depravationis gradus a v. *nundinatione* ad vulgatam ostendunt. Graevium laudarem, si nullas umquam necessarias coniecturas recepisset. Addit *hac* diserte Vatic. et alius cod. Lamb. quicum id Heusing. merito recepit. Etiam vocis *inmani* haud obscura sunt in Vatic. vestigia. GARATON. Teeg. *nummatione*. Gud. 2. *mimatione*. Ern. retinuit immerito *nummatione*.

Tuorumque] Fratrum Caii, et Lucii, quorum alter Lucius Tribunus plebis, alter Caius Praetor fuit, eo ipso anno, quo Marcus Antonius gessit consulatum: sed potissimum Fulviae coniugis, de cuius avaritia multa passim historici. ABRAM.

Inter laudem] Quam eo die consecutus es, cum dictaturam ex republica sustulisti. *et lucrum*, quod fecisti illa provinciarum, et immunitatum venditione. IDEM. Vatic. *quantum inter lucrum, et laudem intersit*. GAR.

Vt quidam morbo aliquo] Non abludit illa similitudo Varronis apud Nonium cap. 1. et cap. 16: *Nam ut arquatis et veternosis, quae lutea non sunt, neque ut lutea videntur, sic insanis sani et furiosis esse videntur insani.* Arquatum autem morbum esse dicit, qui regius dicitur. IDEM. Iensen. *ut quodam morbo aliqui*, quod non erat omittendum a Graevio. HEU.

Laudis gustum] *Gustatum*, I. Col. FERRAR. *Gustatum* ex Vaticano ediderunt Faernus, Muretus, Manutius, Lambinus. Et sane Ciceroni haec vox satis est familiaris. II. de Natura Deorum: *Pomorum iucundus non gustatus solum, sed odoratus, et adspectus.* In meis tamen quatuor MSS. quae consului, est, ut in vulgatis, *gustum*. GRAEV. Nec vero *gustum* alicubi dixit Cicero, nisi fidem habeas editionibus non optimis. Certe *gustatum* dixit III. de Orat. 25. II. de N. D. 56. 63. de Senect. 15. OLIVET. *Gustatum*: ita e Vaticano ediderunt Faërnus, Muretus, et sic unus e Regiis. Alii cum vulgatis *gustum*. LALLEM. Sic apud Festum p. 45. ed. Amstel. recte, *ab avium gustatu*, quod mutatum fuit, et *gustu* substitutum in verbis inde Suetonio adsutis Aug. c. VII. extr. Eademque varietas fuit de Senect. 15. ut Sylvii, et Aldi Manutii adnotationes docent. GAR.

Iudicia non metuis] Occup-

centiam, laudo: si propter vim, non intelligis, ei, qui isto modo iudicia non timeat, quid timendum sit? Quod si non metuis viros fortes, egregiosque cives, quod a corpore tuo prohibentur armis; tui te, mihi crede, diutius non ferent. Quae est autem vita, dies,

tio oratoria. Respondere enim potuit Antonius: frustra me terres, o Cicero: non enim metuo iudicia. Contra Cicero: si ius et iudicia contra te non valebunt, ad vim et arma venietur. Abram.

Quod si] Alia rursum occupatio. Dices, te vim non metuere, quia militum barbarorum praesidio te contra vim et impetum virorum fortium muniisti. Verum non ideo metu vacuus esse debes, quia etiam tui custodes superbiam et insolentiam tuam pertaesi te trucidabunt. Idem.

Viros fortes egregiosque cives] Hoc ipsum est, de quo queritur Hieron apud Xenophontem in tyranno: *Sed et aliam tyrannorum calamitatem tibi dicam, Simonides. Noverunt non minus quam privati probos, sapientes et iustos viros. Hos cum diligere debeant, metuunt: fortes quidem, ne quid audeant libertatis amore: sapientes, ne quid machinentur: iustos vero, ne multitudo cupiat ab iis gubernari.* Vide plura in hanc sententiam. Idem.

Tui te] Xenophon ibidem in persona Hieronis: *Iam vero metuere turbam, metuere solitudinem, metuere satellitii absentiam, metuere ipsos etiam custodes, ac nec inermes illos velle habere, nec armatos videre libenter, an non res est misera?* Vide plane locum longe pulcherrimum. Huius vestigiis insistit Dio Cassius in colloquio Augusti et Liviae lib. 55. ubi inter caetera, *Ita semper nobis solitudo et gravis, et hominum frequentia: vacare custodia periculosum: periculosissimum est inter stipatores: hostes molesti, molestiores amici: hoc enim eos etiam minime dignos nomine appellare oportet.* Phalaris epistola quadam ad Paurolam filium: *Cui utriusque constat experientia, is parere, quam imperare potius expetit. Alter enim a reliquis periculis omnibus liber et solutus, unum tantummodo metuit tyrannum: tyrannus vero tum extraneorum insidias, tum etiam satellitum vim pertimescit. Necesse est enim, ut inter omnes reliquos terrores et miserias primum custodes satellitesque metuat.* Idem.

Quid est autem multos dies et noctes timeri a suis?] *Quae est autem vita, dies et noctes timere a suis?* 1. Col. in quo Ciceronem ipsum videor agnoscere. Ferrar. *Quae est autem vita, dies etc.*] Est ab uno Ferrarii scripto; neque recedit multum Pal. nisi quod is *multa*, pro

et noctes timere a suis? Nisi vero aut maioribus habes beneficiis obligatos, quam ille quosdam habuit ex iis, a quibus est interfectus: aut tu es ulla re

vita. insulse vulgata: *Quid est autem multos dies.* Grvt. Hunc locum repetitores Lambiniani maluerunt foede corruptnm relinqnere, ut in libris plerisque legitur, quam ex duobus omnium praestantissimis, Vaticano et Cotiano emendare, ut antea fecerant P. Man. C. Steph. Faern. Muret. et Lamb. Fontem corruptionis indicat codex Stephani, in quo proxime verum sic legebatur. *Quae est autem vita, multa dies, et noctes timere a suis?* Addidit aliquis *multa*: quae vox ita recepta ex margine, aut linearum intervallo fuit a quibusdam, quasi pro altera *vita* esset supponenda, ut in Palatino contigit: deinde mutata in *multos*, et ineptissimus loco sensus adficitus. Tantum moneo, in Vatic. mendose legi, *timeri,* ut in edd. veteribus, cum quidem, ultima littera deficiente, i. superscribatur. Quod mendum in vera lectione Ferrett. quoque habet, suum fortasse codicem secutus. In Vatic. supra, *sin propter vim,* et, *viros fortis, egregiosque civis.* Gar.

Nisi vero maioribus habes beneficiis obligatos, quam ille quosdam habuit ex iis, a quibus est interfectus. An tu es ulla re cum eo comparandus?] Sic Lang. et cum eo plerique, *Nisi maioribus habes beneficiis obligatos, quam ille quosdam habuit, a quibus est interfectus: aut tu es ulla re cum illo comparandus.* Liber unus, atque alter, in queis Col. sic, *Nisi vero aut maioribus.* caetera eodem modo. quem ita praeter caeteros probo, ut tamen multo magis fuissem probaturus, si pro *aut*, *tu* habuisset: aut certe hoc amplius, sic, *Nisi vero aut tu maioribus.* caetera placent. Exemplo enim Caesaris confirmat, suos eum diutius non laturos: idque ratione duplici: Aut amici (inquit) tyrannorum beneficiis in officio continentur, aut prudentia, et quadam auctoritate rerum gestarum: si beneficiis: ille multo maioribus, quam tu tuos, quosdam ex iis, a quibus occisus est, devinctos habuit: si prudentia, et rebus gestis: iis etiam multo plus valuit. Ferratius. *Quam ille quosdam habuit*] Ex Ant. libro adde, *ex his,* ut sit, *ex his, a quibus est interfectus.* et paulo post legendum, *ratio, memoria, litterae, cura: litteratura,* quod in vulgata est, omnino explodendum. Si enim litteratura idem est quod grammatica, ut certe est, ineptus Cicero, qui inter tantas laudes bonum grammaticum Caesarem facit. Faernus. *Nisi vero aut maioribus, etc.*] Alia rursum occupatio. Dices fortasse, me frustra terrorem hunc tibi denuntiare, cum tantis beneficiis tuos illos satellites tibi devinxeris, ita tibi amicos omnes obligaris, ut

cum eo comparandus. fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litterae, cura, cogitatio, diligentia: res bello gesserat, quamvis reipublicae calamitosas, attamen magnas: multos annos regnare meditatus, magno la-

nemo tibi moliturus sit insidias. Contra longe maioribus beneficiis sibi devinctos habuit Caesar quosdam eorum, a quibus occisus est, ut C. Trebonium, et Luc. Tullium Cimbrum, de quibus supra. Adderem ipsos coniurationis principes Brutum et Cassium, quibus Caesar victor vitam concesserat, nisi supra beneficium patronum vocavisset. Abram. Faernus Manutianas emendabat, a quibus solis omittitur, *ex iis*, et MStis Ferrarii mos gereretur. Restitutum id fuit postea a Car. Steph. cuius in cod. repertum arbitror, ut est in utroque Barb. in cod. Barbadorii, aliisque omnibus. Male iidem Barbarini cum plerisque Ferrarii, Rom. et Ven. *nisi maioribus.* Gar.

Ingenium] Caesaris ingenium et *vigorem celeritatemque quodam igne volucrem* Plinius lib. . nat. histor. cap. 25. ita depraedicat: *Scribere et legere simul, et dictare, et audire solitum accepimus. Epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut, si nihil aliud ageret, septenas.* Antonius Oratione funebri Caesaris apud Dionem lib. *Caesar et corpore firmissimo fuit, et animo promptissimo. Erat in ipso vis quaedam naturae admirabilis, sed eam exercitatione omnis generis ita confirmaverat, ut non immerito omnes res et cognoscere celerrime, et explicare summa cum fide, et administrare prudentissime posset.* Sequutus sum Xylandri versionem, licet in ea quaedam non satis arrideant, ut παιδείᾳ *exercitatione*, ἀπεικότως *non immerito*, πιθανώτατα *summa cum fide.* Abram.

Memoria] Vide pro Deiotaro: *Memoriam tuam implorat, qua vales plurimum.* Merito autem memoria ingenio et litteraturae coniungitur. Ἔστι γάρ, inquit Philostratus, πλεονέκτημα φύσεως, ἢ τῆς ἀθανάτου ψυχῆς μοῖρα. *Est enim peculiare naturae donum, vel immortalis animae pars.* Idem.

Litterae, curae] Ita est in optimo libro: ut constet, vehementer falsos esse eos, qui hoc loco crediderunt legendum *litteratura*: et id nomen pro eruditione acceperunt. Mvretvs. *Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litterae, cura, cogitatio, diligentia*] Ita legit Faërnus ex libro Vaticano, cum in aliis sit, *litteratura*, pro *litterae cura*: nihili faciens duo sequentia verba, quae fere idem valent, cum priora diversa inter se significent. adde quod omnia singularia praeter *litterae.* F. Vrsinvs. Ern. *litteratura* temere retinuit. Schütz. *litterae, cura.* Teeg. *litteratura.* Gud. eandem habet lectionem.

Non multos annos regnare

bore, multis periculis, quod cogitarat, effecerat: muneribus, monumentis, congiariis, epulis multitudinem imperitam lenierat: suos praemiis, adversarios

est meditatus] *Non* antea nos coniectura sustuleramus: quod mihi dubium non erat, quin aliud Cicero sentiret, atque illa verba dicebant: nunc ad coniecturam libri Col. accessit auctoritas. Ferrar. *Multos annos regnare est meditatus*] Tu, detracto verbo *est*, quod non habet contextus antiqui exemplaris, reliqua ex eius auctoritate sic lege, *multos annos regnare meditatus, magno labore, multis periculis quod cogitabat effecerat.* et paulo post pro *lenierat*, *deleniebat*. Faernus. *Multos annos*] Ab anno urbis conditae 690. Luc. Caesare, C. Figulo Consulibus, quo gessit aedilitatem, quindecim annis ante bella civilia. Refert Tranquillus cap. 9. ex quadam Ciceronis ad Axium ipsis, ut videtur, Tullii verbis, *Caesarem in consulatu confirmasse regnum, de quo Aedilis cogitarat.* Eum certe multos ante annos de invadenda republica cogitasse, inditio est, quod, cum obtinuisset Gallias et Illyricum, *Gaudio elatus non temperavit, quin paucos post dies frequenti curia iactaret invitis, et gementibus adversariis adeptum se quae concupisset, proinde ex eo insultaturum omnium capitibus, ac negante quodam per contumeliam facile hoc ulli faeminae fore responperit, quasi alludens in Asia quoque regnasse Semiramim, magnamque Asiae partem Amazonas tenuisse quondam.* ut refert idem Tranquillus cap. 22. De laboribus et periculis Caesaris historiae passim consulantur. Abram. In Vatic. manus recentior *non ante multos*, etiam post *meditatus* verbum *est* adscripserat ineptissime. Gr.

Quod cogitaverat effecerat] *Cogitarat*, idem l. et oratio numerosius et proclivius currit. Ferrarius.

Muneribus] Vide Suet. in Iulio cap. 26, et 59, et Dionem lib. 43. Graev.

Monumentis] Praecipua monumenta Caesaris fuerunt Circus, Forum, Amphitheatrum, templum Veneris Genitricis. Plinius lib. 36, cap. 15: *Circum maximum a Caesare Dictatore extructum longitudine stadiorum trium, latitudine unius, sed cum aedificiis iugerum quaternum ad sedem* CCLX *millium tradit.* Et paulo post: *Pyramides regum miramur opera, cum solum tantum foro extruendo HS millies Caesar Dictator emerit.* Id est, decies centenis millibus Romanorum aureorum: et, ut nostro modo summam faciamus, vicies millies centenis millibus aureorum Gallicorum. Immo Tranquillus cap. 26. pluris etiam tradit constitisse, idque ante bella civilia, cum Caesar adhuc Gallias obtineret: *Forum de manubiis inchoavit, cuius area HS millies constitit.* Dio lib. 43.

significat ab eodem fuisse absolutum: *Forum Caesar extruxerat, quod ab ipso nomen obtinuit, Romano pulchrius: sed tamen Romani ex eo dignitas aucta est, ut Magnum diceretur.* Pergit: *Forum vero et templum Veneris, quam sui generis auctorem ferebat, a se condita Caesar statim tunc consecravit.* post bellum videlicet Africanum. Quanta autem fuerit illius aedis magnificentia, nemo, quod sciam, litterarum monumentis consignatum reliquit. Possumus tamen ex eo suspicari, quod, ut scribit Plinius lib. 7, cap. 38: *Octoginta talentis emit duas tabulas Caesar Dictator, Medeam et Aiacem Timomachi in templo Veneris Genitricis dicaturus.* Pergit Dio: *Theatrum quoque ad venationes aptum aedificavit: quod quia undequaque habet sedes, scenaque caret, amphitheatrum nominatum est.* Sed haud scio an illud temporarium fuerit, ac proinde debeatne inter monumenta numerari, quae, ut nomen ipsum indicat, temporaria non fuerunt. Alia etiam maiora, ut scribunt Tranquillus cap. 44, et Plutarchus, animo destinabat: sed eum talia meditantem mors occupavit. Abram.

Congiariis] Congiarium munus est gratuitum Imperatoris, ut ait Seneca 4 de Beneficiis. Distinguitur a donativo, quod donativum in milites, congiarium in plebem erogatur. Tacitus in Annalibus: *Virilis toga Neroni maturata, etc. additum nomine eius donativum militi, congiarium plebeiis.* Suetonius in Nerone cap. 7: *Deductus in forum tiro populo congiarium, militi donativum proposuit.* Plinius Panegyrico Traiani: *Nisi vero leuiter attingi placet, locupletatas tribus, datumque congiarium populo, et datum totum, cum donativi partem milites accepissent.* Fuit autem congiarium certa pecuniae largitio. Suetonius in Augusto cap. 41. E quibus postremis verbis obiter intelligas, ante Augustum, et, ut reor, etiam libera republica congiaria populo dari consuesse. Rursum Tranquillus in Tiberio cap. 20.: *Prandium dein populo mille mensis, et congiarium trecenos nummos viritim dedit.* Caligula, ut idem auctor est c. 17: *Congiarium populo bis dedit trecenos Sextertios.* Ancyranus a Lipsio et Casaubono productus, non semel congiariorum Augusti facit mentionem, quibus quadringeni HS. immo sexageni denarii viritim dati. Adrianus, auctore Spartiano: *Congiarium duplex praesens populo dedit ternis iam per singulos aureis se absente divisis.* Sed de hac Imperatorum liberalitate plura diximus in Sextianam. Quod spectat ad Iulii Caesaris congiaria, Tranquillus cap. 38: *Populo praeter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos nummos, quos pollicitus olim erat, viritim divisit, et hoc amplius sentenos pro mora.* quod centum drachmis aestimatur a Dione, mna una Attica ab Appiano. Congiarium autem dicitur a congio, genere quodam

mensurae liquidorum, quae sextarios sex capiebat. Invenio tamen congiarium dici privatorum munus. Martialis lib. 3, epigr. 7:

Centum, miselli iam valete quadrantes
Anteambulonis congiarium lassi.

Vide Tranquillum in Iulio c. 27. Abram.

Epulis] De epulis a Caesare Dictatore toti populo exhibitis ita Plutarchus: *Epulo excipiens bis mille ducentis tricliniis universos.* Dio lib. 43: *Magnificum populo epulum dedit, addito extra ordinem frumento oleoque.* Plin. lib. 9, c. 55: *Muraenarum vivarium privatim excogitavit C. Hirtius ante alios, qui coenis triumphalibus Caesaris Dictatoris sex millia numero muraenarum mutua appendit. Nam permutare quidem pretio noluit, aliave merce.* Et lib. 14, c. 15: *Quid? non et Caesar Dictator triumphi sui coena vini Falerni amphoras, Chii cados in convivas distribuit? Idem Hispaniensi triumpho Chium et Falernum dedit. Epulo vero in tertio consulatu suo, Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum: quo primum tempore quatuor genera vini apposita fuisse constat.* Tranquillo in Iulio cap. 38: *Adiecit epulum ac viscerationem, et post Hispaniensem victoriam duo prandia. Nam cum prius parce, neque pro liberalitate sua praebitum iudicaret, quinto post die, aliud largissimum praebuit.* Visceratio autem fuit crudae carnis distributio. Servius: *In Albano Latinis populis visceratio dabatur.* id est, caro victimae, ut constat e Dionysio Halicarnasseo, Livio, ipso Cicerone. Varro: *Latinae feriae dies conceptus, dictus a Latinis, quibus ex Albano monte ius fuit carnem cum Romanis petere.* Glossarium: Visceratio, [illegible]. unde Persius:

— Oleum artocreasque popello.

In altero tamen glossario visceratio cum epulo confunditur, et tam haec quam illud uno εὐφρασίας nomine continetur. Idem.

Multitudinem imperitam] Plebem, quae non intelligebat, se huiusmodi largitionibus inescari, ut quibusdam quasi retibus et pedicis intricata libertatem suam amitteret. Idem.

Lenierat] Imo, si Dionem audimus, exasperaverat: *Caedes in iis spectaculis vitio Caesari versae sunt, quod nondum ipsis satiatus esset, quodque populo malorum suorum imagines ante oculos repraesentaret: hoc vero longe maiorem ei invidiam conflavit, quod in haec sumptus immensos fecisset: itaque ad singula acclamabant, eum iniuste maximam harum pecuniarum partem quaesivisse, quibus in huiusmodi res abuteretur.* Quod autem Noster utitur verbo *leniendi*; videtur multitudinem cum bellua, quae cicuratur, et obsequio mansuescit, conferre. Siquidem plebs

Bellua multorum est capitum.

clementiae specie devinxerat. Quid multa? attulerat iam liberae civitati partim metu, partim patientia consuetudinem serviendi.

XLVI. Cum illo ego te dominandi cupiditate conferre possum, ceteris vero rebus nullo modo es comparandus. Sed ex plurimis malis, quae ab illo reipublicae sunt inusta, hoc tamen boni est, quod didicit iam populus Romanus, quantum cuique cre-

Nec aliud genus translationis usurpat pro Milone: *Infimam multitudinem, quae P. Clodio duce fortunis vestris imminebat, eam, quo tutiores set vita vestra, se fecisse commemorat, ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deliniret.* Abram. Vatic. *deleniebat*, quod fuit etiam a Lambino et Aldo nepote, nedum a Faërno et Mureto, receptum. Sed legendum est *delenierat*, quod leviter in optimo cod. depravatum fuit: quomodo idem supra *cogitabat* exhibuit mendose pro *cogitarat*. Eodem verbo usus est in eadem re Cicero pro Mil. 35. *infimam multitudinem etc. deleniret*, ubi vide, et Drak. ibi laudatum. Plebem autem infimam Caesar post occupatam remp. hisce rebus mitigare studuerat, et benevolam sibi reddere, cum ei ob id facinus esset infensior. Garaton.

Clementiae specie] Non veram, sed fucatam Caesaris clementiam fuisse dicit, ne eos, a quibus necatus est Caesar, damnare videatur. quae sequuntur perspicua sunt. Abram.

Inusta] Indicat publicam servitutem ad inustionem frontis alludens, de qua nos in Pisonem. Abram.

Hoc tantum boni est] *Hoc tamen boni est*, o. l. a. ut illud pro Rabirio Postumo, *Quae quidem in rebus miserrimis huic tamen tribuenda est maxima.* et in Verr. *Quibus iniuriis gravissimis tamen illud erat miserum solatium*, c. Idem mendum est in oratione Divitiaci apud Caesarem: *Quod soli ne in occulto quidem queri, et auxilium implorare auderent, absentisque Ariovisti crudelitatem, vel ut si coram adesset, horrerent; propterea quod reliquis tantum fugae facultas daretur: Sequanis*, c. Ut *tamen* pro *tantum* reponatur, non modo sententia postulat, sed etiam v. libri auctores sunt. Ferrarius. *Hoc tamen boni est*, non *tantum*, ut Ien. et multi alii. Ex omnibus malis, quae ille reip. intulit, hoc *tamen* utilitatis, hoc commodum adeptos esse Romanos dicit, ut sibi cavere didicerint. Heusing.

deret, quibus se committeret, a quibus caveret. Haec non cogitas? nec intelligis, satis esse viris fortibus didicisse, quam sit re pulchrum, beneficio gratum, fama gloriosum, tyrannum occidere? an, cum illum homines non tulerint, te ferent? Certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur, nec occasionis tarditas exspectabitur. Respice, quaeso, aliquando rempublicam, M. Antoni: quibus ortus sis, non quibus-

Haec igitur non cogitas] Dele vocem *igitur*, et paucis interiectis, addita dictione *re*, quae totam sententiam illuminat, ita lege: *quam sit re pulchrum, beneficio gratum, fama gloriosum, tyrannum occidere;* et post aliqua, *non quibus convivas, considera mecum ut voles: redi cum rep. in gratiam, sed de te, tu videris.* Faernus. Delevi *igitur*, et *re pulchrum* recepi cum Faërno, Mureto et Lambino. Sed in reliquis suffragatus sum vulgatis libris, quibus et MSS. nostri consentiunt, et Muretus ac Manutius. Graev.

Nec occasionis tarditas] Occasio, inquit Festus, est opportunitas temporis casu quodam provenientis. vide Notas nostras in Milonianam. Abram. Vatic. *neque*, quod Muretum non fugit. Gar.

Respice, quaeso] Redi ad te ipsum, et reflecte oculos ad rempublicam, quae tuis sceleribus in amittendae libertatis periculum adducta est. addit *aliquando*, quasi dicat: satius est sero quam nunquam ad bonam frugem et reipublicae curam te convertere. Abram.

Quibus ortus sis] Considera maiorum tuorum virtutem, et eam imiteris: maxime autem illius Marci Antonii oratoris, avi tui, qui patriam unice diligebat, aut ipsius etiam Herculis, a quo dicitur gens Antoniorum fuisse propagata. Vide quae ex Plutarcho notavi ad Milonianam, et supra ad cap. 5. de maternis Antonii maioribus. Idem.

Non quibuscum vivas] Cum Sexto Clodio, Mustela, Saxa, Cephone, caeterisque pestibus civitatis, qui suam domum nullam habent, tuam exhauriunt. Eadem pene aura Philoctetes apud Sophoclem, cum Neoptolemo patris virtutem non sine exprobratione degeneris animi in memoriam revocasset:

Quantis me Achilles genitus
affecit malis.

aliquanto post culpam reiicit in eos, quibuscum vivebat:

Οὐκ εἶ κακὸς σύ, πρὸς κακῶν
δ' ἀνδρῶν μαθὼν
Ἔοικας ἥκειν αἰσχρά. —
Non es malus, sed a malis
doctus mala
Videris huc venire. —

Idem.

cum vivas, considera: mecum, ut voles; cum republica redi in gratiam. Sed de te tu ipse videris: ego de me ipso profitebor. Defendi rempublicam adolescens, non deseram senex: contemsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam

Mecum, ut voles] Id relinquo tuae optioni, ut vel mihi reconcilieris, vel inimicitias mecum exerceas: at illud a te peto, et pro reipublicae iure flagito, ut reconcilieris reipublicae eamque non solum non oppugnes, sed omni ratione tuearis. Illustrat hunc locum Achilles Statius Observationum cap. 27. verbis Papyrii apud Livium lib. 8: *Mecum ut voles reverteris in gratiam, populo Romano, cui vitam debes, nihil maius praestiteris, quam si hic tibi dies satis documenti dederit, ut bello et pace pati legitima imperia possis.* Terentius Hecyra actu 5, scen. 1: *Nostra utere amicitia, ut voles.* Abram. I. de Nat. Deor. 32. *Verum hoc quidem, ut voletis.* Vatic. *redi cum republica in gratiam. Sed de te tu videris: ego de me ipse profitebor.* Egregie omnia: quamquam scio, *de me ipso* hic esse rectum, atque adeo, nisi tam bonus codex contra faceret, praeferendum. Illud autem miror, apud Livium VIII. 35. manifestum glossema, *reverteris in gratiam,* neminem animadvertisse: ubi Papirius nihil curat, redeat, nec ne, secum Fabius in gratiam, quemadmodum de Antonio Cicero. Ac, ne disiunctionem addamus, quae non potest, supplenda ellipsis est familiari trita sermone hoc modo, *mecum, ut voles, ages.* Magnifica viri fortis, et sapientis est vox, qui reconciliationem gratiae non recuset, si expetatur, idemque inimicitias possit contemnere pro rep. susceptas. Garaton.

Sed de te ipse] Pulchre finem impositurus orationi suae, ab Antonio redit ad seipsum, seque non defuturum reipublicae profitetur. Abram.

Defendi rempublicam adolescens] Prima quidem adolescentia, ut scribit Plutarchus, stipendia meruerat, remque publicam defenderat. Opinor tamen, anxesi rhetorica nomine adolescentiae intelligendam esse aetatem consularem, ut supra Antonius in Tribunatu dictus fuit adolescens, et Brutus et Cassius adolescentes dicti, quamvis aetatem praetoriam, id est, annum trigesimum nonum attigissent. Quid ni igitur et aetatis consularis annus, videlicet primus et quadragesimus, adolescentiae nomine censeatur? Notanda sunt autem hic isocola, quibus tota concinnata est oratio. Idem.

Quin etiam corpus libenter obtulerim] Commode Lambinus particulam unam interserit: *Quin etiam corpus libenter eis obtulerim.* Id est, adeo gladios tuos non pertimesco, ut etiam corpus

corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest; ut aliquando dolor po-

gladiis tuis offerre paratus sim, ita tamen conditione, ut morte mea repraesentari sive rursum praesens exhiberi possit intermissa libertas Romanae civitatis. Idem. Vnde Lambinus hauserit *eis*, ignoro, cum nec in Vaticano haec particula legatur, ut videre licet ex editione Faërni et Mureti, nec in Palatinis, tacente Grutero, nec in ullo eorum, quos inspexi. Graevius.

Corpus libenter obtulerim] Eadem a Dione lib. 55. loquens inducitur: *Cumque in libertate dicendi servanda nunquam mortem reformidaverim*, etc. *iam minime extimesco, non immaturam mihi, qui ante tot annos Consul fui, futuram.* Paulo post: *Mori pro vobis omnia et dicentem et facientem immortalitati comparo.* Abram.

Si repraesentari morte mea] Hoc est libertas statim reddi et restitui. Sic *repraesentare poenam*, *beneficium*, *nummos* apud optimos scriptores. vide Gronov. lib. 1. de Sestertiis cap. 6. Graev.

Potest. Vtinam aliquando dolor populi Romani pariat] Non *Vtinam*, sed *Vt*, cod. l. a. quod vehementer placet. hoc enim membris superioribus aptum et colligatum est: ut habeant hanc sententiam, Non dubitarem vel ad voluntariam mortem proficisci, modo interitum meum quamprimum libertas consequeretur. et id ob eam causam, ut, quam rem populus Romanus tamdiu concupiscit, eius aliquando compos fieret. Omnino qui superiorem inferioremque scripturam diligenter considerabit, is videbit, non *Vtinam*, sed *Vt* convenire. Ferrarius. *Potest; ut aliquando etc.*] Confirmat hanc Ferrarii codicum lectionem Pal. secund. vulgata, *potest. Vtinam aliquando.* fatue. Gruterus. *Vtinam aliquando*] Idem qui supra Lambinus, ita legendum arbitratur: *Libertas civitatis potest, ut aliquando*, etc. Hoc sensu, paratus enim gladiis tuis interfici, ut dolor populi Romani, quem ex libertatis amissione concepit, recrudescat mea morte proritatus et exacerbatus, tibique tandem mortem importet, ut iamdiu molitur. voces autem *aliqu*. κυοφορῶς derivat a mulieribus praegnantibus. Populus Antonii mortem iamdiu concepit, eamque, ut mulier praegnans foetum enixa, sic executioni mandare desiderat: pariet, cum eam re ipsa exsequetur. Abram. Sic etiam in Vaticano reperisse Faërnum et Muretum credibile est, cum hanc scripturam in suis editionibus expresserint. Graev. Alii ediderunt, *utinam aliquando:* sed Vatic. et cum pluribus leg. *ut aliquando*. Heusing. Imitationem huius loci Livianam XXI. 18. Sigonius iam observavit. Differentiam istam verborum *parturit*, et *parere* indicat etiam Arnobius lib. III. p. 112. *Parturiunt*,

puli Romani pariat, quod iamdiu parturit. Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni? Mihi vero, Patres Conscripti, iam etiam optanda mors est, perfuncto rebus iis, quas adeptus sum, quasque gessi. Duo modo haec opto: unum, ut moriens populum Romanum

pariunt, ut difficiles puerperiorum tricas Iuno mulceat, corripiatque Lucina? Eadem vero metaphora usus est Cicero pro Mur. 39. *hoc, quod conceptum respublica periculum parturit, consilio discutiam, et comprimam.* Loquebatur de Catilinae coniuratione. Vide quoque Barthium I. Advers. 2. Garaton.

Etenim si abhinc annos] Hactenus a fructu, quem sperabat e morte sua proventurum, ostendit se vitam contemnere; nunc ab antecedentibus idem probat. Abram.

Negavi posse] Orat. 4. in Catilinam: *Si quid obtigerit, aequo animo paratoque moriar. Neque enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura Consulari, nec misera sapienti.* Habita fuit illa oratio in templo Concordiae. Idem.

Mihi vero] Ab honoribus rebusque praeterita aetate gestis demonstrat, mortem sibi non solum non timendam, sed etiam optandam esse. Idem.

Quas adeptus sum] Quaesturam, Aedilitatem, Praeturam, Consulatum, Proconsulatum Ciliciae, Auguratum, supplicationes duas meo nomine decretas, nomen Imperatoris, primi omnium oratoris famam, gloriam et dignitatem, honorem etiam triumphi, nisi reditus meus e Cilicia in ipsam belli civilis flammam incidisset. Idem.

Quasque gessi] Maxime in Consulatu, et Proconsulatu Ciliciae. De rebus a se gestis in Consulatu passim, de administratione Ciliciae bellicisque eius victoriis lib. 15, ex 2. et 4. item lib. 15. et 6. ad Atticum. Idem.

Duo modo haec opto] Claudit orationem cum voto duplici, ut moriens rempublicam liberam relinquat a tyrannide Antonii, et, ut boni cives sint florentes et beati, seditiosi vero et oppressores publicae libertatis meritas scelerum suorum poenas exolvant. Eodem modo Demosthenes votis concludit orationem de corona: *Μὴ δῆτ᾽, ὦ πάντες θεοὶ, μηδεὶς ταῦθ᾽ ὑμῶν ἐπινεύσειεν· ἀλλὰ μάλιστα μὲν καὶ τούτοις βελτίω τινὰ νοῦν καὶ φρένας ἐνθείητε· εἰ δ᾽ ἄρα ἔχουσιν οὕτως ἀνιάτως, τούτους μὲν αὐτοὺς καθ᾽ ἑαυτοὺς ἐξώλεις καὶ προώλεις ἐν γῇ καὶ θαλάττῃ ποιήσαιτε, ἡμῖν δὲ τοῖς λοιποῖς τὴν ταχίστην ἀπαλλαγὴν τῶν ἐπηρτημένων φόβων δότε καὶ*

liberum relinquam: hoc mihi maius a diis immortalibus dari nihil potest: alterum, ut ita cuique eveniat, ut de republica quisque mereatur.

σωτηρίαν ὀρεχθῇ. *Ne vero, ne, o Dii immortales, quisquam ista vestrum annuat: sed inprimis istis etiam meliorem mentem atque animum date. Sin omnino ita sunt insanabiles: tum ad internecionem funditus terra marique delete: tum nobis caeteris, quamprimum impendentibus terroribus ademptis, salutem cum securitate concedite.* Idem. Jen. *duo haec opto.* Idem supra: *quanto verius negabo seni?* et infra *donari* pro *dari:* deinde, *ut ita unicuique eveniat, ut de rep. quisque mereatur.* Sed omnes alii *mereatur,* nec id mutandum est. Vide Heuman. ad c. 1. pro Deiot. Ernesti.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

pag. 15 in notis col. 2. post: *quibus tempus,* insere, *significabatur.*

— 20 in textu lege *mihi mirum,* pro *mirum mihi.*

— 22 — — *appellabantur,* pro *appellantur.*

— 32 — — *videntur,* pro *videbantur.* et pag. seq. post vocem scribe: *tamen.*

— 38 in textu lin. 8 post *maleficii* scribe *tanta.* Ern. et Schütz. omiserunt *tanta,* immerito.

— 42 lege pro *regio dom., dominatu regio.* Ern. et Schütz. ordinem inverterunt.

— 43 in textu: *nusquam* pro *usquam.*

— 49 — post *facere* scribe *ipse.*

— 74 — expunge *quidam.*

— 77 — *iubebitis credo illa,* post *iubebitis* et *credo* pone comma, deinde interpunge post *rogaverunt.*

— 95 — pro *a te ipso augure nuntiata* scribe *te ipso augure nuntiante.*

— 116 in notis col. 2 med. post voces: Vat. *exhibere quidem vobis* scribe: *parum magna.*

— 117 in notis col. 2. pro *non Bruto, putabitis,* lege: *n. B. putabatis.*

— 139 in textu omitti debebat *meo;* at Garatonius hic non correxit textum Graevianum. Ern. et Schütz habent *meo.*

— 155 post primam notam Garatonii adde: Probo lectionem Vatic. *numquam qui — quos tu clarissimos viros,* quamquam nihil hic mutavit Garatonius. Ern. et Schütz. habent vulgatam.

— 169 in textu pro *quam neque* scribe *quem neque.* et post notam Garat. pag. seq. col. 1. adde: Ern. et Schütz. habent *quam,* probo Garatonii rationem.

— 194 in textu ante *Ballioni* scribe *etiam.* et pag. seq. pro *refers: ad eos refers* scribe *referas: ad eos referas.*

— 200 post notam Garat. in col. 1. adde: Ern. et Schütz. *eum,* deinde exhibent *consensisse.* seq. pag. scribe in textu: *omn. vitiis iam esse sup.*

pag. 203 in textu post *oratione* lege *tua.* in notis col. 2. post *recepit* lege *Graevius.*

— 211 post primam notam Garatonii adde: Garatonius mihi non persuadere potuit, *qui videas*, nec potius *qui vides* scribendum esse. Nullus enim locorum, quos attulit, talis est, qualis noster. Nam ubi loci ratio ea est, ut res, seu, quum, de particula *quia* disputetur, caussa per se, non tanquam cogitata efferatur, sequi debet indicativus, sin minus, coniunctivus. Iam ad hanc rationem loci a Garatonio allati referendi sunt, non item noster.

— 215 in textu scribe *te* ante *neque illos* et expunge *te* post *ullos.*

— 220 — scribe: *quam quisquam eum id facturum esse suspicaretur.*

— 226 col. 2 l. 2 lege pro *consternatae*, *consternata.*

— 231 col. 2 in notis l. 34 p. *Kuhnk.*, *Ruhnken.*

— 228 col. 2 in notis l. 31 p. *praevideram*, *provideram.*

— 229 col. 2. in notis l. 4. p. *consessum*, *concessum.*

— 239 in textu l. *navis* p. *navi.*

— 266 col. 2 in notis l. 23 *non* iis typis describendum erat, ut quisque videret, id pertinere ad textum.

— 270 in textu *vectigalium* p. *vestigalium.*

— 293 in notis col. 2. pro *Idem* lege *Abram.*

— 312 in textu dele interp. post *certa* et pone post *scortum.*

— 317 in textu l. 1. p. *demitterero*, *demitterere.*

— 321 in notis col. 1 l. 12 p. *dissidii* lege *discidii*, et versu seq. *dissidii* pro *discidii.*

— 355 in notis col. 1 pro *ἐlϛ* lege *εἰς.*

— 447 in notis col. 1. pro *Idem* lege *Abramius.*

— 613 in textu p. *legis* lege *leges.*

— 617 in textu p. *parim*, *partim.*

Sumtibus Gerh. Fleischeri bibliopolae Lipsiensis hi quoque libri prodierunt:

Apollonii Rhodii Argonautica. Ex recens. et cum notis R. F. P. Brunckii. Edit. nova auct. et correctior. Accedunt scholia graec. ex Cod. biblioth. Parisinae nunc primum evulgata. 2 Vol. 8 mai. 1810 et 1812.
Charta impress. 6 thlr.
Charta script. 7 thlr. 12 gr.

Arcadius de accentibus. E codicibus Parisinis primum edidit Edmund Henr. Barkerus. Addita est editoris epistola critica ad Ioh. Fr. Boissonade. 8 mai. 1820. 2 Thlr. 8 gr.

Aristophanis Comoedia Plutus. Adiecta sunt scholia vetusta. Recognovit ad veteres membranas, variis lect, ac notis instruxit et Scholiastas locupletavit Tiber. Hemsterhuis. Edit. nova emend. et append. notarum aucta. 8 mai. 1811.
Charta impress. 3 thlr. 8 gr.
Charta script. 4 thlr. 16 gr.

Aristotelis ars poëtica, cum commentariis Godofr. Hermanni. 8 mai. 1802.
Charta impress. 1 thlr. 12 gr.
Charta script. 1 thlr. 20 gr.

Ciceronis, M. T., de Officiis libri tres. Recensuit et Scholiis Iacobi Facciolati suisque animadversionibus instruxit A. G. Gernhard. 8 mai. 1811.
Charta impress. 2 thlr. 4 gr.
Charta script. 2 thlr. 12 gr.

Euripidis Tragoediae, edit. R. Porson. Tom. I. Editio in Germania altera correctior et auctior indicibusque locupletiss. instructa. 8 mai. 1807.
Charta impress. 2 thlr. 12 gr.

— Hercules furens. Recensuit God. Hermannus. 8. 1810. 12 gr.

— Supplices. Recensuit God. Hermannus. 8. 1812. 12 gr.

— Tragoediae. Ad optim. librorum fidem recens. et brev. notis instrux. Aug. Seidler. Vol. I. Troades. Vol. II. Electra. Vol. III. Iphigenia in Tauris. 8. 1812—1813. 2 thlr.

Gerhardii, E., Lectiones Apollonianae. 8 mai. 1816. 1 thlr. 8 gr.

Gronovii, I. Fr., in S. Papinii Statii Silvarum libri V. Diatribe. Nova editio ab ipso auctore curata. Accedunt Emerici Crucei Antidiatribe, Gronovii Elenchus Antidiatribes et Crucei Muscarium. Edidit et annotationes adiecit Ferd. Handius. 2 Vol. 8 mai. 1812.
Charta impress. 5 thlr.
Charta script. 6 thlr.

Hermanni, G., Observationes criticae in quosdam locos Aeschyli et Euripidis. 8 mai. 1798. 18 gr.

— de emendanda ratione Graecae Grammaticae Libri I. et II. Vol. I. Accedunt Herodiani aliorumque libelli nunc primum editi. 8 mai. 1801.
Charta impress. 2 thl.
Charta script. 2 thlr. 8 gr.

Poppo, E. F., Observationes criticae in Thucydidem. 8 mai. 1815. 1 thlr. 16 gr.

Sophoclis Tragoediae septem ac deperditarum fragmenta. Emendavit, varietatem lectionis, Scholia notasque tum aliorum tum suas adiecit C. G. A. Erfurdt. Accedit Lexicon Sophocleum et

Index verborum locupletissimus. Vol. I — VI. 8 mai. 1802 — 1811.
Charta impress. 14 thlr. 16 gr.
Charta script. 17 thlr. 20 gr.

Sophoclis Tragoediae. Ad optimorum librorum fidem iterum recensuit et brevibus notis instruxit C. G. A. Erfurdt. Vol. I—IV. 8. 1808 — 1819. 2 thlr. 20 gr.

Anonymi Oeconomica, quae vulgo Aristotelis falso ferebantur. E libris scriptis et versione antiqua emend. et enarravit I. G. Schneider, Saxo. 8. 1815. 12 gr.

Plutarchi Agesilaus et Xenophontis Encomium Agesilai. In scholarum usum edidit, notis et indice instruxit D. C. G. Baumgarten-Crusius. 8 mai. 1812. 16 gr.

Persius, Aulus Flaccus. Uebersetzt u. mit Anmerk. begl. von Franz Passow. 1r Bd. gr. 8. 1809. 2 thlr.

— Textum recensuit F. Passow. 8 mai. 1809. 6 gr.

Musäos. Urschrift, Uebersetzung, Einleitung u. kritische Anmerkungen von Fr. Passow. 8. 1810. 1 thlr.

Johannes Secundus Küsse. Aus dem Lat. übers. mit beigedrucktem Original von Fr. Passow. gr. 8 1807. 10 gr.

Seidler, Aug., de Versibus dochmiacis Tragicorum graecorum 2 Vol. 8 mai. 1811. et 12. 2 thlr. 8 gr.

Ruhnkenii, David, Lud. Casp. Valckenaerii et aliorum ad Ioh. Aug. Ernesti Epistolae. Accedunt D. Ruhnkenii Observationes in Callimachum, L. C. Valckenaerii Adnotationes in Thomae Mag. Eclogas et Ioh. Aug. Ernesti Acroasis inedita. Ex Autographis edidit Ioh. Aug. Henr. Tittmann. 8 mai. 1812. 1 thlr. 8 gr.

Plüschke, M. I. G., das lateinische Verbum nach einer noch wenig bekannten, vollständigen, ganz naturgemässen u. sehr fasslichen Ordnung der Temporum ausgearbeitet u. in 14 Tabellen für den Elementarunterricht in der latein. Sprache systematisch dargestellt. Fol. 1814. 16 gr.

Ciceronis, M. Tullii, Opera omnia, deperditorumque librorum fragmenta. Textum accurate recognovit, potiorem lectionis diversitatem adnotavit, indices rerum et verborum copiosissimos adiecit Chr. Godofr. Schütz. Vol. 1—XX. 8. 1814—1821. 23 thlr.

— Oratio Philippica secunda, übersetzt und mit einem nach Handschriften berichtigten Texte von M. G. G. Wernsdorf. gr. 8. 1815. 20 gr.

Valkenaerii, Lud. Casp., Opuscula philologica, critica, oratoria, nunc primum coniunctim edita. Accedunt indices. T. I. et II. 8 mai. 1808 et 1809.
Charta impress. 3 thlr. 8 gr.
Charta script. 4 thlr.

Aeschylos Agamemnon metrisch übersetzt von Wilh. von Humboldt. 4. 1816. 1 thlr.

Suetonii, C. Tranq., Opera, textu ad praestantissimas editiones recognito, continuo commentario illustravit, clavem Suetonianam adiecit Detlev Carol. Guil. Baumgarten-Crusius. Vol. I—III. 8 mai. 1816—1818.
Charta impress. 9 thlr.
Charta script. 11 thlr.

Propertii, Sex. Aurelii, Carmina emendavit ad codicum fidem et annotavit Carolus Lachmannus. 8 mai. 1816. 2 thlr. 8 gr.